ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXXVII

TYPIS VATICANIS
M-DCCCC-LXXXXV

An. et vol. LXXXVII 2 Ianuarii 1995 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Episcopis, clero, fidelibus anni MM Iubilaeum ad parandum

Venerabiles in episcopatu Fratres,
Carissimi in Christo filii filiaequel

1. Tertio millennio adveniente novae quidem aetatis ad apostoli Pauli voces mens ultro recurrit: « Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere » *(Cal* 4, 4). Temporis autem illa plenitudo cum Verbi Incarnationis congruit mysterio, Filii videlicet consubstantialis Patri, necnon cum orbis arcano Redemptionis. Hoc loco ipso effert sanctus Paulus Dei Filium e muliere ortum natumque sub Lege inter homines venisse, ut quotquot Legi subderentur redimeret qui filiorum adoptionem recipere deinde possent. Et addit: « Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: "Abba, Pater" ». Consolatur vero magnopere conclusio eius: « Itaque iam non es servus sed filius; quod si filius, et heres per Deum » *(Gal* 4, 6-7).

Paulina haec Incarnationis mysterii propositio revelationem arcani Trinitarii in se complectitur atque etiam continuatae Filii missionis in Sancti Spiritus missione. Filii Dei Incarnatio illiusque conceptio et editio prius sane poscuntur quam Sanctus Spiritus emittatur. Mysterii ideo Incarnationis redemptricis ubertatem sinunt elucere beati Pauli sermones.

2. Suo in Evangelio nobis tradidit Lucas accuratam adiunctorum narrationem in quibus est Iesus natus: « Factum est autem in diebus illis exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis ... Ibant om-

nes, ut profiterentur, singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi, uxore praegnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret, et peperit filium suum primogenitum; et pannis eum involvit et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in deversorio » (2, 1. 3-7).

Quod igitur annuntians Gabriel angelus praedixerat, ita est completum. Virgini enim Nazarethanae has protulit voces: « Ave, gratia plena, Dominus tecum » (1, 28). Eadem vero verba cum Mariam perturbassent, divinus idcirco nuntius addere festinavit: «Ne timeas, Maria; in venisti enim gratiam apud Deum. Et ecce concipies in utero et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur ...Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei» (1, 30-32. 35). Mariae dein responsio angelico reddita nuntio omni caruit dubitatione: « Ecce ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum » (1, 38). Numquam post natos homines tantum ex hominis creati consensione pependit.[1]

3. Suum porro exordiens Evangelium una perstringit locutione Ioannes omnem Incarnationis mysterii altitudinem, cum scribit: «Et Verbum caro factum est et habitavit in nobis; et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis» (1, 14). Ioanne iudice in Iesu conceptu ortuque Incarnatio efficitur aeterni Verbi, Patri consubstantialis.

De Verbo loquitur Evangelista quod initio apud Deum erat, per quod quaecumque sunt facta sunt cuncta; Verbum in quo erat vita quae hominum erat lux (cf. 1, 1-5). Ab apostolo Paulo deinde Filius unigenitus « primogenitus omnis creaturae» nuncupatur *(Gol* 1, 15). Per Verbum condit Deus orbem. Ipsum aeterna est Sapientia, Species ac substantialis Dei Imago, «splendor gloriae et figura substantiae eius» *(Heb* 1, 3). Aevo in aeterno generatus pariterque ab aeterno a Patre amatus, sicut Deus de Deo ac Lumen de Lumine, principium est et archetypus omnium a Deo in tempore conditarum rerum.

Quod creaturae condicionem in temporum plenitudine Verbum aeternum sibi sumpsit, inde eventui Bethlemitico duobus abhinc annorum. mili--

[1] Cf. S. BERNARDUS, *In laudibus Virginis Matris, Homilia IV,* 8: Opera Omnia, Edit. Cisterc. 4 (1966), 53.

bus singularis accedit cosmica significatio. Propter Verbum ipsum creaturarum summa se veluti « cosmum » praebet, ordinatum videlicet orbem. Verbum praeterea suscipienda carne cosmicum creationis renovat ordinem. Ad Ephesios epistula sermonem de consilio Dei conserit in Christo praestituto, « in dispensationem plenitudinis temporum: recapitulare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra » (1, 10).

4. Mundi Salvator Christus unicus est inter Deum hominesque Mediator neque aliud sub caelo nomen est quo salvi esse possimus (cf. *Act* 4, 12). In epistula ad Ephesios legitur: in illo « habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiae eius, quam superabundare fecit in nobis in omni sapientia et prudentia ... secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensationem plenitudinis temporum» *(Eph* 1, 7-10). Christus, Filius Patri consubstantialis is itaque est qui Dei consilium super omni creatione patefacit, nominatimque super homine. Quem ad modum notabiliter adseverat Concilium Vaticanum II, «Hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit ».[2] Eam scilicet recludit vocationem arcano Patris eiusque amoris reserando. « Imago Dei invisibilis», perfectus est Christus homo qui filiis Adami cum Deo similitudinem redintegravit peccato deturpatami. Ipsius enim humana in natura, quae ab omni est tuta peccato atque in divinam Verbi assumpta personam, attollitur communis omnium hominum natura altissimam ad dignitatem: « Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit. Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit, humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato »".[3]

5. Quod Dei Filius « unus ex nostris » est factus, maxima hoc in humilitate contigit, ut admirationem iam non moveat, quod historici profani, maioribus capti eventibus magisque eminentibus personis, fugaces solum principio mentiones, licet sane significantes, huic rei tribuerunt. Christi indicia, verbi causa, reperiuntur in *Antiquitatibus Iudaicis,* quod Romae opus est a rerum scriptore Iosepho Flavio inter annum xeni et xciv contextum;[4] ac potissimum in Taciti *Annalibus* inter annum cxv et cxx scriptis: ibidem, memorato Romae incendio anno LXIV, quod Christianis perpe-

[2] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes, 22,*
[3] *Ibid.*
[4] Cf. *Ant. lud.* 20, 200, necnon locus celebratus simulque controversus 18, 63-64.

ram Nero adsignavit, nominatim appellat historicus Christum qui « Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat ».[5] Suetonius quoque, Claudii dum vitam enarrat, anno circiter cxxi, de Iudaeorum depulsione ex urbe Roma sermocinatur quos « impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit » Claudius.[6] Interpretibus est omnino persuasum referri illum locum ad Iesum Christum, qui causa interea evaserat inter Hebraeos Romanos contentionis. Veluti celeris ^seminationis Christiani nominis documentum exstat magni momenti testificatio Plinii Minoris Bithyniae gubernatoris, a quo Traiano Imperatori inter annum cxi et CXIII refertur: Christianos esse solitos « stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem ».[7]

Verumtamen praestans ille eventus, quem non christiani scriptores in transitu modo memorant, plenam suam recipit lucem in Novi Testamenti scriptis quae sane fidei sunt documenta, et non minus sibi merentur fidei in suarum summa narrationum etiam uti historiae testimonia. Christus, verus Deus homoque verus, Dominus orbis, aequabiliter est historiae Dominus cui nempe est «Alpha et Omega» *(Apc* 1, 8), «principium et finis» *(Apc* 21, 6). Ultimum ac decretorium verbum protulit in Ipso Pater de homine et eius historia. Id quod efficaci brevitate in epistula dicitur ad Hebraeos: « Multifariam et multis modis olim Deus locutus patribus in prophetis, in novissimis his diebus locutus est nobis in Filio » (1, 1-2).

6. Ex Populo electo ortus est Iesus, ut factam Abrahae promissionem a prophetisque continenter memoratam impleret. Hi enim pro Deo eiusque loco loquebantur. Veteris namque Testamenti dispositio suapte natura ad praeparandum et nuntiandum ordinatur adventum Christi rerum Redemptoris atque messianici illius Regni. Foederis Antiqui sic libri testes sunt perpetui diligentis Dei paedagogiae.[8] Suam in Christo metam attingit haec institutio: Is enim non iam loquitur solum « pro Deo » veluti vates, verum ipse loquitur Deus suo in Verbo aeterno carne facto. Offendimus hic rationem extremam qua christiana religio a ceteris distat religionibus, ubi a principio declarata est Dei conquisitio ab homine. In christiana contra religione initium factum est inde a Verbi Incarnatione. Hic non solum homo Deum quaerit, verum praesens ipse adest Deus, ut homini de se loquatur

[5] ***Annales*** **15, 44, 3.**
[6] ***Vita Claudii*** **25, 4.**
[7] ***Epistula*** **X, 96.**
[8] **Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 15.**

viamque indicet qua pervenire possit ad illum. Hoc totum Prologus Ioannis Evangelii enuntiat: « Deum nemo vidit umquam; unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » (1, 18). Propterea Incarnatum Verbum consummatio est illius suspiritus qui omnibus invenitur in hominum religionibus: eadem consummatio est opus Dei quod omnem excedit hominum exspectationem. Mysterium est gratiae.

Iam non est in Christo religio ipsum « quaerere Deum si forte attrectent eum et inveniant » *(Act* 17, 27), sed fidei responsum revelanti se Deo: quo in responso loquitur homo Deo suo tamquam Conditori ac Patri; quod responsum fieri omnino potest ob illum Hominem unicum qui Verbum simul est Patri consubstantiale, in quo cuique homini loquitur Deus redditurque idoneus homo qui Deo respondeat. Multo vel magis hoc in Homine universa respondet creatura. Novum enim omnium rerum principium Iesus Christus est: in ipso cuncta reperiuntur denuo, suscipiuntur Creatorique redduntur unde originem duxerunt. Hoc itaque pacto suspirii universarum orbis religionum consummatio est Christus, quam ipsam ob rem accessus ipse unus ultimusque est. Si hinc igitur hominibus in Christo loquitur Deus de sese, illinc simul in Christo ipso omne hominum genus et creatio tota de sese Deo loquuntur, quin immo Deo sese dedunt. Sic redeunt omnia suum ad principium. Iesus Christus est quidem omnium recapitulatio rerum (cf. *Eph* 1, 10) omniumque in Deo consummatio: quae proin perfectio Dei est gloria. Quae in Iesu Christo stabilitur religio, religio est gloriae: etenim universa creatura reapse gloriae est illius declaratio; vivens autem homo Dei particulatim gloriae est patefactio, qui vocatur ut vivat in plenitudine vitae in Deo. Sic in novitate exsistit vitae «in laudem gloriae eius» *(Eph* 1, 12).

7. Non appellat modo Deus in Christo Iesu hominem, verum quaeritat etiam. Hominem conquirere Deum Dei Filii Incarnatio testatur. Qua de inquisitione loquitur Iesus uti de ovis perditae recuperatione (cf. *Lc* 15, 1-7). Conquisitio haec nascitur intima ex Dei parte in summumque evadit per Verbi Incarnationem. Deus si hominem conquirit, suam conditum ad imaginem ac similitudinem, illud quidem propterea efficit quod sempiternum diligit eum in Verbo atque in Christo eumque ad filii adoptivi attollere cupit dignitatem. Hominem idcirco Deus quaerit, qui peculiaris est ipsius possessio, aliter atque alia omnis res creata. Mancipium enim Dei ille est secundum amoris electionem: quaerit sane hominem Deus suo ipsius affectu Patris compulsus.

Quorsum eum inquirit? Quandoquidem ab eo homo recessit seseque perinde atque Adamus inter terrestris paradisi arbores abdidit (cf. *Gn* 3,

8-10). Se abduci homo sivit a Dei inimico (cf. *Gn* 3, 13). Illum Satanas decepit cum persuasisset aequalem eum Deo ipsi esse, posseque Deo parem bonum ac malum cognoscere, orbe suo arbitratu regendo, nulla divinae voluntatis habita ratione (cf. *Gn* 3, 5). Per Filium hominem vestigans studet Deus adducere eum ut mali deserat vias, in quibus ulterius usque progredi vult. «Adducere ut deserat » vias istas idem prorsus est atque efficere ut intellegat falsas se percurrere vias; significat pariter malum de vincere per hominum historiam diffusum. Debellare malum: en Redemptionem. In sacrificio Christi ea peragitur, ob quod debitum peccati homo dissolvit Deoque reconciliatur. Filius Dei homo est factus, corpore et anima in utero Virginis susceptis, ea omnino de causa: ut ex sese perfectum conficeret sacrificium. Incarnationis religio est religio Redemptionis totius mundi per Christi sacrificium, ubi victoria de malo subest et de peccato ipsaque de morte. In cruce mortem amplexatus simul indicat Christus ac tribuit vitam, quia resurgit neque in eum iam amplius mors quidquam habet auctoritatis.

8. Quae ex Incarnationis redemptricis mysterio suum duxit ortum religio, est religio ipsa « remanendi in intima Dei parte » eiusque etiam ipsam communicandi vitam. De hac re loquitur Sanctus Paulus iis verbis quae superius adlata sunt: « Misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra clamantem: "Abba, Pater!" » *(Gal* 4, 6). Vocem homo suam tollit perinde atque Christus, qui « cum clamore valido et lacrimis » *(Heb* 5, 7) ad Deum praesertim in hortis Gethsemani et in cruce vociferabatur: clamat homo ad Deum, quem ad modum Christus clamavit, sicque testificatur se ad filii condicionem pertinere Spiritus Sancti auxilio. Ita efficit Spiritus Sanctus, quem Filii nomine emisit Pater, ut intimae Dei vitae sit particeps homo. Facit item ut filius sit homo Christi similis atque eorum bonorum heres quae Filii partem constituunt (cf. *Gal* 4, 7). His rebus consistit religio illa « remanendi in Dei intima vita », cui Filii *Dei Incarnatio initium facit. Qui profunda Dei scrutatur Spiritus Sanctus (cf. *1 Cor* 2, 10) nos homines eas perducit in profunditates Christi sacrificii virtute.

9. De Filii Dei ortu loquens collocat sanctus Paulus illum « in plenitudine temporis» (cf. *Gal* 4, 4). Revera tempus propterea est completum quod per Incarnationem Deus in hominum historiam incidit. Aeternitas est in tempus ingressa: quae maior « consummatio » esse potest quam illa? Quae alia fieri posset « consummatio »? Sunt qui arcanos excogitaverint cyclos cósmicos, quibus rerum universitatis historia maximeque hominis repetatur perpetuo. Ex terra exoritur homo in eamque revertitur (cf. *Gn* 3, 19): hoc

ex ipso patet rerum visu. Atqui in homine subest inexstinguibile desiderium semper vivendi. Quomodo cogitandum est de superstiti post obitum vita? Varias alii formas reincarnationis commenti sunt: prout priore vixerit vita, sic dicitur homo novam experturus esse nobiliorem vel ignobiliorem vitam donec plenam adipiscatur purificationem. Fides haec, firmiter quibusdam in religionibus orientalibus stabilita, inter alia significare potest nolle hominem omnino aequo animo irrevocabilem mortis naturam accipere. Ei prorsus persuadetur sua de natura necessario spiritali immortalique.

Reincarnationem excludit christiana revelatio agitque potius de consummatione quam homo invitatur ut per unius in terris vitae cursum perficiat. Propriae autem huius sortis suae consummationem consequitur homo sincero sui ipsius dono, quae donatio non potest nisi in congressione cum Deo contingere. In Deo igitur reperit homo plenam sui perfectionem: haec est a Christo revelata veritas. Se complet homo in Deo, qui obvius illi per aeternum suum Filium processit. Propter ipsum Dei in terras adventum suam plenitudinem attigit tempus humanum creatione incohatum. « Plenitudo temporis » revera solummodo aeternitas est, quin immo Ille qui est aeternus, Deus videlicet. Ingredi propterea « plenitudinem temporis » significat ad temporis pervenire finem eiusque excedere fines, ut in Dei aeternitate consummatio eius obtineatur.

10. Christiana in fide praecipuum habet pondus tempus. Conditur orbis intra eius definitionem, intra tempus progreditur historia salutis, quae apicem suum in « plenitudine temporis » ipsius Incarnationis tangit suumque terminum in glorioso reditu Filii Dei exeunte omni tempore. In Iesu Christo, Verbo Incarnato, tempus evadit modus quidam Dei, qui in se ipse est aeternus. Christi adventu ineunt « novissimi dies » (cf. *Heb* 1, 2), « novissima hora » (cf. *1 Io* 2, 18) incipitque Ecclesiae tempus quod ad Parusiam usque durabit.

Ex hac autem necessitudine inter Deum et tempus officium oritur sanctificandi illud. Quod reapse tum fit, exempli gratia, cum Deo singula tempora dicantur dies, hebdomadae, haud secus atque eveniebat in Veteris Foederis religione atque etiamnum, licet ratione nova, in christiano cultu evenit. Intra pervigilii paschalis ritum dum expiât cereum, qui Christum resuscitatum exprimit, celebrans edicit: « Christus heri et hodie, Principium et Finis, Alpha et Omega. Ipsius sunt tempora et saecula. Ipsi gloria et imperium per universa aeternitatis saecula». Has voces profert, dum in candela numerum illius vertentis anni insculpit. Patet huius ritus significatio: illud enim extollit Christum esse temporis Dominum, principium eius

ac terminum; omnem annum, diem omnem et momentum complectuntur Incarnatio eius et Resurrectio, ut hac via denuo in « plenitudinem temporis » concurrant. Vivit hanc ob rem atque celebrat Ecclesia per totius anni spatium liturgiam sacram. Pervadit ita liturgicus annus annum solarem, qui quodammodo universum Incarnationis Redemptionisque mysterium repetit a prima die Dominica Adventus ad sollemnitatem Christi, Regis ac Domini rerum et historiae cunctae. Singulis dominicis diebus commemoratur resurrectionis Domini dies.

11. Tali rerum in prospectu Iubilaeorum consuetudo intellegi potest, quae ab Antiquo Foedere initium sumit quaeque in Ecclesiae annalibus continuatur. Iesus Nazarenus quodam die, synagogam sui oppidi ingressus, surgit lecturas (cf. *Lc* 4, 16-30). Prophetae Isaiae liber ei praebetur, in quo quae sequuntur legit: « Spiritus Domini Dei super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum laeta mansuetis misit me, ut mederer contritis corde et praedicarem captivis liberationem et clausis apertionem; ut praedicarem annum placabilem Domino» (61, 1-2).

Propheta de Messia loquebatur. « Hodie — addidit Iesus — impleta est haec Scriptura in auribus vestris» *(Lc* 4, 21), cum doceret se ipsum esse Messiam a Prophetis nuntiatum ac secum « tempus » incohari studiose exspectatam: dies advenerat salutis, « temporis plenitudo ». Omnia Iubilaea ad hoc « tempus » spectant eaque ad messianicam Christi missionem vertantur, qui veluti « a Spiritu Sancto unctus », veluti « a Patre missus » venit. Ipsemet laeta pauperibus nuntiat, captivis liberationem impertit, contractas dimittit et caecis visum reddit (cf. *Mt* 11, 4-5; *Lc* 7, 22). Hoc modo « annum placabilem Domino » efficit, quem non verbo tantum, sed operibus potissimum enuntiat. Iubilaeum, « placabilis scilicet annus Domino », propria est Iesu agendi ratio, non alicuius dumtaxat commemorationis temporalis definitio.

12. Iesu verba et opera totam ita Iubilaeorum traditionem complent Veteris Testamenti. Constat nempe fuisse Iubilaeum tempus Deo peculiariter dicatum. Septimo quoque anno eveniebat, ad Moysis Legem: agebatur de « anno sabbatico », quo volvente, agri non exercebantur, servi liberabantur. Mancipiorum liberandorum officium tum libri Exodi (23, 10-11), tum Levitici (25, 1-28), tum denique Deuteronomii (15, 1-6) praecepta minutatim temperabant, id est tandem universa sacrorum bibliorum disciplina, quae hanc sic rationem induit. Anno sabbatico evolvente, praeter servorum liberationem, omnia debita ex Lege dissolvebantur, secundum certa

praescripta. Et haec omnia ad Dei honorem fieri debebant. Quod autem ad annum sabbaticum pertinebat, annum quoque iubilarem respiciebat, qui quinquagesimo quoque anno celebrabatur. Verum iubilari anno sabbatici anni consuetudines amplificabantur et sollemnius celebrabantur. In Levitico legimus: « Sanctificantis annum quinquagesimum et vocabitis remissionem in terra cunctis habitatoribus eius: ipse est enim iobeleus. Revertimini unusquisque ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam » (25, 10). Inter maxima iubilaris anni consectaria « emancipatio » omnium inhabitantium qui liberatione egebant annumeratur. Hac occasione, quisque mas possessionem patrum praediorum amissam recuperabat, si forte ea vendiderat vel si ipse in servitutem redactus ea amiserat. Destitui penitus terra non poterant, cum esset ipsa Dei neque in servitutis condicione Israelitae semper manere possent, quandoquidem Deus sibi eos « redemerat », veluti sua solius mancipia, cum a servitute in Aegypto eos vindicaret.

13. Etiamsi iubilaris anni praescripta plerumque solum proposita fuerunt et exspectationes — magis scilicet spes quam solida res, cum autem prophetia futuri fierent, verae liberationis videlicet nuntius quam Messias venturus praestitisset — ex eorum profecto iuridica vi quaedam socialis doctrina efficta est, quae inde a Novo Testamento distinctius explicata est. Iubilaris annus aequalitatem inter filios omnes Israelis reconciliare debebat, dum novas facultates tribuebat familiis, quae possessiones amiserant, vel etiam personarum libertatem. Divitibus contra memorabat annus iubilaris adventurum tempus quo Israelitae servi iis pares fierent ac iura simul sua asserere possent. Ad Legis tempus iubilaris annus erat edicendus, cum omnibus indigentibus subveniretur. Hoc simul iustum regimen postulabat. Iustitia, secundum Israelis Legem, complectebatur praesertim debilium tutelam atque rex hac in re eminere debebat, ut Psalmista asseverat: « Quia liberabit inopem clamantem et pauperem, cui non erat adiutor. Parcet pauperi et inopi et animas pauperum salvas faciet» *(Ps* 72/71, 12-13). Huius traditionis principia strictim erant theologica, quae ante omnia cum creationis divinaeque Providentiae theologia nectebantur. Vulgo namque credebatur ad Deum solum, ut Creatorem, « altum dominium » spectare, principatum scilicet universitatis rerum atque potissimum orbis terrarum (cf. *Lv* 25, 23). Si Deus providens terram hominibus dederat, hoc significabat Ipsum omnibus eam dare velle. Quapropter creationis divitiae veluti totius humanitatis bonum commune habendae erant. Qui haec bona possidebat tamquam mancipia, eorum reapse erat dumtaxat administrator, sci-

licet minister, qui Dei nomine agere debebat, qui unus verusque possessor erat: Dei voluntas erat, ut bona creata omnibus legitime servirent. Iubilaris anni hoc quoque erat propositum, ut haec restitueretur socialis iustitia. In iubilaris anni translaticio more sic radices agit Ecclesiae socialis doctrina, quae semper suum obtinuit locum in ipsius instructione quaeque ex superiore potissimum saeculo crevit, a litteris Encyclicis *Rerum Novarum* praesertim sumens initium.

14. Illud potissimum est efferendum quod Isaias his exprimit verbis: praedicare annum placabilem Domino. Iubilaeus hic ipse est Ecclesiae « placabilis annus », annus remissionis peccatorum atque poenarum pro peccatis, annus inter contendentes reconciliationis, annus multiplicium conversionum atque paenitentiae sacramentalis et extrasacramentalis. Annorum iubilarium traditio cum indulgentiarum concessione copulatur, quae largius quam ceteris annis dispensantur. Praeter Iubilaeos qui Incarnationis mysterium commemorant, centesimo, quinquagesimo, quinto et vicesimo anno completo, sunt Iubilaei qui Redemptionis eventum celebrant: Christi scilicet crucem, eius mortem in Calvariae loco ac Resurrectionem. His quidem occasionibus « annum placabilem Domino » edicit Ecclesia atque operam navat, ut his beneficiis omnes fideles fruantur. Idcirco Iubilaei non « in Urbe » dumtaxat, verum etiam « extra Urbem » celebrantur: secundum consuetudinem subsequenti celebrationis « in Urbe » anno illud occurrebat.

15. In cuiusque personae vita Iubilaei plerumque cum natali die nectuntur; sed Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae primum sumptae, presbyteralis episcopalisve Ordinationis, Matrimonii sacramenti, anniversarii dies quoque celebrantur. Nonnulli hi anniversarii eventus in civili quoque ambitu inveniuntur, quibus tamen christiani semper religiosam indolem tribuere solent. Ad christianam namque rationem cuncti Iubilaei — tum XXV sacerdotii matrimoniique anniversarius dies, qui « argenteus » vocatur, tum quinquagesimus «aureus», tum denique sexagesimus « adamantinus » — annum gratiae peculiarem singulis hominibus praestant qui unum ex sacramentis, quae supra memoravimus, receperunt. Quod quidem de singularum personarum iubilaeis diximus, de communitatibus institutionibusve quoque dici potest. Sic enim centesimus vel millesimus alicuius conditae urbis vel municipii celebratur annus. In Ecclesiis similiter particularibus paroeciarum dioecesiumque Iubilaei aguntur. Omnia haec iubilaria eventa, quae sive singulos sive societates contingunt, in singulorum atque in communitatum vita magnum habent momentum.

Tali in rerum prospectu, duo milia annorum a Christi ortu (iusta annorum computatione posthabita) Iubilaeum efficiunt permagnum, qui non modo in christianos, verum oblique in universum hominum genus, quandoquidem primas partes duo per haec millennia egit christiana disciplina. Luculenter paene omnes homines cursum annorum a Christi ortu metiuntur, qui fere fit centrum Calendarii, quod hodie plerique usurpant. Nonne hoc est illius singularis effectus signum, quem universali historiae contulit Iesus Nazarenus?

16. « Iubilaei » vox laetitiam secum fert; non interiorem solummodo laetitiam, sed etiam gaudium quod foras emittitur, quoniam Dei adventus exterior est eventus, qui conspici audiri tangi potest, quemadmodum memorat S. Ioannes (cf. *1 Io* 1, 1). Par est igitur quaeque laetitiae signa ob huiusmodi adventum exterius etiam commonstrari. Quod significat Ecclesiam propter salutem gaudere. Omnes ad laetitiam vocat, eademque ut condiciones dentur contendit ad salutares vires cum omnibus communicandas. Anno bismillesimo Magnum idcirco erit Iubilaeum.

Re ipsa Magnum hoc Iubilaeum quodammodo idem erit ac superiora. Sed simul aliud erit, maius quam cetera umquam. Ecclesia enim temporis mensuram servat: horas dies annos saecula. Hac sub ratione una cum singulis hominibus progreditur. Ipsa pariter unumquemque certiorem facit quomodo singulae hae mensurae Dei praesentia imbuantur salutarique eiusdem actione. Hoc cum sensu gaudet Ecclesia, gratias agit, veniam petit, Domino historiae humanarumque conscientiarum adhibens preces.

Ardentiores inter huius singularis temporis precationes, novo scilicet appropinquante Millennio, Dominum Ecclesia exorat ut omnes inter christianos variarum Confessionum ipsa crescat unitas donec plena obtineatur communio. Exoptamus propterea ut Iubilaeum acceptam afferat opportunitatem fructuosae adiutricis operae in tot rerum communicatione quibus coniunguntur christiani, quae quidem sine dubio plures sunt quam quibus mutuo dividuntur. Quam gratum iucundumque hac in re si, observatis quidem singularum Ecclesiarum et Communitatum rationibus et condicionibus, oecumenicae reperiantur consensiones in apparando atque consummando Iubilaeo: id enim multo maiorem sibi exsequetur vim, si universo orbi testificantur Christi discipulorum voluntatem adipiscendi quam primum unitatem perfectam, cum certo illi noverint « nihil esse impossibile apud Deum ».

17. Unumquodque iubilaeum in Ecclesiae historia divina Providentia praeparatur, quod etiam Magnum Iubilaeum complectitur anni bismillesimi. Hac de re prorsus conscii, grati non minus quam officiosi id contuemur

quod in hominum historia a Christi ortu occurrit, et eventus praesertim illos spectamus qui inter millesimum et bismillesimum annum intercesserunt. At potissimum ad hoc nostrum saeculum oculos fidei convertimus, non modo hominis historiae testimonia perquirentes, verum etiam divinam in rebus humanis procurationem.

18. Hoc in rerum prospectu asseverari potest Concilium Vaticanum II providentiae praebere eventum, per quem Ecclesia propius paravit bismillesimi anni Iubilaeum. Fuit namque Concilium superiorum simile, ac eodem tempore omnino aliud; Concilium in Ecclesiae Christique mysterium penitus intentum, at simul mundo patens. Quoniam patuit, responsum exhibuit evangelicum mundo hodiernis temporibus se evolventi, qui XX saeculi expertus est immanitates, primo alteroque bello universali est vexatus, captivorum custodiendorum campis et vastis internecionibus conflictatus. Superiores hi eventus demonstrant purificatione indigere mundum, indigere conversione.

Concilium Vaticanum II novam aetatem in Ecclesiae vita designare dicitur. Hoc verum est, at simul difficile est non animadvertere conciliarem congressionem ex superioris aevi usibus et deliberationibus multum sumpsisse, ex doctrina praesertim Pii XII. In Ecclesiae annalibus « vetus » et « novum » penitus inter se implicantur. « Novum » enim ex « vetere » surgit, « vetus » in « novo » planius impletur. Istud Concilio Vaticano II accidit, idemque Pontificibus evenit, qui cum conciliari Congressione nectuntur, initio a Ioanne XXIII sumpto, subsequentibus deinceps Paulo VI et Ioanne Paulo I usque ad hodiernum Pontificem.

Singula quae ipsi ante post que Concilium patraverunt, quae docendo non minus quam agendo fecerunt, multum et insigniter iuverunt, ut novum vitae christianae ver pararetur, quod ex Magno Iubilaeo erit revelandum, si Spiritui Sancto ipsos allicienti obsequentur christiani.

19. Concilium, tametsi graves gestus deposuit qui fuerunt Ioannis Baptistae qui in lordano ad paenitentiam conversionemque cohortabatur (cf. *Lc* 3, 1-17), in se ipsum aliquid ostendit quod veteris Prophetae fuit, cum renovato vigore nostrae aetatis hominibus Christum significaret, qui est «Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi» *(Io* 1, 29) et is hominis Redemptor historiaeque Dominator. In conciliari Conventu Ecclesia, ut Magistro suo servaret fidelitatem, se ipsa interrogavit quae esset, cum suum Corporis Sponsaeque Christi mysterium penitus recluderet. Obsequenter quidem Dei verbum exaudiens, universalem omnium denuo inculcavit vocationem

ad sanctimoniam; liturgiam reformavit, quae est eius ipsius vitae « fons et culmen »; renovationem compluribus ex sui partibus tum in mundo universo tum in singulis Communitatibus provexit; varias christianas vocationes promovere studuit, sive laicorum religiosorumque, sive ministerii diaconorum, sacerdotum et episcoporum; episcopalem maxime collegialitatem restauravi^ in qua pastorale Episcoporum officium peculiariter emergit, qui cum Petri Successore sociantur. Hac renovatione funditus peragenda innitens, Concilium ceteris christianis ivit obviam, aliarum religionum cultoribus, cunctis denique nostrae aetatis hominibus. Numquam alias Concilium quoddam tanta perspicuitate de christianorum unitate, religionum non christianarum de dialogo, Veteris Foederis Israelisque peculiari significatione, de personalis conscientiae dignitate, de libertatis religiosae principio, de diversis cultus traditionibus, in quibus Ecclesia suum explicat missionale munus, de communicationis socialis instrumentis, est locutum.

20. Ingentes quidem rerum divitiae ac sermo pariter novus, antea incognitus, quo conciliaris textus imbuitur, novorum temporum nuntium fere constituunt. Patres conciliares Evangelii loquelam proferentes locuti sunt, loquelam scilicet sermonis Beatitudinum e Monte. Conciliari in nuntio exhibetur Deus sua in pienissima rerum omnium dominatione, atque etiam veluti temporalium rerum libertatis custos.

Optima igitur occasionis bismillesimae apparatio necessario declarabitur renovato officio applicandae quam fidelissime Concilii Vaticani II doctrinae ad cuiusque personae omnisque simul Ecclesiae vitam. Ex Concilio quasi inaugurata proxima est Magni Iubilaei anni MM praeparatio, amplissimo quidem verbi illius sensu. Si in liturgia quid simile quaeramus, dici sane possit annua Adventus Liturgia tempus esse maxime ad Concilii animum propinquum. Nos enim comparat Adventus illius ad adventum qui est continenterque advenit (cf. *Apc* 4, 8).

21. In hoc sese disponendi itinere ad eventum anni MM series Synodorum inseritur, quae post Concilium Vaticanum Secundum incepit: Synodorum generalium et continentium Synodorum, regionum et nationum et dioecesium. Principale semper earum argumentum est evangelizatio, vel potius nova evangelizatio, cuius iacta sunt fundamenta in Adhortatione Apostolica Pontificis Pauli VI, cui titulus *Evangelii nuntiandi,* anno MCMLXXV promulgata, Episcoporum videlicet Synodi tertia exacta congressione.

Ex se ipsae hae Synodi iam novae evangelizationis partem efficiunt: nam de Concilii Vaticani II conspectu ipsius Ecclesiae nascuntur; latum

aperiunt laicorum participationi spatium, quorum propria in Ecclesia definiunt munia; sunt illae declaratio vigentis virtutis quam toti Dei Populo tribuit Christus, cum participem eum suae faceret operae messianicae, prophetiae industriae, actuositatis sacerdotalis et regiae. Qua in re affirmationes alterius capitis dogmaticae Constitutionis, *Lumen gentium* inscriptae, eloquenter edicunt. Iubilaei anni MM curatio sic in universa Ecclesia peragitur tam in ordine universali quam in locali, excitata scilicet nova quadam conscientia salutiferi muneris a Christo recepti. Eadem vero haec conscientia manifesto splendore in postsynodalibus elucet Adhortationibus quae respondent laicorum officio, sacerdotum institutioni, catechesi ipsi, familiae necnon bono magno paenitentiae atque reconciliationis in Ecclesiae vita et humani generis, tum etiam, nuperrime, consecratae y^itae.

22. Peculiaria tamen munia et officia, ad Magnum anni MM Iubilaeum attinentia, ad Ministerium Romani Episcopi pertinent. Quadamtenus cuncti Pontifices huius iamiam exituri saeculi ad finem hunc operati sunt. Capto nempe consilio omnia in Christo restaurandi sanctus Pius X antecedere exitialibus effectibus contendit quos internationalis orbis condicio, ineunte hoc saeculo, paulatim importabat. Perbene noverat Ecclesia graviter se agere debere, ut foveret defenderetque haec bona adeo primaria pacis ac iustitiae, cum simul contra sese extollerent sententiae adversae. Aetatis vero ante Concilium Pontifices eundem in finem magno studio operati sunt suo quisque ex proposito mentisque habitu: Benedictus XV ante cladem primi universalis belli constitit, Pius XI autem conflixit cum regiminum absolutorum minationibus vel humanae libertatis incuriosorum in Germania et Russia, in Italia et Hispania, ac prius etiam in Mexico. Porro Pius XII sese adversus iniurias gravissimas interposuit quas plena dignitatis humanae importabat contemptio, altero saeviente bello universali. Lucidas prorsus edidit directorias normas, unde etiam nova totius orbis ordinatio exoriri posset, prioribus exstinctis institutionibus politicis.

Progrediente dein hoc saeculo Pontifices Romani, Leonis XIII ingressi vestigiis, argumenta socialis doctrinae catholicae ordinatim repetiverunt, de proprietatibus agentes alicuius aequae compages sive structurae illa in necessitudine inter hominum opus atque caput pecuniae. Cogitare satis est Encyclicas Litteras *Quadragesimo anno* Pii XI necnon complures Pii XII interpellationes, Litteras pariter Ioannis XXIII *Mater et Magistra* ac *Pacem in terris,* tum denique *Populorum Progressio* atque Apostolicam Epistulam Pauli VI *Octogésima adveniens* nuncupatam. Quo de eodem argumento crebrius et Nos sumus elocuti ipsi, Litteras Encyclicas *Laborem*

exercens nominatim ponderi operis hominum dicantes, dum Litteris *Centesimus annus* post saeculum vim iteravimus, adhuc validam socialis doctrinae in documento *Rerum novarum* expositae. Antea vero Encyclicis Litteris *Sollicitudo rei socialis* disposite meditateque totam doctrinae socialis summam revocavimus velut in prospectu contentionis inter magna foedera Orientale et Occidentale necnon ipsius periculi cuiusdam dimicationis nuclearis. Duae partes doctrinae socialis Ecclesiae — tum dignitatis tutela iuriumque personae humanae intra terminos iustae coniunctionis inter hominum opera et pecuniae capita, tum pacis ipsius provectus — eodem hoc in documento convenientes simul sunt permixtae. Causae praeterea pacis deservire volunt annui Romanorum Pontificum nuntii Kalendis Ianuariis editi iam inde ab anno MCMLXVIII, sub Pauli VI pontificatu.

23. Hic pontificatus Noster suo a primo sollemni scripto explicatis verbis de Magno disserit Iubilaeo, omnes dum hortatur ut hoc exspectationis intervallum tamquam « novum adventum » ducant.[9] Ad quam deinde quaestionem alias saepe revertimus, fusius in ea elaborantes Encyclicis in Litteris Dominum et vivificantem appellatis.[10] Re enim vera Anni Bismillesimi apparatio quaedam quasi hermeneutica fit clavis. Haud sane animus est novo cuidam indulgere millenarismo, quem ad modum nonnulli primo exeunte millennio fecerunt; exoptatur contra ut peculiaris excitetur sensus intellectusque eorum quae Spiritus Ecclesiae dicit Ecclesiisque (cf. *Apc* 2, 7 ss.), perinde ac singulis etiam hominibus per dona et munera in totius communitatis commodum concessa. Efferuntur videlicet ea quae diversis communitatibus suadet Spiritus, a minimis sic ut familiae unicuique, ad maximas veluti nationes atque institutiones inter nationes, dum cultus liberalis formae et humanitatis modi ipsius sanaeque traditiones haudquaquam negleguntur. Licet contrarium verum esse videatur, hominum genus exspectare pergit filiorum Dei revelationem ex eaque spe vivit sicut mater parturiens, secundum imaginem illam tam efficaciter a sancto Paulo in Epistula ad Romanos usurpatam (cf. 8, 19-22).

24. Pontificis Romani peregrinationes praecipua pars evaserunt illius officii ad effectum deducendi praecepta ac principia Concilii Vaticani II. A Ioanne XXIII incohata, imminente iamiam Concilii ipsius initio, per Lauretanam Assisiensemque peregrinationem (anno MCMLXII), haec itinera insigniter aucta sunt a Paulo VI qui, postquam ante omnia in Terram Sanc-

[9] Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 1: *AAS* 71 (1979), 258.

[10] Cf. Litt. Encycl. *Dominum et vivificantem* (18Maii 1986),49 ss.: *AAS1S* (1986), 868 ss.

tam anno MCMLXIV se contulit, novem alia magna peregit apostolica itinera quae proximam in congressionem illum adduxerunt cum diversarum continentium populis.

Auxit multo magis hic Noster Pontificatus illam itinerum rationem, initiis a Mexico factis ob Conventum Generalem Episcopatus Latino-Americani Pueblae habiti anno MCMLXXIX. Eodem dein anno in Poloniam ducta est peregrinatio sacra Iubilaei tempore de DCCCC anniversaria memoria obitus sancti Stanislai episcopi et martyris.

Subsecutae sunt deinde aliae peregrinandi rationes quae iam notae sunt. Iam statis temporibus evenire coeperunt peregrinationes ad particulares cuiusque continentis Ecclesias, curis diligenter adhibitis provehendi oecumenicas necessitudines cum aliarum confessionum christianis. Hac in re peculiare prae se ferunt momentum salutationes Nostrae in Turcarum natione anno MCMLXXIX, in Germania anno MCMLXXX, in Anglia et Vallia et Caledonia anno MCMLXXXII, in Helvetia anno MCMLXXXIV, in Scandiae civitatibus anno MCMLXXXIX, ac nuperrime apud Bálticos populos, anno MCMXCIII.

In praesentia vero invenitur inter metas vehementer exoptatas peregrinationis, praeter Seraium in Bosnia Erzegovina, Oriens Medius: Libanus, Hierosolyma, Terra Sancta. Praeclarum quiddam erit si volvente anno MM, invisere licuerit universa ea loca quae Populi Electi Veteris Foederis signaverunt iter, a regionibus Abrahami et Moysis per Aegyptum Montemque Sinai ad urbem Damascum quae sancti Pauli cognovit conversionem.

25. In apparando bismillesimo anno suas explent partes particulares Ecclesiae, quae propriis Iubilaeis gressus praestantes commemorant in diversorum populorum historia salutis. Hos inter Iubilaeos locorum vel provinciarum intercesserunt maximae excellentiae eventus, nempe millesimus ipse annus a baptismo in Rus' allato anno MCMLXXXVIII,[11] quo modo etiam quingentesimus annus ab incohata continentis Americanae evangelizatione (anno MCCCCXCII). QUOS iuxta magnae amplitudinis eventus, licet non cum effectibus toto in orbe, opus est alios memorare haud minus praestantes: verbi causa, millennium a baptizata Polonia anno MCMLXVI, una cum millesimo anno baptismatis in Hungaria anno MCMLXVIII, pariterque in Lituania sexcentos annos a baptismo inducto anno MCMLXXXVII. Brevi hinc tempore accident anniversariae recordationes baptizati Clodovei Francorum regis mille quingentos abhinc annos (nempe ccccxcvi), necnon millesimi quadrin-

[11] Cf. Litt. Ap. *Euntes in mundum* (25 Ianuarii 1988): *AAS* 80 (1988), 935-956.

gentesimi anni ex quo sanctus Augustinus Cantuariam appulit anno DXCVII, unde orbis coeptus est Anglosaxonico evangelizan.

Quod ad Asiam vero attinet, Iubilaeum referet mentem ipsum ad apostolum Thomam, qui principio iam christianae aetatis secundum traditam famam evangelicum pertulit in Indiam nuntium, quo anno circiter millesimo quingentésimo Lusitani missionales advenisse feruntur. Septima similiter centenaria celebratio hoc anno eveniet inceptae Sinarum evangelizationis anno MCCXCIV, atque iamiam sumus memoriam obituri in Philippinis Insulis operis missionarii ex quo tempore metropolitana constituta est Manilensis sedes anno MDXCV, sicut et recordationem agemus quadringentesimi anni a primis Nipponensibus martyribus anno MDXCVII.

In Africa autem, ubi prima etiam Evangelii nuntiatio ab apostolorum repetitur aetate, coletur annus millesimus sexcentesimus quinquagesimus a primo Aethiopum episcopo ordinato sancto Frumentio (anno c. CCCXL), atque quingentesimus ab aperta Angolae evangelizatione antiquo in Congi regno (anno MCDLXXXXI); interea quaedam nationes, uti Camarunia, Litus Eburneum, Res publica Africae Mediae, Res publica Burundiae et Burkina Fasensis suas iam agunt sollemnitates centenarias a missionalium accessu propriam in provinciam. Aliae quoque Africae civitates similia nuperius honoraverunt e venta.

Nec silentio praeterire decet Orientales Ecclesias quarum perantiqui Patriarchatus tam prope referuntur ad apostolorum hereditatem quarumque theologicae liturgicae spiritales traditiones immensum efficiunt thesaurum, qui totius christianae civitatis commune est patrimonium. Crebrae multiplicesque harum Ecclesiarum commemorationes iubilares necnon ipsarum Communitatum, quae in illis suam agnoscunt originem apostolicam, iter Christi per saecula meminerunt atque Magnum ad Iubilaeum exeunte altero millennio et illae accedunt.

Hoc sub lumine conspecta omnis christiani nominis historia veluti unicus videtur fluvius in quem suas profundunt aquas rivuli multi. Nos ideo hortatur Annus MM, ut renovata fidelitate altiusque stabilita communione ad ripas concurramus lati huius fluminis: Revelationis scilicet et Christianismi et Ecclesiae flumen quod historiam perimit humani generis iam inde ab eventu Nazarethano deindeque Bethlemitico duo abhinc annorum milia. « Flumen » revera illud est cuius « rivi » ipsi — secundum Psalmi dictum — « laetificant civitatem Dei » *(Ps* 46/45, 5).

26. In Anni MM praeparationis rationem ingrediuntur pariter Anni Sancti extremae huius saeculi partis. Viget quidem adhuc in memoria An-

nus Sanctus quem Pontifex Paulus VI anno MCMLXXV indixit; eadem exinde affectione est concelebratus MCMLXXXIII tamquam Redemptionis Annus. Maiore autem fortasse cum effectu peractus est Annus Marialis MCMLXXXVII-MCMLXXXVIII, quem singulae Ecclesiae particulares vehementer exspectaverunt diligenterque compleverunt, praesertim ad totius orbis mariana sacella. Litterae Encyclicae *Redemptoris Mater,* quae eodem prodierunt tempore, conciliarem collustraverunt doctrinam de Matris Dei praesentia in Christi Ecclesiaeque mysterio: Deus Filius duobus abhinc milibus annorum operante Spiritu Sancto homo est factus de Virgineque Maria Immaculata natus. Quapropter Marialis Annus quaedam quasi anticipatio fuit Iubilaei, cum plura in se elementa complecteretur, quae Anno MM plane explicanda erunt.

27. Fieri vix potest quin asseveretur Marialem Annum proxime eventus anni MCMLXXXIX praecessisse. Eventus enim illi sunt, qui sua amplitudine maximeque progressione celeri non possunt admirationem non movere. Etenim anni inter septuagesimum et octogesimum huius saeculi crescens usque secum intulerunt periculum, secundum « belli frigidi » tramitem; annus MCMLXXXIX autem secum pacificam intulit solutionem, quae prae se pariter quasi quandam figuram tulit « organicae » progressionis. Sub ipsius luce facile quis vim potest tribuere propheticam Encyclicis Litteris *Rerum novarum:* quidquid enim Pontifex Leo XIII de communismo inibi scripserat, accurate hisce in eventibus est comprobatum, quem ad modum Nostris in Litteris *Centesimus annus*[12] praedicavimus. Facile praeterea perspici poterat in iis quae evenerunt agere totam rem materna cum cura ipsa invisibilis Providentiae manus: « Numquid oblivisci potest mulier infantem suum...? » *(Is* 49, 15).

Nihilominus tamen post annum illum MCMLXXXIX nova pericula novaeque minae exstiterunt. In civitatibus quidem foederis orientalis, dilapso communistarum instituto, pergrave erupit discrimen studiorum pro sua cuiusque natione, perinde ac, pro dolor!, eventa commonstrant in statibus Balcanicis aliisque proximis provinciis. Impellit haec res Europae populos, ut serio animo conscientias suas perscrutentur agnoscentes culpas et errores praeterita aetate admissos in re nummaria et politica, in causa earum nationum, quarum sunt iura consulto ex propositoque violata ab imperiosis tam elapsi quam huius nostri saeculi regiminibus.

28. In praesentia vero, post Marialem Annuni, simili animo et affectu Annum Familiae transigimus, cuius doctrina coniungitur proxime cum In-

Cf. Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 12: *AAS* 83*(1991), 807-809.

carnationis mysterio ipsaque hominum historia. Ali hinc licet spem Familiae Annum apud Nazareth incohatum, haud secus atque Annum Marialem, evadere posse alium et quidem significantem gressum praeparationis ipsius Magni Iubilaei.

Hunc ad finem Litteras ad Familias conscripsimus, ubi necessarias partes ecclesialis doctrinae de familia denuo inculcavimus eamque, ut ita dicamus, in unumquemque domesticum deportavimus focum. In Concilio Vaticano II suum aliquod officium proprium confessa est Ecclesia ut dignitatem coniugii ac familiae pro merito aestimaret.[13] Eo igitur spectat Annus Familiae, ut suum conferat etiam auxilium ad Concilii proposita his in rebus exsequenda. Ideo oportet Magni Iubilaei apparatio quodam modo omnem domum et familiam transeat. Nonne per familiam quandam, Nazarethanam videlicet, Dei Filius in hominum ingredi voluit historiam?

29. In recessu huius latissimi rerum prospectus interrogatio illa ultro cooritur: fieri potest ut certa quaedam concipiatur ratio rerum agendarum ad Iubilaei Magni proximam apparationem? Re quidem vera, quod superius est dictum, aliquas iam praebet talis rationis partes.

Ex ampliore quidem consultatione emergere debet plenior et subtilior ordinatio inceptorum 'ad hoc', ne nimis artificiosa videatur difficilisque ad complendum apud singulas ecclesiales communitates quae in adeo variatis vivunt condicionibus. Huius rei Nos conscii percontari voluimus de hoc argumento Conferentiarum episcopalium Praesides ac praesertim Cardinales Patres.

Erga venerabiles Collegii Cardinalium sodales grati sumus qui, in Consistorio Singulari diebus xm et xiv mensis Iunii superioris congregati, complures hac de re propositiones contexuerunt utiliaque etiam consilia protulerunt. Gratias pariter in episcopatu Fratribus habemus, qui multipliciter ad Nos magni ponderis proposita transmiserunt, quorum rationem diligenter habuimus Epistulam hanc Apostolicam conscribentes.

30. Prima sententia, quae generali ex illa consultatione prodiit, respicit praeparationis tempora. Ante Annum MM pauci supersunt anni: convenire visum est ut hoc temporis spatium duas in partes divideretur, quarum altera, proprie praeparatoria, ad extremos tres destinaretur annos. Censuerunt enim longius intervallum plurimas doctrinas esse conglomeraturum spiritalemque intentionem valde debilitaturum.

[13] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 47-52.

Decere ideo videbatur ad singulare illud tempus accedere per priorem quandam partem praeparationis animorum in fidelibus ipsis secundum quaestiones ampliores, ut deinceps recta proximaque via per posteriorem partem, nempe trium annorum, omnia dirigerentur ad ipsum concelebrandum Christi Salvatoris mysterium.

a) *Prior Pars*

31. Habebit itaque pars prior indolem omnino antepraeparatoriam: illuc enim spectabit, ut christianum apud populum conscientia ipsa ponderis ac significationis Iubilaei anni MM pro hominum historia redintegretur. Secum enim ortus Christi memoriam afferens nota christologica interius iam signatur.

Secundum fidei christianae partitionem in verbum ac sacramentum, magnopere interesse videtur hoc similiter tempore unico structuram memoriae cum compage celebrationis coniungere, ut non solum reminiscantur christifideles mente sua huius eventus, verum etiam salutiferam eius experiantur vim per sacramentalem actionem. Huius aetatis in christianis iubilaris commemoratio fidem in Deum confirmare debebit in Christo revelatum, inde spem ipsam sustentare in vitae aeternae exspectationem tendentem, incendere tandem caritatem pro fratrum et sororum commodo actuose operantem.

Priore temporis spatio, ab anno millesimo nongentesimo nonagésimo quarto ad sextum, curabit Apostolica Sedes opitulante proprio Comitatu quasdam exponere deliberandi agendique normas ubique et universim valituras, dum contra idem animorum comparandorum opus minutatim complebitur per Commissiones similes apud Ecclesias particulares. Prolatanda ulterius erunt, ratione quadam, quae in praeparationis intervallo remotae facta sunt simulque altius investiganda erunt elementa magis propria iubilaris eventus.

32. Tempus gratiae singularis semper est Iubilaeum, « dies placabilis Domino »: uti tale habet ipsum — quem ad modum superius est dictum — laetificam indolem. Anni MM igitur Iubilaeum esse debebit maxima precatio laudis gratiarumque actionis in primis pro Incarnationis Filii Dei dono necnon Redemptionis ab eo peractae. Volvente illo anno sese collocabunt iterum christiani novo fidei cum stupore coram Patris amore, qui Filium tradidit suum, « ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam » *(Io* 3, 16). Intimo praeterea ex animi affectu gratias referent

pro Ecclesiae dono, quae est a Christo condita tamquam « sacramentum seu signum et instrumentum intimae cum Deo unionis totiusque generis humani unitatis ».[14] Eorum haec gratiarum actio ad fructus tandem etiam sanctitatis pertinget quae in vita tot virorum mulierumque percepti sunt, qui quavis aetate omnique in historiae intervallo donum Redemptionis amplecti sine condicionibus potuerunt.

Cuiuslibet tamen Iubilaei laetitia praesertim gaudium est propter-culparum condonationem; est conversionis iubilatio. Consentaneum proinde videtur ante oculos rursus illud constituere quod totum fuit argumentum Episcoporum Synodi anno MCMLXXXIII, videlicet paenitentiam et reconciliationem.[15] Plurimum sane eventus illius Synodi in historia significavit Ecclesiae post Concilium. Vivam enim semper quaestionem conversionis (« metanoia ») retractavit, quae condicio praevia est ad conciliationem cum Deo tum singulorum hominum tum communitatum.

33. Dum ideo ad finem alterum christianae aetatis Millennium decurrit, par est Ecclesiam in se recipere pleniorem peccati filiorum suorum conscientiam, memorem nempe illorum omnium temporum per historiae decursum, quibus a Christi animo et Evangelio recesserint speciem societati exhibentes non testificationis vitae fidei bonis conformatae, sed spectaculum quorundam cogitandi agendique modorum, qui reapse formae fuerint contrariae testificationis atque offensionis.

Licet suam ob coniunctionem cum Christo sancta sit Ecclesia haud cessat umquam paenitentiam agere: suos, coram Deo et hominibus, filios confitetur peccatores semper uti proprios. Hac de re loquitur Constitutio dogmatica *Lumen gentium:* « Ecclesia in proprio sinu peccatores complectens, sancta simul et semper purificanda, paenitentiam et renovationem continuo prosequitur ».[16]

Iubilaei anni MM Porta Sancta oportebit saltem in specie multo maior prioribus sit, cum hominum genus illam attingens metam post se non saeculum modo sit relictura, verum millennium etiam. Hanc itaque semitam ingredi decet Ecclesiam lucida cum eorum omnium conscientia quae superiora per decem saecula experta sit. Transire non potest ea novi millennii ita limen, ut filios simul suos non impellat ad sui purificationem in paeni-

[14] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 1.

[15] Cf. Adhort. Ap. *Reconciliatio et paenitentia* (2 Decembris 1984): *AAS* 77 (1985), 185-275.

[16] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 8.

tentia ab erroribus et infidelitate, ab inconstantia et tarditate. Agnoscere anteacti temporis lapsus est fidelitatis actus ac fortitudinis, qui nos adiuvat ut fidem nostram roboremus ipsique nos commoneamus et comparemus ad obviam illecebris hodiernis difficultatibusque procedendum.

34. Inter delicta vero, quae maius secum important officium sive obligationem paenitentiae atque conversionis, numeranda certissime illa sunt quae unitati a Deo optatae pro Populo Dei nocuerunt. Progredientibus hisce mille annis qui iamiam terminantur, multo etiam magis quam per primum millennium, ecclesialis communio « quandoque non sine hominum utriusque partis culpa »[17] luctifica subiit discidia quae voluntati Christi aperte repugnant atque totum orbem offendunt.[18] Talia temporis superioris crimina etiamnum, pro dolor!, faciunt ut proprium pondus sentiatur maneantque totidem praesenti quoque tempore invitamenta. Necesse omnino est satisfactionem peragere, Christi invocata vehementer indulgentia.

Ultima hac in millennii parte ad Spiritum Sanctum convertere se debet Ecclesia instantioribus etiam precibus ab eoque efflagitare unitatis Christianorum donum. Decretoria quasi haec est quaestio pro evangelica in mundo testificatione. Post Concilium Vaticanum II praesertim plura suscepta sunt oecumenica opera quae magno quidem animo officioque curata sunt: dici quin immo potest universa Ecclesiarum particularium ipsiusque Sedis Apostolicae industria his annis prae se tulisse afflatum quendam oecumenicum. Pontificium Consilium ad Unitatem Christianorum fovendam una evasit ex praecipuis sedibus unde progressio plenam ad unitatem concitatur.

Nihilo tamen minus conscii sumus nobis omnes effectionem huius propositi haud esse posse virium humanarum solarum licet necessariarum fructum. Unitas namque donum denique Spiritus Sancti est. A nobis poscitur ut eidem huic dono obsequamur nihil profecto indulgentes levitati cuidam aut silentio in veritate testificanda, verum fortiter exsequentes directorias normas a Concilio descriptas et subsequentibus in documentis Apostolicae Sedis, quae a multis magni aestimata sunt christianis non plena cum Ecclesia catholica fruentibus communione.

Ecce igitur aliud christianorum officium ad annum MM accedentium. Finis ita appropinquans alterius millennii omnes hortatur ad conscientiae scrutationem atque convenientia oecumenica incepta, ut ad Iubilaeum Magnum se praestare valeant, etsi non plane unitos, multo saltem propiores

[17] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 3.
[18] Cf. *ibid.,* 1.

ad secundi millennii vincendas partitiones. Postulatur ad hoc— ut nemo non perspicit — ingens conatus. In doctrinarum inquisitione et dialogo pergendum est, at potissimum opera danda magis oecumenicae orationi. Haec multum post Concilium aucta est, sed plus etiam augescere debet pluresque cotidie continere christianos secundum amplam illam Christi precationem ante Passionem: «Pater ... ut et ipsi in nobis unum sint» *(Io* 17, 21).

35. Acerbum aliud dein caput est, ad quod Ecclesiae filii non possunt quin animo ad paenitentiam parato redeant; et hoc est manifesta consensio data, quibusdam praesertim saeculis, rationibus intolerantiae vel etiam violentiae in veritatis ministerio.

Verissimum illud, aequam historiae aestimationem carere non posse diligenti ponderatione ipsarum condicionum culturalium illius temporis, quibus impellentibus plurimi fortasse bona quidem fide arbitrabantur sinceram veritatis testificationem simul iubere alienas opiniones exstingui vel saltem secludi. Causae saepe multiplices ita concurrebant, ut semina intolerantiae sererent animumque immoderatum gignerent, a quo magnae tantummodo quaedam mentes reapse liberae ac Deo plenae sese quadamtenus subducere poterant. At haec adiunctorum mitigantium consideratio haud ab officio Ecclesiam liberat valde dolendi de tot filiorum propriorum debilitate, qui eius deformaverunt vultum, quem immo impediverunt ne plane speciem Domini crucifixi referret, qui testis supremus fuit patientis amoris humilisque mansuetudinis. Ex his tristibus praeteriti temporis partibus magisterium profluit in posteram nunc aetatem, quod videlicet unumquemque christianum adducere debet ut firmiter principio aureo insistat a Concilio prolato: « Nec aliter veritatem sese imponere nisi vi ipsius veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur ».[19]

36. Seria conscientiae inquisitio exoptata est a plurimis cardinalibus et episcopis maxime pro Ecclesia huius nostrae aetatis. Ad novi millennii limen se sistant christiani oportet ante Dominum atque ex sese quaerant quas partes ipsi quoque in huius temporis nostri mala contulerint. Dies enim nostri iuxta lumina multa, non pauca ostendunt obscuriora.

Exempli gratia, taceri non potest indifferens de religione animus, qui multos homines hodiernos adducit ut vivant tamquam si Deus omnino non sit, aut ut sibi satisfaciant aliquo vago religionis sensu, qui componi non

[19] CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 1.

potest cum veritate nec cum officio constantiae in veritate. Huc pariter accedit amissus plerumque altior sensus vitae humanae atque confusio in provincia ethicae doctrinae, vel in principalibus bonis alicuius observantiae erga vitam ac familiam. Hoc igitur filiis etiam Ecclesiae est comprobandum: quantum et ipsi saecularismi affectione moventur et relativismi etnici? Quantam et ipsi agnoscere debent partem suam coram crescente religionis lapsu, quod nempe germanum Dei vultum non demonstraverint « etiam vitae suae religiosae, moralis ac socialis defectibus »?[20]

Negari quidem nullo modo potest spiritalem ipsam vitam multos apud christianos discrimen quoddam dubitationis perpeti, quod non moralem solam vitam tangat, sed orationem quoque ipsamque immo theologalem integritatem fidei. Haec namque iam temporis nostri condicionibus temptata, nonnumquam perturbatur falsis opinationibus theologicis quae ob summam difficultatem oboedientiae erga Ecclesiae Magisterium disseminantur.

Quod autem ad Ecclesiae testimonium attinet inter huius temporis homines, quis non cruciatur ob deficientem intellegentiam, nonnumquam transeuntem in consensum, multorum christianorum coram fundamentalium iurium humanorum violatione a regiminibus absolutis? Nonne similiter lamentari par est, inter praesentis aetatis tenebras, de participato opere tot christianorum gravibus in casibus iniuriae atque segregationis socialis? Interrogari licet quot inter eos funditus cognoverint congruenterque impleant normas socialis Ecclesiae magisterii.

Conscientiae investigatio non potest nec Concilii repudiationem praetermittere, magni profecto Spiritus muneris Ecclesiae tributi sub alterius millennii finem. Quatenus Dei Verbum plenius evasit theologiae ipsa anima atque impulsus totius christianae vitae, quem ad modum Dei Verbum poposcit? Viviturne liturgia velut « fons et culmen » ecclesialis vitae secundum praecepta constitutionis *Sacrosanctum Concilium?* Confirmaturne, in Ecclesia universali necnon particularibus communitatibus, ecclesiologia communionis quae reperitur in *Lumen gentium,* unde conceditur charismatibus ministeriis variisque formis participationis Populi Dei locus, neque tamen obsecundatur cuidam democraticismo et sociologismo qui catholicam Ecclesiae visionem non refert nec veram Concilii Vaticani II mentem? Gravissima haec interrogatio genus necessitudinis Ecclesiam inter et mundum respicere debet. Regulae conciliares — in Constitutione *Gaudium et spes* aliisque item documentis praebitae — de dialogo aperto et officioso et

[20] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 19.

humano, cui tamen diligens prudentia ac testificatio veritatis animosa comitantur, valent etiamnum nosque ad ulterius provocant opus.

37. Primi millennii Ecclesia ex martyrum sanguine orta est: « Sanguis martyrum - semen christianorum ».[21] Eventus illi, qui Constantini tempore acciderunt, progressum Ecclesiae, qui primo procedente millennio occurrit, haudquaquam praestare potuissent, nisi per martyrum sementem et sanctitatis patrimonium, quae christianum primaevum unxerunt. Altero ad finem vergente millennio, Ecclesia rursus facta est martyrum Ecclesia. Fidelium persecutio — scilicet sacerdotum, religiosorum laicorumque — magnam ubique terrarum fecit martyrum sementem. Qui Christo testimonium reddiderunt usque ad sanguinis effusionem, commune habentur patrimonium inter catholicos, orthodoxos, anglicanos et novatores, ut in homilia de Martyrum Ugandensium canonizatione ostendit Paulus VI.[22]

Testimonium hoc non est de memoria deponendum. Primaeva Ecclesia, etsi in suis componendis rebus laboravit valde, in opportunis martyrologiis martyrum testimonia voluit servare. Quae martyrologia saeculorum decursu usque sunt aucta, atque in catalogum Ecclesiae sanctorum beatorumque ingressi sunt non modo qui pro Christo sanguinem fuderunt, sed fidei etiam magistri, missionarii, confessores, episcopi, presbyteri, virgines, coniuges, viduae, filii.

Nostra autem aetate martyres redierunt, saepe incogniti, tamquam « milites ignoti » magnae Dei causae. Quantum fieri potest, in Ecclesia eorum testificationes non sunt amittendae. Ut in Consistorio monitum est, oportet ut particulares Ecclesiae omnibus viribus contendant ne pereat memoria eorum qui martyrium obierunt, apta colligentes documenta. Id etiam speciem oecumenicamque formam obtinebit. Sanctorum martyrumque oecumenismus fortasse magis persuadet. Communio sanctorum elatius loquitur quam divisiones et dissidia. Primorum saeculorum martyrologium fulcimentum fuit cultus sanctorum. Suorum filiorum suarumque filiarum sanctitatem cum praedicaret et veneraretur, summum honorem ipsi Deo reddebat Ecclesia; in martyribus Christum venerabatur, qui erat origo eorum martyrii ac sanctitatis. Canonizationis deinceps consuetudo inducta est, quae nunc in Ecclesia catholica continuatur necnon apud orthodoxas communitates. His temporibus canonizationes et beatificationes multiplicatae sunt: hae vim vigoremque Ecclesiarum particularium significant, quae

[21] TERTULLIANUS, *Apol.* 50,13: *CCL* I, 171.
[22] Cf. *AAS* 56 (1964), 906.

quidem sunt multo plures hodie quam primis saeculis primoque millennio. Maximus Christo tributus honor, tertio appetente millennio, afferet secum demonstrationes: Redemptoris praesentiae per fidei, spei caritatisque fructus in tot hominibus mulieribusque omnium gentium qui Christum in multiformi vitae christianae vocatione sunt secuti.

Sub annum bismillesimum officium erit Apostolicae Sedis pro Ecclesia universali martyrologia aptare viasque pervestigare, quibus etiam nostris temporibus hominum sanctitas probetur, qui Christi veritatem vixerunt. Virtutum heroicitas agnoscatur praesertim virorum et mulierum quotquot christianam impleverunt vocationem in Matrimonio. Cum autem nobis conscii prorsus simus in tali condicione sanctitatis fructus gigni, necesse omnino habemus aptas invenire vias, ut eos percipiamus et Ecclesiae ostendamus veluti ceterorum christianorum coniugum exemplaria et incitamenta.

38. Episcopi Cardinalesque aliarum Synodorum continentalium necessitatem confirmaverunt ad exemplum illarum iam peractarum in Europa et Africa. Episcopatus Latini-Americani novissima Generalis Congressio, Americae Septentrionalis consentiente Episcopatu, ad consilium agendae Synodi totius Americae accessit de quaestionibus novae evangelizationis pertractandis in utraque eiusdem continentis parte, admodum discrepante ob origines et historias. Argumenta deinde oportet de iustitia et oeconomicis necessitudinibus internationalibus excutiantur, dum latissimus hiatus penditur, qui est inter septentrionales et meridianas regiones.

Synodus indolis continentalis opportune Asiam respiciet, ubi gravior est causa et condicio christianismi convenientis cum ceteris ibidem religionibus et perantiquo cultu. Magna haec est provocatio ipsius evangelizationis, cum religiones sicut Buddismus vel Hinduismus salutiferam secum importent speciem. Premet igitur omnino Synodi necessitas, Magno appetente Iubilaeo, ut veritas de Christo, qui unus est inter Deum et homines Mediator ipseque unus mundi Redemptor, illustretur et vestigetur, qui simul ab aliis religionum conditoribus est penitus distinguendus, in quibus tamen quaedam vera reperiuntur, quas observanter aestimat Ecclesia, cum in iis Veritatis indicia videat, quae illuminat omnem hominem.[23] Anno MM renovato vigore enuntiatio veritatis erit proferenda: « Ecce natus est nobis Salvator mundi ».

[23] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas *Nostra aetate,* 2.

In Oceania quoque utilis erit regionalis Synodus. In illa proinde Continenti, inter cetera, est de indigenis disceptandum, qui mirum in modum quasdam primigenii hominis formas in memoriam redigunt. Hac in Synodo ergo, una cum ceteris quaestionibus, minime quidem spernenda illa de christianismi occursu cum religiositate antiquissimarum formarum, insignite praeditarum proprietatibus monotheismi.

b) *Altera pars*

39. Animorum autem sensibus sic concitatis, altera pars explicari potest, Iubilaeum videlicet paratura. Ea per tres annos producetur, scilicet ab anno MCMXCVII ad MCMXCIX. Huius triennii proposita structura, cuius cardo erit Christus Filius Dei homo factus, alia esse non potest quam theologica, id est trinitaria.

Primo anno: Christus Iesus

40. Primus annus MCMXCVII insumet de Christo cogitationem, qui est Verbum Patris, per Spiritum Sanctum homo factus. Nam Iubilaei natura omnino christologica est efferenda, cum Incarnatio et in orbem Filii Dei adventus celebrentur, mysterium scilicet salutis omni hominum generi deferendae. Universale argumentum, quod complures Cardinales et Episcopi elegerunt, est: « Iesus Christus, unus mundi Salvator, heri et hodie, idem et in saecula» (cf. *Heb* 13, 8).

Ex christologicis argumentis in Consistorio significatis, haec exstant: Christus Salvator et Evangelizator iterum in luce ponitur, ob oculos praesertim Lucae Evangelii IV capite habito, ubi Christi ad evangelizandum missi argumentum cum Iubilaei quaestione implicatur; eius Incarnationis necnon ex virginali Mariae gremio ortus mysterium penitus vestigandum; fidei in Eum necessitas ad salutem assequendam.

Temporis spatium quod a Iubilaeo nos seiungit oportet a christianis renovato studio in sacra Biblia transigatur, « sive per sacram Liturgiam divinis eloquiis confertam, sive per piam lectionem, sive per institutiones ad id aptas aliaque subsidia ».[24] Etenim in revelato scripto benigne obviam fit ipse caelestis Pater et nobiscum conversatur, Filii unigeniti ostendens naturam eiusque salutis humanae mysterium.[25]

[24] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 25.
[25] Cf. *ibid.,* 2.

41. Sacramentorum recipiendorum opus supra memoratum, hoc decurrente anno, in Baptismi vi confirmanda potest inniti, qui fundamentum habetur vitae christianae, ad Apostoli verba: « Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis » *(Gal* 3, 27). Catholicae Ecclesiae Catechismus ceterum dicit: « Communionis fundamentum inter cunctos christianos iacit baptismus, cum iis quoque, quibus plena nondum est cum catholica Ecclesia communio ».[26] Ex parte ipsa oecumenismi, erit magni momenti annus ad oculos simul in Christum vertendos, qui est solus Dominus, officio sumpto ut unum cum eo fiamus, secundum eius ad Patrem precem. Utpote cum Christus in medio exsistat tum etiam Dei Verbum fidesque, aliarum confessionum christianarum studium, comprobationem et consensum haud defore arbitramur.

42. Omnia nempe in primarium Iubilaei propositum tendere debebunt, quod est fidem christianorumque testimonium confirmare et roborare. Oportet, ergo, concitetur in unoquoque fideli vehemens sanctitatis impetus, flagrans in conversionem et sui ipsius renovationem desiderium dum precationis usque ardentioris sensus acuitur dumque proximus, indigentissimus praesertim, comiter suscipitur.

Primus ideo annus erit tempus acceptabile, ut catechesis in suo vero primigenioque sensu revocetur, videlicet sicut « doctrina Apostolorum » *(Act* 2, 42) de Iesu Christi persona ac de ipsius salutis mysterio. Perutilis idcirco erit Catholicae Ecclesiae Catechismus, qui pervestigatus « fideliter quidem atque disposite exhibere debet doctrinam Bibliorum Sacrorum vivaeque in Ecclesia Traditionis, authentici Magisterii pariterque spiritualis hereditatis Patrum, sanctorum sanctarumque Ecclesiae, quo melius christiana mysteria cognoscantur atque fides populi Dei reficiatur ».[27] Ut in rebus concretis haereamus, non omittendum est fidelium conscientiam illuminare quoad errores Christi personam afficientes, sententiis Eidem et Ecclesiae contrariis congruenter collustratis.

43. Maria sanctissima, quae quasi « oblique » adstabit cum res Iubilaei parabuntur, hoc primo anno praesertim in mysterio divinae suae Maternitatis conspicietur. In eius ventre Verbum caro factum est! Affirmatio Christum in medio esse non potest ergo disiungi a comprobatione partium quas Sanctissima Mater eius egit. Eius cultus quidem, si bene illustratur, nullo modo potest detrimentum inferre « dignitati et efficacitati Christi unius

[26] ***Catholicae Ecclesiae Catechismus,*** **n. 1271.**

[27] **Const. Apost. *Fidei depositum* (11 Octobris 1992): *AAS* 86 (1994), 116.**

Mediatoris ». Maria enim monstrat perenniter divinum Filium suum atque proponitur cunctis credentibus tamquam fidei in cotidiana vita agenda exemplar. « Ecclesia de Ea pie recogitans Eamque in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum Incarnationis mysterium venerabunda penitius intrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur ».[29]

Secundo anno: Spiritus Sanctus

44. Annus MCMXCVIII, annus secundus praeparatorii temporis, Spiritui Sancto eiusdemque sanctificanti intra Communitatem Christi discipulorum praesentiae peculiari modo dicabitur. « Magnum Iubilaeum, quod annum bis millesimum concludet... est — sic in Litteris Encyclicis *Dominum et vivificantem* scripsimus — ... indolis pneumatologicae, quandoquidem incarnationis mysterium factum est « operante Spiritu Sancto ». Illud Spiritus Sanctus est operatus, qui — Patri et Filio consubstantialis — in absoluto mysterio Dei, unius et trini, est Persona amor, donum increatum, quod fons est omnium largitionum provenientium a Deo in ordine creationis, principium directum et quadamtenus subiectum, quo Deus ipse se communicat in ordine gratiae. Mysterium Incarnationis est culmen huius largitionis, huius commercii, quo Deus se ipsum communicat.[30]

Ad hoc bimillenarium praestitutum tempus Ecclesia se componere non potest ullo « alio modo, nisi in Spiritu Sancto. Quae "in plenitudine temporis" facta sunt de Spiritu Sancto, solum per hunc possunt emergere ex Ecclesiae memoria ».[31]

Spiritus enim in omnium temporum locorumque Ecclesia unicam Revelationem praesentem reddit, quae a Christo hominibus allata est, ut in uniuscuiusque animo viva fiat et efficax: « Paraclitus autem, Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia, quae dixi vobis » *(Io* 14, 26).

45. Quamobrem inter praecipua officia Iubilaei apparandi praesentia iterum exploranda Spiritus agentis annumeratur, qui in Ecclesia tum sacramentaliter, maxime per Confirmationem, tum denique in peculiaritate diversorum charismatum, munerum ministeriorumque quae Ipse pro ipsius bono induxit, agit. « Unus est Spiritus, qui varia sua dona, secundum divitias suas atque ministeriorum necessitates, ad Ecclesiae utilitatem dispertit

[28] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 62.
[29] *Ibid.,* 65.
[30] Litt. Encycl. *Dominum et vivificantem* (18 Man 1986), 50: *AAS* 78 (1986), 869-870.
[31] *Ibid.,* 51 : *l.c,* 871.

(cf. *1 Cor* 12, 1-11). Inter quae dona praestat gratia Apostolorum, quorum auctoritati ipse Spiritus etiam charismaticos subdit (cf. *1 Cor* 14). Idem Spiritus per Se suaque virtute atque interna membrorum connexione corpus unificans, caritatem inter fideles producit et urget ».[32]

Spiritus nostro quoque aevo primus novae evangelizationis est auctor. Magni ideo erit momenti reditus ad Spiritum, ad eum quidem qui Dei regnum per historiae tempora aedificat eiusque plenam in Christo Iesu revelationem parat, interius homines movens et intra cotidianam hominum vitam perfectae salutis semina eliciens quae in consummatione fiet temporum.

46. Hoc eschatologico in prospectu, fideles ad iterum spem retegendam vocantur, virtutem scilicet theologalem, quam ante audiverunt « in verbo veritatis Evangelii » *(Col* 1, 5). Praecipuus habitus spei simul christianum ne novissimae metae obliviscatur impellunt, qua omnis eius vita imbuitur et significatur, simul solidas altasque rationes praebet, in cotidiana opera, ut res commutentur Deique proposito aequentur.

Commemorat Paulus apostolus: « Scimus enim quod omnis creatura congemiscit et comparturit usque adhuc; non solum autem, sed et nos ipsi primitias Spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum exspectantes, redemptionem corporis nostri. Spe enim salvi facti sumus » *(Rom* 8, 22-24). Christiani invitantur ut se tertii millennii Magni Iubilaei ad initium incohandum expédiant, suam spem renovantes in ultimum adventum regni Dei, dum in se ipsi illud in dies parant, in christiana tum Communitate tum in sociali ambitu, in quo vivunt, tum demum in mundi historia.

Spei signa quae in hoc saeculo ad finem vergente insunt, recte sunt aestimanda et altius confirmanda, quamvis quaedam sint umbrae quae eadem occultant; scilicet in civili provincia, progressus, quos scientia est consecuta ars et praesertim medicina homini serviens, acrior rerum naturae conscientia, conatus in pacem iustitiamque instaurandas ubicumque terrarum illae violatae sint, reconciliationis solidarietatisque inter gentes voluntas, praesertim inter complicatas necessitudines septentrionalis regionis et meridianae...; in ecclesiali provincia: Spiritus ipsius vocis attentior auditus dum charismata suscipiuntur et laicatus provehitur, studiosa dedicatio ad unitatem componendam inter omnes christianos, dialogus inter religiones et hodiernam culturam institutus...

[32] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 7.

47. Fidelium meditationes in altero praeparationis anno convertendae erunt admodum sollicite intra Ecclesiam in unitatis aestimationem, ad quam varia dona et charismata tendunt, quae in ea excitavit Spiritus. Quam ob rem opportune pervestigabitur ecclesiologica doctrina dogmaticae Constitutionis quae est *Lumen gentium.* Hoc magni momenti documentum de industria asseveravit Christi Corporis unitatem in Spiritu agente niti, ministerio apostolico despondi atque mutua caritate inniti (cf. *1 Cor* 13, 1-8). Haec catechetica fidei meditatio adducet profecto populi Dei fideles ad integrationem suarum responsalitatum notionem, sic ut ad vividiorem cognitionem pretii ecclesialis oboedientiae.[33]

48. Maria, quae Verbum incarnatum per Spiritum Sanctum concepit, quaeque tota in vita se ab eodem interius agente duci passa est, spectabitur nobisque exemplar erit per hunc annum mulieris Spiritui vocanti docilis, silentii, auditionis speique mulieris, utpote quae sicut Abraham voluntatem Dei acceperit quia « contra spem in spe credidit » *(Rom* 4, 18). Luculenter pauperum Jahve desideria expressit atque veluti exemplar exstat iis qui intimo ex animo Dei promissionibus sese committunt.

Tertio anno: Deus Pater

49. Annus MCMXCIX, tertius et postremus praeparatorius annus, prospectum mentis fidelium dilatare debet ad ipsam Christi mensuram, quae est mensura «Patris qui est in caelis» (cf. *Mt* 5, 45), a quo missus est et ad quem rediit (cf. *Io* 16, 28).

« Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti, Iesum Christum » *(Io* 17, 3). Vita tota christiana tamquam magna est peregrinatio ad Patris domum, cuius cotidie summus in omnem humanam creatur am amor conspicitur, singulariter in « perditum filium » (cf. *Lc* 15, 11-32). Iter hoc intimam personae partem complectitur, deinceps ad credentium communitatem extenditur, et ad cunctum hominum genus.

Iubilaeum, cuius medium locum obtinet Christus, magna fit laudis actio Patri: « Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate » *(Eph* 1, 3-4).

Cf. *ibid.*, 37.

50. Hoc tertio anno conscientia « itineris ad Patrem » omnes impellet ut, Christo hominum Redemptori assentientes, verae conversionis iter ineant, quae simul secum fert rem «negantem», liberationem scilicet a peccato, simul rem « affirmantem », id est boni electionem, quae quidem exprimitur moribus et iussis, quae ex naturali lege manant quaeque Evangelio confirmantur. Hic est congruus prospectus, in quo Paenitentiae sacramentum revirescere debet idque studiose sua in altiore significatione celebrari. Conversionis praeconium, quod necessario christianus amor postulat, in hodierna hominum societate magnum habet pondus, in qua fundamenta ipsa moralis considerationis humanae exsistentiae amissa videntur.

Quocirca in bono lumine theologalis caritatis virtus oportet locetur, hoc praesertim anno, primae Ioannis epistulae pressa memorata sententia: « Deus caritas est » (4, 8. 16). Caritas, duplici sua facie amoris in Deum et fratres, prope est vitae moralis credentis compendium. In Deo ipsa invenit fontem suum suumque egressum.

51. Hoc rerum in conspectu, dum memoratur Iesum venisse ut «pauperes evangelizarentur» (cf. *Mt* 11, 5; *Lc* 7, 22), quomodo firmius non habeatur illud: ab Ecclesia pauperes et derelictos potiores esse aestimandos? Quin immo est dicendum officium pacem iustitiamque tuendi tali in hoc nostro mundo, qui tot contentionibus notatur atque oeconomicis socialibusque inaequalitatibus, Iubilaei praeparationis et celebrationis praecipuam esse partem. Sic sub libri Levitici lumine (25, 8-12) omnium mundi pauperum personam induere debent christiani, Iubilaeum proponentes veluti opportunum tempus decernendi inter alia de internationalis aeris alieni retractatione, si non cuncta de eiusdem remissione, quo complures Nationes gravantur. Iubilaeum porro opportunitatem dabit de aliis provocationibus huius temporis meditandi, quae sunt ex. gr. difficultas dialogum instituendi inter diversos cultus, quaestiones de mulieris iuribus tuendis necnon de familia Matrimonioque provehendis.

52. Spectata insuper sententia: «Christus... in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit »,[34] duo opera peculiariter explicari debebunt hoc tertio praeparatorio evolventi anno, quorum alterum dialogum inter magnas religiones alterum saecularismi contentionem complectetur.

[34] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.

Ad proximum superius, de civilis cultus discrimine latum argumentum erit pertractandum, quod sensim in occidentalibus maxime Nationibus occurrit, quae quoad res technicas sunt cultiores, sed intus ad egestatem redactae, Dei quippe immemores vel ab Eo procul seiunctae. Cultus autem civilis discrimini civilis cultus amoris est obiciendus, qui in universalibus pacis, solidarietatis, iustitiae et libertatis bonis consistit, quae in Christo plenam consummationem reperiunt.

53. Quod autem ad religiosae conscientiae ambitum pertinet, bismillesimi pervigilium, proximis superioribus his quoque perspectis eventibus, commodam dabit occasionem interreligiosum instituendi dialogum, secundum perspicua Concilii Vaticani II indicia, quae in illa Declaratione de Ecclesiae habitudine ad Religiones non-Christianas, cuius verba sunt prima « Nostra aetate », continentur.

Illo in dialogo primas partes agent Hebraei et Muslimi. Utinam communiter aliquem in locum, conspicuum sane magnis unius Dei religionibus, conveniatur ut haec proposita compleantur et significentur.

Quapropter exquiritur quemadmodum hinc ad conveniendum congressiones historice praeclarae apparentur, scilicet Bethlehem, Ierusalem, Sinai, loca videlicet quae magnam habent significantem vim, ut dialogus inter Hebraeos et Muslimos confirmetur, illinc magnarum huius orbis religionum sodalibus in aliis urbibus occurratur. At semper erit animadvertendum et periculum attente vitandum ne falsa eos teneat opinio de syncretismo deque quodam facili fallacique irenismo.

54. Hac in lata officiorum provincia, Maria Sanctissima, filia Patris electa, credentium oculis exemplar amoris perfectum ostenditur, tum in Deum tum in proximum. Sicut ipsa in cantico « Magnificat » dicit, magna fecit in ea qui potens est et sanctum nomen eius (cf. *Lc* 1, 49). Pater nempe Mariam ad unicam missionem in historia salutis elegit, ut Mater profecto esset exspectati Salvatoris. Virgo vero prompte et expedite Deo vocanti respondit: «Ecce ancilla Domini» *(Lc* 1, 38). Eius maternitas apud Nazareth incohata maximeque Ierusalem sub Cruce exacta, veluti blanda urgensque invitatio percipietur, quae ad omnes Dei filios destinatur, ut domum Patris repetant eiusdem maternam vocem exaudientes: « Quodcumque dixerit vobis, facite » (cf. *Io* 2, 5).

c) *Celebratio agenda*

55. Pars erit sui iuris, quae ipsam celebrationem Magni Iubilaei complectetur, quae eodem tempore in Terra Sancta, Romae et particularibus

ubique terrarum Ecclesiis agetur. Hoc praesertim tempore, ipsa celebratione evolvente, illud statuitur propositum, ut Trinitas glorificetur, ex qua omnia oriuntur et ad quam omnia vergunt, in mundo et historia. Ad hoc mysterium tres proximae praeparationis anni tendunt: a Christo et per Christum, in Spiritu Sancto, ad Patrem. Hoc quidem sensu iubilaris celebratio consummat simulque metam et vitae christiani Ecclesiaeque expletum cursum in Deo uno et trino antefert.

Cum autem sola ad Patrem via sit Christus, quo clarius viva salutiferaque in Ecclesia et in mundo praesentia illustretur, Romae ob Magni Iubilaei occasionem, Congressus eucharisticus internationalis celebrabitur. MM annus erit penitus eucharisticus: in Eucharistiae sacramento Salvator, in Mariae sinu abhinc viginti saecula incarnatus, divinae vitae sicut fontem se offerre pergit humanitati.

Oecumenica universalisque Sacri Iubilaei facies panchristiano conventu opportune illuminabitur. Res haec erit magni ponderis et idcirco, ut falsae opinationes vitentur, prudenti consilio erit diligenter paranda, dum fraternus consociatae operae sensus cum christianis ceterarum Confessionum traditionumque servatur, dumque animus gratus illis fit obviam religionibus, quarum sodales ad communem laetitiam omnium Christi discipulorum benignam mentem forte con vertere volent.

Certum quidem est: invitari singulos, quoad facultas fert, ut efficiant ne anni MM magna provocatio neglegatur, quocum procul dubio peculiare Domini beneficium pro Ecclesia et cuncta humanitate iungitur.

56. Duo milia annorum continuatur Ecclesia. Sicut evangelicum illud granum sinapis, ipsa adolescit et magna fit arbor, ut suis foliis cunctam humanitatem tegat (cf. *Mt* 13, 31-32). Concilium Vaticanum II in Constitutione dogmatica de Ecclesia, quaestionem ponderans de iis qui in numero sunt Ecclesiae quique ad Dei Populum referuntur, ita asseverat: « Ad hanc igitur catholicam Populi Dei unitatem (...) omnes vocantur homines, ad eamque variis modis pertinent vel ordinantur sive fideles catholici, sive alii credentes in Christo, sive denique omnes universaliter homines, gratia Dei ad salutem vocati ».[35] Paulus VI autem in Litteris Encyclicis *Ecclesiam suam* universalem hominum implicationem in Dei proposito illuminat, dialogi salutiferi varios gradus efferens.[36]

Sub huius cogitationis lumine melius evangelica fermenti parabola intellegitur (cf. *Mt* 13, 33): Christus, divini fermenti instar, altius usque se in

[35] **CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 13.**

[36] **Cf. PAULUS VI, Litt. Encycl. *Ecclesiam suam* (6 Augusti 1964), III: *AAS* 56 (1964), 650-657.**

praesentem hominum vitam insinuât, salutis opus a Se in paschali Mysterio patratum proferendo. Ipse quoque in suo salvifico dominatu quidquid fuit humani generis retro usque ad Adamum complectitur.[37] Ad Eum pertinet posteritas: « Iesus Christus heri et hodie idem, et in saecula » *(Heb* 13, 8). Ecclesia ceterum «unum tantum intendit: nempe, Spiritus Paracliti ductu, opus ipsius continuare Christi, qui in mundum venit ut testimonium perhiberet veritati, ut salvaret, non ut iudicaret, ut ministraret, non ut sibi ministraretur ».[38]

57. Itaque ab apostolicis usque temporibus, indesinenter Ecclesiae missio intra universalem hominum familiam producitur. Prima evangelizatio regiones praesertim mediterráneas attigit. Primo volvente millennio missiones, a Romana et Constantinopolitana proficiscentes urbe, in Europaeam totam continentem christianum nomen induxerunt. Eodem tempore se eaedem in mediam Asiam rettulerunt, usque ad Indiam ac Sinas. Sub saeculi XV exitu, simul atque America detecta est, evangelicus nuntius magnam in illam continentem, tum in septentrionalem tum in australem partem coeptus est proferri. Per idem tempus, cum meridiana Africae Saharensia litora Christi lumen accipiebant, sanctus Franciscus Xaverius, missionum patronus, in Iaponiam appulit. Inter XVIII et XIX saecula laici quidam in Coream christianam religionem attulerunt. Hoc eodem tempore evangelicus nuntius in paeninsulam Indosinensem simul atque in Australiani et Pacifici insulas allatus est.

Saeculum autem XIX magnum vidit missionarium fervorem inter Afrorum gentes. Omnia haec incepta fructus pepererunt, qui etiam nunc manent. Concilium Vaticanum II hos recenset in Decreto de activitate missionali Ecclesiae *Ad gentes.* Post Concilium agitaverunt missionalem quaestionem Litterae Encyclicae *Redemptoris missio,* in quibus missionum negotia, ad alteram partem huius saeculi pertinentia, sunt tractata. Ecclesia futuro quoque de tempore missionaria esse pergit, cum ad suam ipsius naturam spectet missionaria indoles. Magnis dilapsis Europae institutionibus doctrinae christianae adversis, scilicet nazismi primum deindeque communismi, omnino necesse est et illud instare, ut Europae viris mulieribusque liberans Evangelii nuntius rursum ministretur.[39] Praeterea, ut Litterae Encyclicae *Redemptoris missio* aiunt, condicio Areopagi Atheniensis in hoc orbe terra-

[37] Cf. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium, 2.*

[38] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 3.

[39] Cf. *Declaratio* Specialis Coetus Europae Synodi Episcoporum, n. 3.

rum iteratur, ubi sanctus Paulus locutus est.[40] Multi sunt hodie « areopagi » iique multiplices: latae sunt provinciae nempe civilis cultus hodierni, culturae, politicae rei et oeconomicae. Quo magis Occidens a christianis radicibus separatur, eo plus fit missionis terra, quam vari « areopagi » occupant.

58. Futurum orbis Ecclesiaeque tempus ad iuvenes hominum Stirpes pertinet, ad eas quidem, quae, hoc aevo ortae, subsequenti saeculo erunt adultae, primo scilicet novi millennii. Christus iuvenes opperitur, quemadmodum iuvenem illum exspectavit, qui eum interrogavit: « Quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam'? » *(Mt* 19, 16). De responsione a Christo data, in Litteris Encyclicis *Veritatis splendor* sumus locuti et antea similiter in Litteris totius orbis terrarum iuvenibus destinatis anno MCMLXXXV. Iuvenes, omni in statu, in cunctis terrarum regionibus, interrogare Christum haud cessant: eum conveniunt eumque quaerunt ut eum rursum interrogent. Si autem semitam sequentur quam Ipse ostendit, laetari poterunt, quod operae aliquid contulerint, ut Christus praesens sit proximo saeculo et deinceps usque ad temporum consummationem. « Iesus Christus heri et hodie idem, et in saecula ».

59. Dum itaque finis fit sermonis, opportune occurrunt verba Constitutionis pastoralis *Gaudium et spes:* « Credit autem Ecclesia Christum, pro omnibus mortuum et resuscitatum, homini lucem et vires per Spiritum suum praebere ut ille summae suae vocationi respondere possit; nec aliud nomen sub caelo datum esse hominibus, in quo oportet eos salvos fieri. Similiter credit clavem, centrum et finem totius humanae historiae in Domino ac magistro suo inveniri. Affirmat insuper Ecclesia omnibus mutationibus multa subesse quae non mutantur, quaeque fundamentum suum ultimum in Christo habent, qui est heri, hodie, Ipse et in saecula. Sub lumine ergo Christi, Imaginis Dei invisibilis, Primogeniti omnis creaturae, Concilium, ad mysterium hominis illustrandum atque cooperandum in solutionem praecipuam quaestionum nostri temporis inveniendam, omnes alioqui intendit

Dum igitur fideles invitamus, ut plurima prece a Deo lumina et iuvamina petant necessaria nempe ad praeparationem et Iubilaei celebrationem quod iamiam instat, Venerabiles in episcopatu Fratres necnon ecclesiales

[40] Cf. Litt. Encycl. *Redemptoris missio* (7 Decembris 1990), 37, c: *AAS* 83 (1991), 284-286.

[41] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 10.

Communitates iisdem demandatas cohortamur, ut cor suum ad Spiritus suasiones suscipiendas recludant. Non deerit Ipse animis, qui eminentem iubilarem eventum acturi renovata fide studiosaque opera se ipsi expédiant.

Munus hoc totius Ecclesiae superne intercedenti Mariae, Redemptoris Matri, addicimus. Ipsa profecto, Mater pulchrae dilectionis, christianis tertii millennii in magnum Iubilaeum procedentibus quoddam erit Sidus, quod firmiter gressus Domino obviam moderabitur. Humilis Nazarethana Puella, quae abhinc duo milia annorum Verbum incarnatum mundo obtulit, novi millennii homines versus Eum gubernet, qui est « lux vera, quae illuminat omnem hominem » *(Io* 1,9).

His animi permoti sensibus Benedictionem Apostolicam universis singulisque elargimur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die x mensis Novembris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servae Ioannae Beretta Molla Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Mulier timens Deum ipsa laudabitur, filii eius beatissimam praedicaverunt, vir eius laudavit eam *(Prv.* 31,30.28)

Mira sane mulier, vitae amans, sponsa, mater, medicinae artem egregie exercens, Ioanna Beretta Molla vitam studiose obtulit, ut quem conceperat is viveret. Ob artem quam callebat sibi prorsus erat conscia quid passura esset, at impendium sui non timuit, suarum virtutum confirmans claritudinem. Ipsa igitur fulgens exstabat Evangelii testis eiusque ecclesialis glorificatio permagnum aetatis nostrae nuntium christianis familiis affert.

Ioanna Beretta Maxentae orta est, in provincia dioecesique Mediolanensi, die iv mensis Octobris anno MCMXXII, decima ex tredecim liberis, parentibus Alberto Beretta et Maria De Micheli. A pueritia fidei donum plene accepit et christianae doctrinae germanam institutionem, ipsis docentibus parentibus, qui eam erudierunt ut vitam veluti mirum Dei donum existimare^ ut Providentiae confideret, utque de necessitate et efficacitate precationis certa esset.

Cum adolesceret, expers non fuit difficultatum et aerumnarum, quae scholae immutationes fuerunt, familiae translationes, aegrotationes morsque parentum. Haec tamen omnia non vulnera laboresque induxerunt, pro eiusdem spiritalis vitae ubertate et altitudine, immo ipsius sensum acuerunt virtutem que extulerunt.

Dum Lyceum frequentaret Studiorumque Universitatem amabilis iuvenis conspiciebatur pariter ac firma modestaque, atque, dum studiis diligenter vacabat, fidem suam explicabat apostolicum opus curiose sustinendo inter Actionis Catholicae iuvenes atque senes indigentesque iuvando. Actionis Catholicae puellis scripsit: « Ex vestra expleta vocatione aeterna pendet felicitas et terrestris. Quaeque vocatio est vocatio ad maternitatem materialem, spiritalem, moralem, quia Deus inclinationem ad vitam in nobis posuit. Ad suam quisque vocationem se expediat oportet, ad vitam donandam. Si in vocatione nostra adimplenda acciderit ut monendum sit, hic erit pulcherrimus vitae nostrae dies ».

In medicina et chirurgia doctrix renuntiata anno MCMXLIX apud Studiorum Universitatem Papiensem, anno MCML ambulatorium medicum constituit Meseri, quod est municipium Maxentanum; in paediatria apud Universitatem Studiorum Mediolanensem politiorem consecuta est artem anno MCMLii, sed matresfamilias, pueros, senes et pauperes curavit potissimum.

Cum operam suam navat, quam quidem missionem existimat et explet, munus apostolicum suum industrie auget, atque pariter vivendi laetitiam per montium lustrationem et rerum naturae fruitionem ostendit. Se ipsa sua precatione et aliorum percontatur de vocatione sua, quam Dei donum diiudicat. Matrimonii vocationem postquam elegit, perstudiose complexa est et spopondit se omni vi « familiae vere christianae formandae » dedicaturam. Cum Doctore machinario Petro Molla desponsata, hoc tempus in laetitia precationeque exigit. Die xxiv mensis Septembris anno MCMLV in basilica S. Martini Maxentae matrimonium felicissime contraxit. Anno MCMLVi, mense Novembri Petrum Aloisium peperit et subsequenti anno, mense Decembri, Mariolinam, anno MCMLIX, mense Iulio, Lauram. Optime simpliciterque matris officium, cum uxoris, medicae artis peritae et vivendi laetitiae coniunxit.

Tertio labente mense a quarto conceptu, uteris fibroma comparuit. Initium fuit eius holocausti. Sectionem chirurgicam iniit, aperte expostulans ut tumor evelleretur, salva filióla concepta, quamvis sciret se magnum periculum obituram. Hilaris in precatione et expedita, sex postremos menses transegit, exspectans Ioannae Emmanuelae ortum, quae die xxi mensis Aprilis anno MCMLXII nata est.

« Nonnullis diebus ante partum mihi dixit, narrat vir, firme pariter ac sedate, alto contuitu, quem numquam obliviscar: "Si me aut puerum eligere debetis, eligite, ita statuo, puerum. Eum servate" ». Post hebdomadam, vehementibus excruciatibus vexata ob peritonitidem septicam, quae interea supervenerat, Ioanna de hac vita demigra vit domi suae Pontis Novi, quo ad suum optatum perducta erat, paucis horis ante, iterans moritura: « Iesu, te diligo ». Hoc evenit die xxvin mensis Aprilis anno MCMLXII.

In coemeterio Meseri condita est, dum sanctitatis eius fama vulgabatur simul ac illius facti admiratio quod eam extulerat.

Mulier eximii amoris, sponsa et mater egregia, in cotidiana vita Evangelii imperiosa bona est testificata. Hanc quidem mulierem tamquam exemplar exhibentes christianae perfectionis, extollere volumus omnes matresfamilias animosas, quae totas se familiae dedunt, quae liberos generantes patiuntur, quae paratae sunt ad omnes labores, ad omne sacrificium, ut quae habent potiora aliis tradant.

Canonizationis causa incohata est, Processu Cognitionali celebrato apud Curiam archiepiscopalem Mediolanensem, a die xxx mensis Iunii anno MCMLXXX ad diem xxi mensis Martii anno MCMLXXXVI, addito Rogationali Processu Bergomensi (annis MCMLXXX-MCMLXXXIII).

His completis iuridicialibus normis a iure statutis, die vi mensis Iulii anno MCMXCI, Nobis coram decretum prodiit, quo agnoscebatur Dei Serva heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. Interea apud Curiam episcopalem Graiahuensem (in Brasilia) celebratus est canonicus Processus de sanatione quadam mira Venerabilis intercessioni adscripta. Eventu suetis inquisitionibus pervestigato, Nobis coram, die XXI mensis Decembris anno MCMXCII, Decretum super miro prodiit.

Statuimus igitur ut beatificationis ritus Romae, die xxiv mensis Aprilis anno MCMXCIV, Internationali Familiae Anno volvente, celebraretur. Hanc igitur hoc die inter sacra ediximus formulam: Nos vota Fratrum nostrorum Iosephi Kumuondala Mbimba, Archiepiscopi Mbandakani-Bikoroensis, Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana Dioecesi, et Caroli Mariae Cardinalis Martini, Archiepiscopi Mediolanensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Isidoras Bakanja, Elisabeth Canori Mora et Ioanna Beretta Molla Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Isidori Bakanja die duodecima Augusti, Elisabeth Canori Mora die quarta Februarii et Ioannae Beretta Molla die vicesima octava Aprilis in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Quod autem decrevimus volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus quibusvis minime officientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxiv mensis Aprilis, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco & Sigilli
In Secret. Status tab., n. 352.385

II

Sancta Familia Iesu, Mariae et Ioseph, Patrona apud Deum dioecesis Rivi Nigri Vallensis Superioris in Argentina confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

63. Iacobus Morellus Dupas, vicarius urbis Ruffec, tunc in dioecesi Pictaviensi positae, die 10 mensis Novembris ortus anno 1754 et die 21 mensis Iunii mortuus;

64. Ioannes Baptista Ménestrel, canonicus oppidi Remiremont in dioecesi Sancti Deodati, natus Nonis Decembribus anno 1748, die 16 mensis Augusti mortuus.

Horum Servorum Dei fama martyrii numquam defecit; quam ob rem Episcopus Rupellensis Causam iniit canonizationis per celebrationem processus informativi (annis 1932-1936), cuius auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 7 mensis Februarii anno 1992 promulgato. Positione super martyrio apparata, disputatum est an constaret de martyrio eiusque causa. Die 29 mensis Ianuarii anno 1994, exitu cum prospero, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Maii subsequentis, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Bernardino Gantin, agnoverunt Servos Dei Ioannem Baptistam Souzy et LXIII Socios veros martyres esse putandos, qui ultro mortem oppetiverunt ut suam Christo et Ecclesiae fidelitatem testarentur.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Ioannis Baptistae Souzy et LXIII Sociorum, annis 1794-1795 interjectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 2 mensis Iulii A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

III

VENETIARUM

Beatificationis Servi Dei Aloisii Caburlotto, Sacerdotis patriarchatus venetiarum, fundatoris Congregationis Filiarum a S. Ioseph (1817-1897)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Vera educatio prosequitur formationem personae humanae in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum officiis, adultus effectus, partem habebit » (CONC. OECUM. VAT. II, Declaratio de educatione christiana *Gravissimum educationis,* 1).

Humana et christiana populi educatio ac praesertim iuventutis masculinae et femininae caput fuit pastoralis industriae Aloisii Caburlotto qui, iniquis Ecclesiae Italicaeque societatis temporibus, magna cum caritate in bonum incubuit iuvenum ac puellarum, eos docendo in viis Dei ambulare et probos atque navos fieri cives.

Servus Dei Venetiis natus est die 7 mensis Iunii anno 1817 a coniugibus Angelo Stephano Caburlotto et Helena Giove, modestis operariis bonisque christianis. Discipulus fuit diligens et magni existimatus scholae caritatis, a Venerabilibus Sacerdotibus Angelo et Marco Antonio Cavanis rectae; deinde, vocatione ad sacerdotium animadversa, studiis philosophicis et theologicis se dedit apud seminarium patriarchale. Iam tum ille ortus est cordis morbus, qui vicibus per totam vitam eum afflixit. Sedulo suam coluit scholasticam atque spiritalem formationem et constantem ostendit perfectionis christianae appetitionem sincerumque animarum salutis studium.

Die 24 mensis Septembris anno 1842 sacrum accepit presbyteratus Ordinem. Se tradidit pastorali ministerio in paroecia Sancti Iacobi de Orio, cuius parochus est factus anno 1849. Corde paterno et sapientia veri magistri fidei suae inservivit communitati. Accurate praedicationi verbi Dei, catechesi tradendae, sacramentorum administrationi atque sedulitati pauperibus praebendae operam dedit. Peculiarem adhibuit curam de puellarum pauperum ac derelictarum educatione, et ad hoc assequendum propositum Congregationem Filiarum a Sancto Ioseph condidit, persuasum habens hoc institutum aptissimam esse rationem compellendi ad honestatem paroeciam ac societatem simulque bonas matres familias praeparandi. Die 24 mensis Octobris novem puellae vestem religiosam induerant. Anno 1857 alteram constituit domum, nempe Institutum femininum Manin, ubi solas accipere pusas publica beneficentia adiutas pollicebatur.

Per hoc opus Servus Dei necessitudinem incepit consociatae operae cum Institutis publicis urbis, qua per reliquam vitam obstrictus est onera maio-

ra usque ac difficiliora sibi sumere. Eodem anno primum Capitulum celebratum est novae religiosae familiae, in quo quindecim Filiae Sancti Ioseph professionem fecerunt et Congregatio canonicam obtinuit approbationem.

Amore et cura educationis iuventutis Servus Dei inductus est ad accipiendum etiam officium sponsoris ac rectoris Instituti masculini Manin, auctoritatibus civilibus urbis obnoxii. Novum hoc munus, gratuito expletum cumque propositis omnino pastoralibus atque socialibus, pio sacerdoti populi gratiam ipsarumque potestatum conciliavit, eique Equitis Coronae Italicae insignia collata sunt. Hic titulus, quem is non petierat quemque solummodo accepit, ut suum posset officium continuare pro iuventute indigenti, causa ei fuit reprehensionum et inclementiarum ab ecclesiasticis catholicisque Venetis severis, et quater ei beneficium canonicum Capituli Cathedralis negatum est. Postea solum parte remedium allatum est per nominationem ad canonicum honorarium.

Anno 1872, propter infirmae valetudinis causam, paroeciam deposuit et exinde omnibus viribus se tradidit multis Operibus institutoriis regendis, quae ob eius prudentiam, peritiam et sacrificii spiritum copiosos ediderunt fructus pro iuventute egena, pro Ecclesia proque societate.

Eodem tempore alias explicavit impigre pastorales navitates, quales fuere cura Tertii Ordinis Servorum Mariae et sacrorum recessuum ad sacerdotes praedicatio, missionum popularium, piarum ad clerum et religiosos exercitationum.

Diligenter attendit ad confirmationem et incrementum Congregationis quam condiderat et cum benignitate, simplicitate caritateque suas direxit Filias spiritales in sanctitatis, fiduciae Dei, amoris crucis, oboedientiae et concordiae via. Moribus suis continuum praebuit exemplum fidelitatis erga vocationem, plenae pro animarum bono devotionis et indefatigabilis alacritatis in Dei regno aedificando in societate, quae a Christi atque Ecclesiae praeceptis discedebat.

Multiplicis sui apostolatus Servus Dei fundamentum iecit impensam vitam spiritalem et cotidianum virtutum christianarum ac sacerdotalium exercitium. Solidae et altae fidei fuit, quam Sacrarum Litterarum aluit fontibus, Ecclesiae Patrum operibus, liturgia atque theologia.

« Non sufficit — sacerdotibus dicebat — pios esse et bonos, sed opus est humili ac reverenti studio normarum Ecclesiae ad fidem defendendam et fructuose sacrum ministerium exercendum ». Non modo lumine fidei collustratus vixit et egit, sed sese impendit ut in populo, et potissimum in iuvenibus, Dei cognitionem disseminaret atque legis eius observantiam.

Ad Domini voluntatem docilis fuit, quam etiam acerbioribus in casibus agnoscere sciebat, quamque his contrahebat verbis: « Voluntas Dei, paradisus meus », vel: « In cruce pax invenitur, in voluntate Dei vera laetitia ». Erga Romanum Pontificem et Superiores ecclesiasticos sincerum et obse-

quentem nutrivit amorem. Cum est iniuste reprehensus, omnia magno animo tulit et forti, cum spem suam in Domino collocasset. Pro Dei gloria et animarum salute semper ad laborem erat paratus, ad sacrificium et, si necesse erat, etiam ad indignitates et dolores. Novas semper vires novumque ardorem hausit ex coniunctione cum Deo, fervida Eucharistiae celebratione, deprecatione assidua et religione erga Virginem Mariam, cuius cultum multis auxit inceptis. In amorem Domini, qui eius cogitationum et affectuum cardo fuit, proximi inseruit caritatem, humilium, pauperum et iuventutis. Apostolatus opera, Congregationis Filiarum Sancti Ioseph constitutio et laboriosa rectio multorum Institutorum educationi fovendae, clarissimum sunt signum magnitudinis et veritatis eius de aliis sollicitudinis.

Voluit caritatem regnare inter Filias Sancti Ioseph, et in ephebeis, quae regebat, reginam, et omnes humaniter, affabiliter, paterne tractavit, certus « benignitate feras in mansuetos agnos mutari », et « benignitate fieri sanctos ». Liberalis vir fuit et claram ostendit dialogi peritiam etiam cum personis et potestatibus civilibus, quae non christiane vitam sentiebant atque, earum sibi existimationem et fiduciam conciliando, evangelii fermentum in ambitus portavit, qui aliter eius expertes mansissent.

In itinere ad perfectionem christianam atque in variis pastoralibus et insti tu toriis negotiis semper summa egit cum prudentia. Copiose a fontibus gratiae sumpsit auxilium, ut quam optime suum exsequeretur sacerdotale munus et aeternam adipisceretur beatitudinem. Numquam con citationum animi impulsu est operatus, festinationis vel suae voluntatis, sed coram Deo omnia ponderabat, difficultates iudicabat et possibilitates successus, rationes instituebat capiebatque consilia, ad incrementum spectans regni Christi. A prudentibus humiliter consilia petebat et caute suos eligebat adiutores; proximi bonum suo anteponebat et, firmo animo constantique servitii voluntate, incommodorum neglegens quae eum manebant, opus aggrediebatur. Acriter iustitiam in Deum sensit et in homines. In suis scripsit propositis: « Dominus tam multa pro me fecit; iustum est igitur et me aliquid facere pro eo », et etiam: « Iesus Christus (est) pro me crucifixus, et ego pro eo esse volo crucifixus ».

Numquam suam quaesivit gloriam, sed Dei et Ecclesiae; suosque evidentes successus non tam suis facultatibus ascribebat, quam gratiae divinae. Unicuique suum dedit et in bonorum terrestrium administratione cum diligentia se gessit, abstinentia et neglectione. « Statuo — scripsit — rebus huius mundi uti, prout mihi servire possunt tamquam scala ad caelum ». Hinc egregie temperantiam coluit, sensuum et voluntatis castigationem, paupertatem. Multimodis multisque in casibus documentum dedit se gradu

eminenti virtutibus fortitudinis, humilitatis, oboedientiae et castitatis ornatum esse.

Meritis abundans et fama sanctitatis clarus, Servus Dei pie exstinctus est postridie Nonas Iulias anno 1897, Infirmorum accepta Unctione a Patriarcha Iosepho Sarto et Sanctissima Virgine invocata. Eius non communium virtutum memoria viva in populo Dei, praesertim vero in Filiarum Sancti Ioseph Instituto mansit; quam ob rem Venetiarum Patriarcha Causae canonizationis initium fecit per celebratum processum ordinarium informativum (anni 1963-1969), cuius auctoritas et vis est per decretum probata Congregationis de Causis Sanctorum die 20 mensis Ianuarii anno 1989 promulgatum. Apparata Positione super virtutibus, disputatum est an constaret de virtutibus in gradu heroico. Prospero cum eventu actus est Consultorum Theologorum Peculiaris Congressus postridie Idus Décembres anno 1993. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 17 mensis Maii subsequentis anni, Causae Ponente Em.mo Cardinali Antonio Innocenti, professi sunt sacerdotem Aloisium Caburlotto virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Aloisii Caburlotto, Sacerdotis Patriarchatus Venetiarum, Fundatoris Congregationis Filiarum a S. Ioseph, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Iulii A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

£8 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 1 Octobris 1994. — Cathedrali Ecclesiae Derriensi Exc.mum P.D. Iacobum Hegarty, hactenus Episcopum Rapotensem.

die 7 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Gurecsamiensi R.D. Eduinum Regan, hactenus paroeciae Beatae Mariae in civitate vulgo dicta Bridgend parochum.

die 15 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Vulturariensi R.D. Rolandum Tirona, in Insulis Philippinis Ordinis Fratrum Discalceatorum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Provincialem, quem Auxiliarem Archidioecesis Manilensis deputavit.

die 2 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Pagadianensi R.D. Zachariam Jiménez, hactenus Beatae Virginis Mariae Seminarii in civitate vulgo dicta Ozamis rectorem.

die 8 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Zamboangensi Exc.mum P.D. Carmelum Morelos, hactenus Episcopum Butuanensem.

die 10 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Crossensi, R.D. Raimondum Leonem Burke, e clero eiusdem dioecesis, hactenus defensorem vinculi apud Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.

die 12 Decembris. — Coadiutorem Exc.mi P.D. Leonis Clarke, Episcopi Maitlandensis, Exc.mum P.D. Michaelem Ioannem Malone, e clero Sinus Tortuosi.

die 13 Decembris. — Coadiutorem Em.mi P.D. Cathaldi S.R.E. Cardinalis Daly, Archiepiscopi Armachani, R.D. Ioannem Brady, hactenus in loco vulgo dicto Ballyhaise parochum.

die 17 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Iacobi Veraguensis Exc.mum P.D. Ansgarium Marium Brown Jiménez, hactenus Episcopum titularem Scilitanum et Auxiliarem Panamensem.

die 19 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Afufeniensi, R.D. Fridericum Colli, e clero dioecesis Sanctae Catharinae in Ontario, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Ottaviensis.

die 20 Decembris 1994. —Cathedrali Ecclesiae Calbayoganae, Exc.mum P.D. Maximianum Cruz, hactenus Episcopum titularem Tanudaiensem et Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis.

die 27 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Bogotensi Exc.mum P.D. Petrum Rubiano Sáenz, hactenus Archiepiscopum Caliensem.

die 30 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Limonensi R. D. Iosephum Franciscum Ulloa Rojas, hactenus parochum-moderatorem Basilicae « Nuestra Señora de los Angeles ».

die 30 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Augustanae Exc.mum P.D. Iosephum Anfossi, hactenus directorem Officii pro familia apud Conferentiam Episcoporum Italiae.

die 4 Ianuarii 1995. — Coadiutorem Cathedralis Ecclesiae Miracemanae Tocantinensis R.P. Ioannem Iosephum Burke, Ordinis Fratrum Minorum sodalem.

die 5 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Adiacensi P. D. Andream Lacrampe, Praelatum Missionis Galliae seu Pontiniacensis.

die 11 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Guarapuavensi R.D. Ioannem Zerbini, Societatis S. Francisci Salesii sodalem.

COLLATIO DIGNITATIS ARCHIEPISCOPALIS

Decreto Congregationis pro Episcopis

die 19 Decembris 1994. — Exc.mo P. D. Iuliano Herranz Casado, Episcopo titulari Vertarensi, Pontificii Consilii de Legum Textibus interpretandis Praesidi, dignitas archiepiscopalis collata est.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 11 Novembris 1994. — Cathedrali Ecclesiae Dibrugerhensi R.P. Iosephum Aind, e Societate S. Francisci Salesii, hactenus paroeciae in oppido vulgo Dimakuchi curionem.

die 19 Decembris — Metropolitanae Ecclesiae Abidianensi Exc.mum P.D. Bernardum Agré, hactenus Episcopum Yamussukroënsem.

— Metropolitanae Ecclesiae Buakensi, noviter erectae Exc.mum P.D. Vitalem Komenan Yao, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Metropolitanae Ecclesiae Gagnoaënsi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Natalem Kokora-Tekry, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Metropolitanae Ecclesiae Korhogoënsi, noviter erectae, Exc.mum P.D. Augustum Nobou, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Cathedrali Ecclesiae Bassam Maioris Exc.mum P.D. Paulum Dacoury-Tabley, hactenus Episcopum titularem Castraseverianensem et Auxiliarem Abidianensem.

— Cathedrali Ecclesiae Odiennensi, noviter erectae in Litore Eburneo, R.D. Mauricium Konan Kouassi, hactenus templi cathedralis Buakensis parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Kandinae, noviter erectae in Benin, R.D. Marcellum Honoratum Leonem Agboton, in oppido vulgo Malanville curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Moptiensi Exc.mum P.D. Ioannem Zerbo, hactenus Episcopum titularem Acciensem et Auxiliarem Bamakoënsem.

— Cathedrali Ecclesiae Vaënsi R.D. Paulum Bemile, hactenus Seminarii interdioecesani Tamalensis rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Hamiltonensi in Nova Zelandia Exc.mum P.D. Dionysium Georgium Browne, hactenus Episcopum Aucopolitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Aucopolitanae Exc.mum P.D. Patricium Iacobum Dunn, hactenus Episcopum titularem Fesseitanum et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Mysuriensi R.D. Iosephum Roy, paroeciae Mysuriensis curionem

NOMINATIO

Peculiari dato decreto, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 10 Iulii 1994. — R.P. Acacium Valbuena, Congregationis Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae sodalem, Apostolicum Praefectum de Sahara Occidentali.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in udienza:

Lunedì, 9 Gennaio 1995, l'Ecc.mo Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

Dall'11 al 21 Gennaio 1995 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nelle Filippine, Papua Nuova Guinea, Australia e Sri Lanka.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

28 novembre 1994. P. Giovanni Battista Mondin, S.X., *Consultore della Congregazione delle Cause dei Santi « ad quinquennium ».*

» » » L'Ecc.mo mons. Luigi De Magistris, *Consultore della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

17 dicembre » Gli Em.mi Signori Cardinali Adam Joseph Maida e Juan Sandoval Iñiguez, *Membri della Congregazione per l'Educazione Cattolica « ad quinquennium ».*

20 » » Gli Em.mi Signori Cardinali Nasrallah Pierre Sfeir e Jaime Lucas Ortega y Alamino, *Membri del Pontificio Consiglio della pastorale per gli Operatori Sanitari « ad quinquennium ».*

» » » Mons. Mario Pavat, *Consultore della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti « ad quinquennium ».*

2 gennaio 1995. Mons. Antonio Macculi e mons. Vincenzo Ferrara, *Prelati Chierici della Reverenda Camera Apostolica.*

Il prof. Giulio Nicotra, *Direttore del Fondo Assistenza Sanitaria.*

S.E. mons. Jean Balland, Arcivescovo di Reims, *Membro della Congregazione per i Vescovi « ad quinquennium ».*

Mons. Vincenzo Ceravolo, *Capo Ufficio nella Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti.*

NECROLOGIO

1 gennaio 1995. **Mons. Pierre-Marie Puech, Vescovo em. di Carcassonne** *(Francia).*

9 » » **Mons. Jacques Huynh Van Cua, Vescovo tit. di Mizigi.**

11 » » **Mons. Giovanni Battista Parodi, Vescovo em. di Savona** *(Italia).*

» » » **Mons. Nicolas Hajj, Arcivescovo em. di Bäniyäs, Cesarea di Filippo** *(Libano).*

14 » » **Mons. James P. Carroll, Arcivescovo tit. di Amasea.**

An. et vol. LXXXVH 8 Martii 1995 N. 3

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria EditricY Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

BEROLINENSIS

Provincia ecclesiastica Berolinensis constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Certiori christifidelium commodo spiritali consulere contendentes Sacrorum Antistites, quorum intererat ipsorum, audita prius Episcoporum Germaniae Conferentia, ab hac Nostra postulaverunt Sede Apostolica vehementer ut fines dioecesium Berolinensis et Dresdensis-Misnensis necnon Administrationis Apostolicae Gorlicensis ad haec usque tempora Sanctae Sedi recta subiecti in novam transformarentur provinciam ecclesiasticam, sede in urbe Berolinensi collocata, atque eiusdem nominis ipsa Ecclesia ad dignitatem honoremque proveheretur metropolitanae Ecclesiae. Excepta ante sententia secunda Venerabilis Fratris Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis simulque in Germania Nuntii Apostolici auditoque Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis consilio preces illas ad Nos admotas, quippe quas saluti hominum aeternae plurimum profuturas arbitremur, benigne excipiendas esse iudicamus. Quapropter e potestatis Nostrae plenitudine, secundum iuris conventi regulam haec statuimus quae subsequuntur edicimusque. Berolinensem sedem episcopalem ad condicionem attollimus metropolitanae ecclesiae cui iura et privilegia tribuimus

quibus reliquae per orbem eiusdem ordinis fruuntur ecclesiasticae diciones e iuris communis norma. Commemorata autem provincia quam novam fieri iubemus Berolinensis constabit ex ecclesia eiusdem nominis necnon Dresdensi-Misnensi dicione tunc etiam ab integro excitata dioecesi Gorlicensi. Episcopum porro Berolinensem pro tempore gradu ornamus Metropolitae iuribusque et privilegiis augemus quibus ceteri in terris catholicis Metropolitae sacrorum ad canonum legem perimuntur at oneribus quoque et obligationibus obstringimus quibus iidem Antistites vinciuntur. Berolinensem nunc ipsum Ordinarium Venerabilem Fratrem Nostrum Georgium Maximilianum S.R.E. Cardinalem Sterzinsky ad statum promovemus Metropolitae cui iura addimus ac privilegia cuncta quae reliquis pariter sunt per orbem Metropolitis dum officiis similiter obligationibusque nectimus quibus illi item obstringuntur. Ad singula denique haec consilia exsequenda Nostra superius iam commemoratum Venerabilem Fratrem Ludovicum Kada destinamus, necessarias et opportunas concedentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemvis virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere adiuncto ad Congregationem pro Episcopis quam primum fieri licuerit germanum exemplar actus illius peractae exsecutionis pervehendi. Has demum Litteras Nostras tam in praesens valere quam in posterum volumus tempus, nullis cuiuspiam generis obsistentibus causis, atque ratas perpetuo esse iubemus.

Datum Romae apud S. Petrum die septimo et vicesimo mensis Iunii anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri decimo sexto.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ES BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 88 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 353.657

II

GORLICENSIS

In Republica Foederata Germaniae Gorlicensis dioecesis conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Solet usque Ecclesia iustas servare consuetudines et translaticium cultum humanitatemque, quo commodius fideles pietatem religionemque explicent. Inita igitur congrua Conventione die iv mensis Maii anno MCMXCIV cum foederatis civitatibus, Brandenburgo et Libero Statu Saxoniae; praehabitis favorabilibus votis Venerabilis Fratris Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, Venerabilis Fratris Nostri Georgii Maximiliani S.R.E. Cardinalis Sterzinsky, Episcopi Berolinensis, Venerabilium Fratrum Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Bernardi Huhn, Episcopi titulo Tasaccorensis et Administratoris Apostolici Gorlicensis, ac Leopoldi Nowak, Episcopi titulo Cissensis et territorii Magdeburgensis Administratoris Apostolici, atque audita Conferentia Episcoporum Germaniae; de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis; Nos de plenitudine Apostolicae potestatis iubemus et statuimus ut memorata Administratio Apostolica Gorlicensis, quae comprehendit decanatus, vulgo appellatus, Cottbus, Finsterwalde-Lübben, Görlitz, Neuzelle et Senftenberg, cum mutationibus quae infra describuntur, ad gradum et dignitatem dioecesis, Gorlicensis appellandae, constituatur ac erigatur.

A decanatu, vulgo, Neuzelle separatur et erigendae archidioecesi Berolinensi adnectitur paroecia, nomine vernáculo dicta, Golzow;

a dioecesi Berolinensi separantur et novae dioecesi Gorlicensi adnectuntur curatia, vulgo, Dahme (Mark) necnon municipia, quorum nomina sunt, Liessen et Petkus;

a territorio archidioecesis Paderbornensis, lingua vernacula appellato, «Bischöfliches Amt Magdeburg» distrahuntur et novae dioecesi Gorlicensi adiunguntur municipia, vulgari lingua, Langengrassau, Wüstermarke et Schöna-Kolpien necnon portio Altsorgefeld municipii Kemlitz atque portiones Neusorgefeld et Schwarzenburg municipii Walddrehna.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Gorlicensi locamus et templum pro-cathedrale ibi exstans, Deo in honorem Sancti Iacobi dicatum, ad gra-

dum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Gorlicensi pro tempore Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque concedimus, iisdemque oneribus et officiis adstringimus, quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum gaudent ac adstringuntur.

Novam erectam dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Berolinensis, quae hodie pertinenti Decreto ad gradum Metropolitanae Ecclesiae evehitur, eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Berolinensis subicimus. Capitulum canonicorum apud ecclesiam pro-cathedralem Sancti Iacobi, exstans, per aliud Decretum edendum, ad Capituli Cathedralis gradum et fastigium extollatur; idemque ex una dignitate constabit, idest Praeposito, ac quinque canonicis titularibus. Hoc vero capitulum tum iuribus ac privilegiis fruetur, tum obligationibus tenebitur, quae ex iure canonico necnon ex normis iuris conventi statuuntur. Huius novae dioecesis, per aliud decretum edendum, Sancta Hedvigis Patrona, quondam Slesiae ducissa, statuatur. Congruae sustentationi Episcopi novae dioecesis providebitur dote cum civilibus Guberniis, quorum interest, secundum supradictam Conventionem diei IV mensis Maii anno MCMXCIV determinanda, necnon Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei ob veniente ex divisione, secundum canonem 122 Codicis Iuris Canonici facienda bonorum, quae hucusque ad memorata territoria pertinuerunt. Circa seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium formationem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de Institutione Catholica statutis. Nonnulli seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi necnon sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero attinet ad novae dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani sede vacante electionem, fidelium iura, et onera, aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul ac Gorlicensis Ecclesiae constitutio erit ad actum deducta, eo ipso clerici qui in territorio novae dioecesis ecclesiasticum officium detinent eidem incardinati censeantur; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen circumscriptionis Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere. Acta et documenta quae territoria dismembrata, clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curiis a quibus ad Curias circumscriptionum ecclesiasticarum quibus territoria aggreganda sunt rite transmittantur. Ad haec omnia perficienda, Vene-

rabilem Fratrem Ludovicum Kada, quem supra memoravimus, deputamus, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis sollicite remittendi, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

ÊB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

68 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episc. Praef.

Franciscus Cascone, *Protonot. Apost. s.n.*
Archangelus Moscone, *Protonot. Apost. s.n.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 353.658

III

ERFORDIENSIS

In Republica Foederata Germaniae nova constituitur dioecesis Erfordiensis nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius consulatur spirituali bono Dei populi degentis in territorio dioecesium Fuldensis et Herbipolensis lingua vernacula nuncupato «Bischöfliches Amt Erfurt-Meiningen»; inita congrua Conventione die xiv mensis Iunii anno MCMXCIV cum Libero Statu Thuringiae; praehabitis faventibus votis Venerabilium Fratrum Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Ioannis Dyba, Archiepiscopi-Episcopi Fuldensis, Pauli Varnerii Scheele, Episcopi Herbipolensis, Iosephi Homeyer, Episcopi Hildesiensis, Ioachimi Friderici Reinelt, Episcopi Dresdensis-Misnensis, Leopoldi Nowak, Episcopi titulo Cissensis ac territorii Mag-

deburgensis Administratoris Apostolici, et Ioachimi Wanke, Episcopi titulo Castellani in Mauretania et territorii Erfordiensis-Meiningensis Administratoris Apostolici, atque audita Conferentia Episcoporum Germaniae; de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis deque plenitudine Apostolicae potestatis memorati territorii Erfordiensis-Meiningensis decanatus vulgo appellatus Arnstadt, Bischofferode, Eisenach-Gotha, Erfurt, Ershausen, Heilbad Heiligenstadt, Kirchgandern, Kirchworbis, Küllstedt, Leinefelde, Lengenfeld unterm Stein, Meiningen-Suhl (I und II), Nordhausen, Saalfeld et Weimar a dioecesi Fuldensi et a dioecesi Herbipolensi separamus atque ex ita distracto territorio, cum mutationibus, quae infra describuntur, novam dioecesim Erfordiensem appellandam constituimus.

Singulatim: a decanatu vulgo Meiningen-Suhl (I und II) separatur et dioecesi Fuldensi adnectitur municipium nomine vernáculo dictum Dietlas;

a decanatibus vulgari lingua nuncupatis Nordhausen, Saalfeld et Weimar segregantur et erigendae dioecesi Magdeburgensi adiunguntur municipia, quorum nomina sunt Benneckenstein, Sorge, Breitenstein, Kurort Stolberg (cum portione Hainfeld), Rottleberode, Uftrungen, Berga (cum portione Bösenrode), Allstedt, Mittelhausen, Niederröblingen, Winkel, Wolferstedt, Crölpa-Löbschütz (cum portionibus Freiroda et Heiligenkreuz), Janisroda, Leislau (cum portionibus Crauschwitz et Kleingestewitz), Lossa, Molau (cum portione Aue), Neidschütz, Priessnitz, Seidewitz, Sieglitz, Utenbach (cum portionibus Abtlöbnitz, Cauerwitz, Mollschütz et Seiselitz) necnon portio Einzingen municipii Nienstedt; portio Landgrafroda municipii Ziegelroda; portio Allerstedt municipii Wohlmirstedt; portiones Boblas et Neidschütz urbis Naumburg; Casekirchen (cum portione Köckenitzsch) et portiones Schieben et Tultewitz oppidi Bad Kosen;

a decanatibus vulgari lingua Saalfeld et Weimar distrahuntur et dioecesi Dresdensi-Misnensi aggregantur municipia vulgo Gefäll, Blintendorf, Thränitz, Russdorf, Teichwolframsdorf, Läwitz (cum portionibus Förthen et Plothen);

ab archidioecesis Paderbornensis territorio lingua vernacula appellato « Bischöfliches Amt Magdeburg » distrahuntur et novae dioecesi Erfordiensi adiunguntur municipia vulgo Auerstedt, Artern/Unstrut (cum portione Kachstedt), Bottendorf, Gehofen, Kalbsrieth (cum portione Ritteburg), Rossleben, Schönewerda, Schönfeld, Voigtstedt, et portio Nikolausrieth municipii Mönchpfiffel-Nikolausrieth;

a dioecesi Hildesiensi segregantur et novae dioecesi Erfordiensi adiunguntur municipia lingua vernacula nuncupata Niedersachswerfen, Appenrode, Harzungen, Ilfeld, Ilfeld-Wiegersdorf, Neustadt/Harz, Osterode,

Buchholz, Leimbach, Gut Himmelgarten, Nordhausen-Krimderode, Petersdorf Rüdigsdorf, Steigerthal, Urbach, Bösenrode, Ellrich-Ost, Rothesütte, Sophienhof et Sülzhayn necnon fractiones Eisfelder Talmühle, Birkenmoor, Bischoferode bei Woffleben, Braunsteinhaus, Christianenhaus, Hufhaus, Königerode, Netzkater;

a dioecesi Fuldensi distrahuntur et erigendae dioecesi Erfordiensi aggregantur municipia vulgari lingua appellata Abterode, Gasteroda, Vitzeroda, Hämbach, Kaiseroda, Tiefenort et Weissendiez;

a dioecesi Dresdensi-Misnensi separantur et novae dioecesi Erfordiensi adnectuntur municipia, quorum nomina sunt Saalthal, Schweinitz, Ammelstädt.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Erfordiensi ponimus et mirabile architecturae genere templum praeposturale ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico cathedrales Ecclesiae fruuntur. Erfordiensi pro tempore Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus atque iisdem oneribus et officiis adstringimus quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum gaudent atque adstringuntur. Novam conditam dioecesim suffraganeam facimus Ecclesiae Metropolitanae Paderbornensi eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Paderbornensis subicimus. Apud ecclesiam praeposituralem Beatae Mariae Virginis, per aliud Decretum edendum, ad iuris conventi normam, Capitulum cathedrale instituatur, quod ex una dignitate constabit, id est Praeposito, quattuor canonicis titularibus, ac tribus canonicis honorariis. Hoc vero capitulum tum iuribus et privilegiis fruetur, tum obligationibus tenebitur, quae ex iure canonico necnon ex normis iuris conventi statuuntur. Huius novae dioecesis, per aliud Decretum edendum, Sancta Elisabetha de Thuringia Patrona, quae in Wartburg, intra fines nunc ipsius dioecesis, dedita operibus caritatis saeculo xni vixit, atque Sanctus Bonifatius, Germaniae Apostolus itemque conditor primae dioecesis Erfordiensis anno DCCXLI, et Sanctus Chilianus Patroni secundarii statuantur. Congruae sustentationi Episcopi novae dioecesis providebitur dote cum Libero Statu Thuringiae, secundum supra dictam Conventionem diei XIV mensis Iunii anno MCMXCIV determinanda, necnon Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et portione ei ob veniente ex divisione, secundum canonem 122 Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hucusque ad memorata territoria pertinuerunt. Circa seminarii dioecesani aedificationem necnon candidatorum ad sacerdotium formationem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de

Institutione Catholica statutis. Selecti seminarii alumni philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi necnon sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero attinet ad novae dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani sede vacante electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul ac Erfordiensis Ecclesiae constitutio ad actum deducta erit, eo ipso clerici, qui in territorio novae dioecesis ecclesiasticum officium detinent, eidem incardinati censeantur; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen circumscriptionis Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere. Acta et documenta quae ad territoria dismembrata, clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curiis a quibus ad Curias circumscriptionum ecclesiasticarum quibus territoria aggreganda sunt rite transmittantur. Haec, quae praescripsimus, perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Ludovico Kada, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.
Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*
Archangelus Moscóne, *Protonot. Apost. s.n.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 353.660

IV

MAGDEBURGENSIS

In Republica Foederata Germaniae nova dioecesis erigitur Magdeburgensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum gaudio et spe conspicimus in Germania orientali catholicae fidei renovatum emolumentum, quod Nos permovit ad novas ibidem ecclesiasticas circumscriptiones statuendas.

Ad satius ergo consulendum spirituali bono Christifidelium in territorio archidioecesis Paderbornensis et dioecesis Hildesiensis, lingua vernacula nuncupato « Bischöfliches Amt Magdeburg », degentium; inita congrua Conventione die decimo tertio mensis Aprilis anno MCMXCIV cum foederatis civitatibus, Saxonia-Anhaltino, Brandenburgo et Libero Statu Saxoniae; praehabitis favorabilibus votis Venerabilium Fratrum Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Ioannis Dyba, Archiepiscopi-Episcopi Fuldensis, Iosephi Homeyer, Episcopi Hildesiensis, Ioachimi Reinelt, Episcopi Dresdensis-Misnensis, Bernardi Huhn, Episcopi titulo Tasaccorensis et Administratoris Apostolici Gorlicensis, Ioachimi Wanke, Episcopi titulo Castellani in Mauretania et territorii Erfordiensis-Meiningensis Administratoris Apostolici, ac Leopoldi Nowak, Episcopi titulo Cissensis et territorii Magdeburgensis Administratoris Apostolici, atque audita Conferentia Episcoporum Germaniae; de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis, deque plenitudine igitur Apostolicae Nostrae potestatis statuimus ut memoratum territorium Magdeburgense, quod comprehendit decanatus, vulgo appellatos, Bernburg, Burg, Dessau, Egeln, Eisleben, Halberstadt, Halle, Magdeburg, Naumburg-Zeitz, Oschersleben, Stendal, Torgau et Wittenberg, ab archidioecesi Paderbornensi et a dioecesi Hildesiensi separetur atque ex ita distracto territorio, cum mutationibus quae infra describuntur, nova dioecesis, Magdeburgensis appellanda, constituatur ac erigatur.

A decanatu, vulgo, Halberstadt separatur et dioecesi Hildesiensi adnectitur municipium, nomine vernáculo dictum, Hornburg;

a decanatu, vulgo, Torgau separantur et erigendae dioecesi Gorlicensi adnectuntur municipia, quorum nomina sunt, Langengrassau, Wüstermarke et Schona-Kolpien necnon portio Altsorgefeld municipii Kemlitz atque portiones Neusorgefeld et Schwarzenburg oppidi Walddrehna;

a decanatu, vulgari lingua, Naumburg-Zeitz distrahuntur et dioecesi Dresdensi-Misnensi aggregantur municipia, vulgo, Falkenhain, Naundorf (cum portionibus Tanna et Wernsdorf), Ahlendorf, Grossheimsdorf, Krossen/Elster (cum portione Tauchlitz), Lindau, Nautschütz (cum portionibus Böhlitz, Pratschütz et Zschorgula), Dothen, Schkölen, Silbitz et portiones Brossen et Zipsendorf oppidi Meuselwitz;

a decanatu, vulgo, Eisleben segregantur et erigendae dioecesi Erfordiensi adnectuntur municipia, vulgari lingua, Auerstedt, Artern/Unstrut (cum portione Kachstedt), Bottendorf, Gehofen, Kalbsried (cum portione Ritteburg), Rossleben, Schönewerda, Schönfeld, Voigtstedt, et portio Nikolausried municipii Mönchpfiffel-Nikolausried;

a territorio dioecesis Fuldensis, lingua vernacula appellato, « Bischöfliches Amt Erfurt-Meiningen » distrahuntur et novae dioecesi Magdeburgensi adiunguntur municipia, vulgari lingua, Benneckenstein, Sorge, Breitenstein, Kurort Stolberg (cum portione Hainfeld), Rottleberode, Uftrungen, Berga (cum portione Bösenrode), Allstedt, Mittelhausen, Niederröblingen, Winkel, Wolferstedt, Crölpa-Löbschütz (cum portionibus Freiroda et Heiligenkreuz), Janisroda, Leislau (cum portionibus Crauschwitz et Kleingestewitz), Lossa, Molau (cum portione Aue), Neidschütz, Priessnitz, Seidewitz, Sieglitz, Utenbach (cum portionibus Abtlöbnitz, Cauerwitz, Mollschütz et Seiselitz) necnon portio Einzingen municipii Nienstedt; portio Landgrafroda municipii Ziegelroda; portio Allerstedt municipii Wohlmirstedt; portiones Boblas et Neidschütz urbis Naumburg; Casekirchen (cum portione Köckenitzsch) et portiones Schieben et Tultewitz oppidi Bad Kosen.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Magdeburgensi statuimus, et templum praeposziturale ibi exstans, Deo in honorem Sancti Sebastiani dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus, eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico Cathedrales Ecclesiae fruuntur. Magdeburgensi pro tempore Episcopo honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus atque iisdem oneribus et officiis adstringimus quibus ceteri Praesules Ordinarii locorum gaudent ac adstringuntur. Novam erectam dioecesim suffraganeam constituimus Ecclesiae Metropolitanae Paderbornensis eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Paderbornensis subicimus. Apud ecclesiam praepositurale

Sancti Sebastiani, per aliud Decretum edendum, ad iuris conventi normam, Capitulum cathedrale instituatur, quod ex una dignitate constabit, id est Praeposito, quattuor canonicis titularibus, ac tribus canonicis honorariis. Hoc vero capitulum tum iuribus ac privilegiis fruetur, tum obligationibus tenebitur, quae ex iure canonico necnon ex normis iuris conventi statuuntur. Huius novae dioecesis, per aliud decretum edendum, Sanctus Norbertus, qui eiusdem urbis insignis exstitit Episcopus, Patronus atque Sanctus Mauricius et Sancta Gertrudis de Helfta, illius regionis flos spiritualis, Patroni secundarii statuantur. Congruae sustentationi Episcopi novae dioecesis providebitur dote cum civilibus Guberniis, quorum interest, secundum supradictam Conventionem die decimo tertio mensis Aprilis anno MCMXCIV initam determinanda, necnon Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et congruenti portione ei ob veniente ex divisione, secundum canonem 122 Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hucusque ad memorata territoria pertinuerunt. Circa Seminarii dioecesani erectionem necnon candidatorum ad sacerdotium institutionem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de Institutione Catholica statutis. Selecti Seminarii alumni, philosophicis et theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero attinet ad novae dioecesis regimen, administrationem bonorum, Administratoris dioecesani sede vacante electionem, fidelium iura, et onera, aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul ac Magdeburgensis Ecclesiae constitutio erit ad actum deducta, eo ipso clerici qui in territorio novae dioecesis ecclesiasticum officium detinent eidem incardinati censeantur; ceteri vero sacerdotes seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Uniuscuiusque tamen circumscriptionis Ordinariis fas est, iusta de causa, rationibus perpensis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, aliter de eorum incardinatione disponere. Acta et documenta quae territoria dismembrata, clericos, fideles et forte bona temporalia respiciunt, a Curiis a quibus ad Curias circumscriptionum ecclesiasticarum quibus territoria aggreganda sunt rite transmittantur. Ad haec omnia perficienda legamus memoratum Venerabilem Fratrem Ludovicum Kada, necessarias et opportunas eidem tribuentes facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi. Contrariis rebus quibuslibet minime obsistentibus. Super novam vero dioecesim imploramus a Domino copiam gratiarum

caelestium, ut fide et vita christiana eniteat multasque virtutes concitare valeat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die septimo et vicesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

$B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

68 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 88 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 353.662

V

HAMBURGENSIS

Nova Provincia ecclesiastica Hamburgensis constituitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Omnium Christifidelium spiritale bonum curantes, pastoralibus necessitatibus catholicorum qui terram Germanicam incolunt providere cupimus. Inita igitur Conventione, die xxii mensis Septembris anni MCMXCIV, cum Libera et Hanseatica Civitate Hamburgensi, cum foederata civitate Megaloburgensi - Pomerana Anteriori nec non cum foederata civitate Slesvica-Holsatiensi, atque accepto favorabili voto Venerabilis Fratris Ludovici Kada, Archiepiscopi titulo Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, Venerabilis Fratris Nostri Ioachimi S.R.E. Cardinalis Meisner, Archiepiscopi Coloniensis, et Venerabilium Fratrum Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Ludovici Averkamp, Episcopi Osnabrugensis, Iosephi Homeyer, Episcopi Hildesiensis ac Norberti Werbs, Episcopi titulo Amaurensis et territorii Sverinensis Administratoris dioecesani, audita Conferentia Episcoporum Germaniae, de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis, deque plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis

statuimus ex finibus dioecesium Osnabrugensis et Hildesiensis in Libera et Hanseatica Civitate Hamburgensi sitis, nec non ex parte dioecesis Osnabrugensis in civitate foederata Slesvica-Holsatiensi sita atque ex territorio dioecesis Osnabrugensis in civitate Megaloburgensi-Pomerana Anteriori collocato et vulgo dicto « Bischöfliches Amt Schwerin » novam sedem Metropolitanam Hamburgensem appellandam condere eidemque conferre iura et privilegia quibus ceterae metropolitanae sedes, ad normam iuris communis, gaudent. Nova Provincia Hamburgensis constituetur ex Ecclesia Metropolitana noviter constituta, eiusdem nominis, nec non ex dioecesi Osnabrugensi, hactenus Provinciae ecclesiasticae Coloniensi subiecta, et dioecesi Hildesiensi hactenus suffraganea Provinciae Paderbornensi. Novae Ecclesiae Metropolitanae sedem in urbe Hamburgensi statuimus, et templum ibi exstans, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis Auxilii Christianorum dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus eique insignia, privilegia et honores tribuimus quibus ceterae in orbe catholico cathedrales ecclesiae fruuntur. Hamburgensi pro tempore Archiepiscopo Metropolitae insignia, privilegia, onera iuraque tribuimus quibus ceteri praesules Ordinarii locorum atque Metropolitae gaudent. Apud ecclesiam Beatae Mariae Virginis Auxilii Christianorum, per aliud Documentum edendum, ad iuris conventi normam Capitulum Metropolitanum instituatur, quod ex una dignitate constabit, id est Praeposito, quinque canonicis titularibus ac tribus canonicis honorariis. Novae Ecclesiae Metropolitanae, per aliud Documentum edendum, sanctus Ansgarius Patronus statuatur. Congruae sustentationi Archiepiscopi Metropolitae novae Sedis providebitur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus et parte ei obveniente ex divisione, secundum canonem 122 Codicis Iuris Canonici facienda, bonorum quae hucusque ad memorata territoria pertinebant. Circa Seminarii archidioecesani erectionem nec non candidatorum ad sacerdotium formationem serventur praescripta iuris communis, prae oculis habitis normis et regulis a Congregatione de Institutione Catholica statutis. Selecti Seminarii alumni nec non sacerdotes ad studia complenda Romam, si fas est, mittantur. Quod vero ad novae Ecclesiae Metropolitanae regimen, bonorum administrationem, Administratoris dioecesani sede vacante electionem, fidelium iura et onera attinet, quae sacri canones praescribunt adamussim serventur. Simul ac Hamburgensis Ecclesiae constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso clerici illi Ecclesiae incardinati censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ad ceteros vero sacerdotes atque Seminarii tirones quod spectat, praescriptiones quae ab Ordinariis quorum interest ad normam iuris communis statutae sunt, observentur. Uniuscuiusque tamen

[26] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* n. 10.

[27] Cf. *Missale Romanum,* Feria VI in Passione Domini, 5, oratio prima: « ...per suum cruorem instituit paschale mysterium ».

[28] Cf. PAULI VI, Constitutio apostolica *Mysterii paschalis,* 14 Februarii 1969: *AAS* 61 (1969), 222-226.

autem quidquid et ipse acceperat per traditionem a Domino profluentem (cf. *1 Cor* 11, 23). Itaque, a primis temporibus, Ecclesia nihil ultra oneris conversis non circumcisis imposuit quam « quod necessarium » esset, iuxta coetus apostolici hierosolymitani deliberationem (cf. *Act* 15, 28).

15. Ad panem frangendum cum prima die hebdomadae convenirent, quae Domini seu « dominica » fit dies (cf. *Act* 20, 7; *Ap* 1, 10), primae communitates christianae praeceptum Domini servaverunt, qui, in contextu memorialis Paschatis iudaici, Passionis suae memoriale instituit. In unicae salutis historiae continuitate, sponte quasdam cultus iudaici formas ac textus nonnullos assumpserunt aptaveruntque ad novitatem radicalem christiani cultus exprimendam.[29] Spiritus Sancti ductu, discrimen factum est circa ea, quae ex hereditate cultuali iudaica servari poterant vel debebant aut non.

16. Cum Evangelium in mundum diffunderetur, aliae formae rituales ortae sunt in Ecclesiis e gentilitate provenientibus, sub influxu aliarum traditionum culturalium. Semper Spiritus Sancti ductu, discrimen factum est, in elementis a culturis « paganis » originem ducentibus, inter ea, quae cum christianismo componi non poterant et ea, quae assumi poterant, iuxta apostolicam traditionem, servata erga Evangelium salutis fidelitate.

17. Celebrationis christianae formae ortae et progressae sunt gradatim iuxta locales condiciones, intra magnas areas culturales, ubi Bonus Nuntius diffusus est. Ita familiae liturgicae diversae in Occidente et Oriente christiano principium habuerunt, quarum dives patrimonium plenitudinem traditionis christianae fideliter custodit.[30] Ecclesia Occidentis non semel elementa suae Liturgiae a patrimonio familiarum liturgicarum Orientis mutuata est.[31] Romana Ecclesia in sua Liturgia vulgarem sermonem vivum adoptavit, graecum in primis, deinde latinum atque, sicut ceterae Ecclesiae latinae, nonnulla magni ponderis capita e vita sociali Occidentis in proprium cultum immisit, cum christiana ditavisset significatione. Decursu autem saeculorum, Ritus romanus semel iterumque ostendit virtutem suam cumulandi textus, cantus, gestus ac ritus, diversam originem trahentes,[32] necnon sese ap-

[29] Cf. *Catéchisme de l'Église Catholique,* n. 1096.

[30] Cf. *ibid.,* nn, 1200-1203.

[31] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Decretum *Unitatis redintegratio,* nn. 14-15.

[32] Textus: cf. fontes orationum, praefationum et Precum eucharisticarum Missalis Romani. Cantus: v. g. quaedam antiphonae in die prima Ianuarii, in festo Baptismatis Domini, in die octava Septembris, Improperia in Actione liturgica feriae VI in Passione Domini, hymni Liturgiae Horarum. — Gestus: v. g. aspersio, turifieatio, genuflexio, manuum iunctio. — Ritus: v. g. processio cum ramis palmarum, adoratio Crucis in Actione liturgica feriae VI in Passione Domini, rogationes.

tandi culturis localibus in terris Missionum,[33] etsi in quibusdam historiae aetatibus uniformitatis liturgicae sollicitudo praevaluit.

18. Temporibus nostris Concilium Vaticanum II in memoriam revocavit quod «Ecclesia (...) facultates et copias moresque populorum, quantum bona sunt, fovet et assumit, assumendo vero purificat, roborat et elevat (...). Opera autem sua efficit, ut quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat, sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis ».[34] Qua de re Ecclesiae Liturgia nulli sit nationi extranea oportet, neque populo, neque personae, cum una excedat quamlibet particularismi formam, genus vel nationem spectantem. Suum est igitur in omni humana cultura sese manifestare, identitate servata, ut traditioni fidelis manere possit, quam a Domino accepit.[35]

19. Liturgia, non secus ac Evangelium, culturas observare debet, licet insimul eas invitet ad seipsas purificandas et sanctificandas.

Christo per fidem Iudaei adhaerentes, quam maxime fideles permanent Antiquo Testamento, ad Iesum, Messiam Israel, ducenti, quem noverunt Moysis foedus complevisse, novi et aeterni Testamenti, per suum Sanguinem in cruci signati. Mediatorem factum. Itemque noverunt eum, per sacrificium unicum ac perfectum, verum Sacerdotem magnum esse et Templum definitivum (cf. *Heb* 6-10). Illico praescriptiones quaedam, uti sunt circumcisio (cf. *Gal* 5, 1-6), sabbatum (cf. *Mt* 12, 8 et par.)[36] et sacrificia in templo peracta (cf. *Heb* 10) pro ipsis contingentia fiunt.

Modo magis radicali christiani ex paganismo conversi idola, mythologias ac superstitiones recusare debuerunt (cf. *Act* 19, 18-19; *1 Cor* 10, 14-22; *Col* 2, 20-22; *1 Io* 5, 21).

[33] Cf. ad tempora praeterita quod spectat S. GREGORII MAGNI, *Epistula ad Mellitum:* Reg. XI, 59: *CCL* 140A, 961-962; IOANNIS VIII, Bulla *Industriae tuae,* 26 Iunii 880: *PL* 126, 904; S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE, Instructio Vicariis apostolicis in Sinis et Indosinis degentibus (1654): *Collectanea S.. C. de Propaganda Fide,* I, 1, Roma, 1907, n. 135; Instructio *Plane compertum,* 8 Decembris 1939: *AAS* 32 (1940), 24-26.

[34] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* n. 13 et n. 17.

[35] Cf IOANNIS PAULI II, Adhortatio apostolica *Catechesi tradendae,* 16 Octobris 1979, nn. 52-53: *AAS* 71 (1979), 1319-1321; Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, nn. 53-54: *AAS* 83 (1991), 300-302; *Catéchisme de l'Eglise catholique,* nn. 1204-1206.

[36] Cf. etiam S. IGNATII ANTIOCHENI, *Epistula ad Magnesios,* 9: Funk 1, 199: « Si igitur, qui in vetere rerum ordine degerunt, ad novam spem pervenerunt non amplius sabbatum colentes, sed iuxta dominicam viventes ».

Nihilominus, quidquid est de sua origine ethnica et culturali, christiani in historia Israel agnoscere debent promissionem, prophetiam historiamque suae salutis; libros Veteris non aliter ac Novi Testamenti velut verbum Dei[37] accipiunt, itemque sacramentalia signa recipiunt, quae plene intellegi nequeunt nisi per Sacras Scripturas et in vita Ecclesiae.[38]

20. Renuntiationes componere, quas fides erga Christum postulat, cum fidelitate erga culturam et traditiones suae gentis, maxima exstitit primaevae aetatis christianorum provocatio, cum mente ac ratione fruerentur diversa prout ex populo electo venirent aut ex paganismo originem sumerent. Quae christianorum provocatio eadem semper manebit tempore in omni, ut verba sancti Pauli testificantur: « Nos autem praedicamus Christum crucifixum, Iudaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam » *(1 Cor* 1, 23).

Discernendi intellegentia, quae in Ecclesiae historia ad actum deducta est, necessaria manet, ut per Liturgiam opus salutis a Christo consummatum virtute Spiritus in Ecclesia fideliter perpetuetur, per spatium tempusque necnon intra diversas hominum culturas.

21. Ante quamlibet inculturationis inquisitionem prae oculis habeatur natura ipsa Liturgiae, quae « locus » idcirco praecipuus « ipse est christifidelium congressionis cum Deo eoque simul, quem ille misit, Iesu Christo (cf. *Io* 17, 3) ».[39] Liturgia insimul actio est Christi Sacerdotis et actio eius corporis Ecclesiae, quia ad implendum suum opus Deum glorificandi et homines sanctificandi, quod per signa sensibilia exercetur, Christus Ecclesiam semper sibi consociat, quae per ipsum et in Spiritu Sancto cultum tribuit Aeterno Patri debitum.[40]

22. Liturgiae natura tam intime cohaeret cum natura Ecclesiae, ut potissimum in celebratione liturgica suam Ecclesia indolem manifestet,[41] cui porro notae sunt peculiares, quae eam a quocumque alio coetu vel communitate distinguunt.

Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Dei Verbum,* nn. 11-16; *Ordo Lectionum Missae,* ed. typica altera, Praenotanda, n. 5: *Catéchisme de l'Église Catholique,* nn. 120-123, 128-130, 1093-1095.

[38] Cf. *Catéchisme de l'Église Catholique,* nn. 1093-1096.

[39] IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 7: *AAS* 81 (1989), 903-904.

[40] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 5-7.

[41] Cf. *ibid.,* n. 2; IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 9: *AAS* 81 (1989), 905-906.

Re quidem vera, Ecclesia non congregatur voluntate humana, sed convocatur a Deo in Spiritu Sancto, et per fidem gratuitae vocationi eius respondet (namque ekklesia necessitudinem habet cum klesis seu vocatio). Ipsa peculiarem hanc notam exhibet et per suorum congregationem ut populum sacerdotalem, potissimum dominica die, et per verbum quo Deus fideles suos alloquitur, necnon per sacerdotis ministerium, quem sacramentum Ordinis sic Christo configurat ut in persona Christi capitis agere valeat.[42]

Ecclesia, cum sit catholica, claustra, quae homines separant, prorsus praetergreditur. Etenim per Baptismum omnes fiunt filii Dei et nonnisi unum in Christo Iesu populum componunt, in quo « non est Iudaeus neque Graecus, non est servus neque liber, non est masculus et femina » *(Gal* 3, 28). Quapropter ipsa vocatur omnes homines ad congregandos, omnibus linguis ad loquendum, omnes culturas ad penetrandas.

Denique Ecclesia, in terris ambulans, peregrinatur a Domino (cf. *2 Cor* 5, 6): formam scilicet fert praesentis temporis in suis sacramentis et institutis, cum exspectet beatam spem et adventum gloriae Christi Iesu (cf. *Tit* 2, 13).[43] Quod eius orationis petitionis obiectum quoque manifestat: dum enim ad hominum et societatis necessitates animum attendit (cf. *1 Tim* 2, 1-4), nostrum municipatum in caelis esse proclamat (cf. *Phil* 3, 20).

23. Ecclesia verbo Dei alitur, scripto in Veteris et Novi Testamenti libris tradito, quod, cum in Liturgia proclamat, tamquam Christi praesentiam suscipit: « si quidem ipse loquitur dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur ».[44] Igitur Dei verbum quam maximum habet momentum in celebratione liturgica,[45] ita ut lectiones biblicae commutari nequeant cum aliis lectionibus, quae tales non sint, etsi venerabiles.[46] Item Scriptura Sacra Liturgiae rem praebet praecipuam sermonis, signorum et precum, praesertim in Psalmis.[47]

24. Ut Ecclesia fructus est Christi sacrificii, ita Liturgia semper est celebratio mysterii paschalis Christi, Dei Patris glorificatio hominumque sanctificatio per virtutem Spiritus Sancti.[48] Huiusmodi autem celebratio po-

[42] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Decretum *Presbyterorum ordinis,* n. 2.

[43] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* n. 48; Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 2 et 8.

[44] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 7.

[45] Cf. *ibid.,* n. 24.

[46] Cf. *Ordo Lectionum Missae,* editio typica altera, Praenotanda, n. 12.

[47] Cf. *Catéchisme de l'Église Catholique,* nn. 2585-2589.

[48] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 7.

tissimum manifestatur cum unaquaque dominica die, ubique terrarum, christiani in unum convenientes circum altare, sacerdote praesidente, Eucharistiam celebrant, verbum Dei concordes audientes et memoriam facientes Christi mortis ac resurrectionis, donec gloriose veniat.[49] Circa hunc nucleum centralem ad effectum adducitur mysterium paschale, modis peculiaribus statutis, per celebrationem uniuscuiusque fidei sacramenti.

25. Universa igitur vita liturgica volvitur circa sacrificium eucharisticum in primis et circa cetera sacramenta a Christo Ecclesiae commendata,[50] cuius est ea cunctis generationibus fideliter ac sollicite tradere. Pastoralis potestatis gratia Ecclesia decernere valet quid bono fidelium prosit, attentis rerum adiunctis, temporibus et locis;[51] at nullam habet potestatem circa ea, quae a Christo sunt statuta quaeque Liturgiae partem immutabilem constituunt.[52] Si autem vinculum frangeretur, quod sacramenta habent cum ipso Christo, qui ea instituit, et cum eventibus, quibus Ecclesia fundata est,[53] non iam ageretur de eorum inculturatione sed de eorum substantiae evacuatione.

26. Christi Ecclesia praesens fit et significatur, dato in loco et tempore, per Ecclesias locales seu particulares, quae in celebratione liturgica eius manifestant germanam naturam.[54] Qua de re unaquaeque Ecclesia particularis concordare debet cum Ecclesia universali non solum quoad fidei doctrinam et signa sacramentalia, sed etiam quoad usus universaliter acceptos ab apostolica et continua traditione.[55] Huiusmodi sunt oratio cotidiana,[56] dies dominica sanctificanda, hebdomadae rhythmus, celebratio Paschatis et Christi mysterii decursus per annum liturgicum,[57] praxis paenitentialis et

[49] Cf. *ibid,,* nn. 6, 47, 56, 102, 106; *Missale Romanum,* Institutio generalis, nn. 1, 7, 8.

[50] Cf CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 6.

[51] Cf. CONCILIUM OECUM. TRIDENTINUM, Sessio 21, cap. 2: *Denz.-Schönm.* 1728; CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 48 ss., 62 ss.

[52] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 21.

[53] Cf. S. CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Declaratio *Inter insigniores,* 15 Octobris 1976: *AAS* 69 (1977), 107-108.

[54] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* n. 28; et n. 26,

[55] Cf. S. IRENAEI, *Adversus Haereses,* III, 2: *SCh.,* 211, 24-31; cf. S. AUGUSTINI, *Epistula ad Ianuarium:* 54, I: *PL* 33, 200: « Illa autem quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, datur intellegi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri... »; IOANNIS PAULI II, Litterae encyclicae, *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, nn. 53-54: *AAS* 83 (1991), 300-302; CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litterae ad catholicae Ecclesiae episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio,* 28 Maii 1992, nn. 7-10: *AAS* 85 (1993), 842-844..

[56] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 83.

[57] Cf. *ibid.,* nn. 102, 106 et Appendix.

ieiunii, initiationis christianae sacramenta, celebratio memorialis Domini et necessitudo inter liturgiam verbi et liturgiam eucharisticam, remissio peccatorum, ministerium Ordinis, Matrimonium, Unctio infirmorum.

27. Cum in Liturgia Ecclesia fidem suam exprimat sub forma symbolica et communitaria patet opus esse legibus, quae respiciant ad universum cultum ordinandum, textus exarandus, ritus peragendos.[59] Propterea stilo imperativo huiusmodi legislatio iure usa est saeculorum decursu et etiamnunc utitur ad cultus orthodoxiam asservandam, non solum videlicet ad errores vitandos, verum etiam ad fidei integritatem tradendam, quia Ecclesiae lex orandi eius legi credendi respondet.[60]

In quocumque inculturationis gradu Liturgia nequit carere quodam genere continuo legislationis et vigilantiae ex parte illorum, qui hoc obtinuerunt in Ecclesia munus et officium: nempe Sedes Apostolica et, ad normam iuris, Conferentiae Episcoporum in territorio definito, Episcopus in sua dioecesi.[61]

28. Traditio missionalis Ecclesiae semper curavit ut homines sua quaque lingua evangelizarentur. Saepius vero contigit ut primi apostoli in quadam natione scripto mandarent linguas antea tantummodo voce prolatas; et iure quidem, nam lingua nativa, quae est mentis habitus et culturae vehiculum, populi animum sinit attingere, spiritu christiano instruere, altius ut participet Ecclesiae orationem fovere.[62]

Prima evangelizatione peracta, proclamatio verbi Dei vulgari nationis sermone maxime populo prodest in celebrationibus liturgicis. Versio Bibliorum Sacrorum vel saltem textuum biblicorum, qui in Liturgia adhibentur, necessario igitur ut primum ponitur momentum cuiusdam verae inculturationis progressus in ambitu Liturgiae.[63]

Ut verbum Dei recte ac fructuose suscipiatur, « oportet ut promoveatur ille suavis et vivus Sacrae Scripturae affectus, quem testatur venerabilis ri-

[58] Cf. PAULI VI, Constitutio apostolica *Paenitemini,* 17 Februarii 1966: *AAS* 58 (1966), 177-198.

[59] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 22; 26; 28; 40, 3 et 128; *Codex Iuris Canonici,* can. 2 et passim.

[60] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, Prooemium, n. 2; PAULI VI, Allocutiones ad Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, 13 Octobris 1966: *AAS* 58 (1966), 1146; 14 Octobris 1968: *AAS* 60 (1968), 734.

[61] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 22; 36 §§ 3 et 4; 40, 1 et 2; 44-46; *Codex Iuris Canonici,* cann. 447 ss. et 838.

[62] Cf. IOANNIS PAULI II, Litterae encyclicae *Redemptoris missio,* 7 Decembris 1990, n. 53: *AAS* 83 (1991), 300-302.

[63] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 35 et 36 §§ 2-3; *Codex Iuris Canonici,* can. 825 § 1.

tuum cum orientalium tum occidentalium traditio ». Itaque Liturgiae inculturatio in primis Sacra Scriptura innititur, veluti propria facta ac vindicata a data quadam cultura.[65]

29. Condicionum ecclesialium diversitas non parum confert ad perpendendum requisitum inculturationis liturgicae gradum. Etenim alia est condicio regionum, quae a saeculis Evangelium receperunt et ubi fides christiana in cultura adstare permanet, alia vero illarum regionum, ubi evangelizatio nuper facta est vel res culturales altius non penetravit.[66] Item alia est condicio Ecclesiae ubi christiani partem minorem populi constituunt. Complexior autem condicio inveniri potest ubi populi pluralismo culturae ac linguae fruuntur. Una dumtaxat condicionis certa existimatio iter illustrare valebit ad convenientes solutiones eligendas.

30. Ad rituum inculturationem apparandam Conferentiae Episcoporum compellent oportet peritos, tam in Ritus romani traditione liturgica inquirenda quam in localibus valoribus culturalibus perpendendis. Necessaria ergo evadunt studia praevia historica, anthropologica, exegetica et theologica, quae tamen comparentur oportet cum experientia pastorali cleri localis, potissimum autochthonis.[67] Magni quoque erit momenti sententia « sapientum » nationis, quorum humana sapientia evangelica luce est collustrata. Pariter inculturatio liturgica sataget ut culturae traditae exigentiis satisfaciat,[68] ratione habita populorum, cultura urbana et industriali signaturam.

31. Cum agatur de culturis localibus, intellegitur cur Constitutio *Sacrosanctum Concilium* hac in re interventum requirat competentium varii generis territorialium Episcoporum coetuum legitime constitutorum.[69] Ad id, quod attinet, Conferentiae Episcoporum « sedulo considerent quid, in hoc negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit ».[70] Eae quibusdam in adiunctis, in Liturgiam admittere poterunt «quidquid (...) in populorum moribus indissolubili vin-

[64] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 24.

[65] Cf. *ibid.;* IOANNIS PAULI II, Adhortatio apostolica *Catechesi tradendae,* 16 Octobris 1979, n. 55: *AAS* 71 (1979), 1322-1323.

[66] Quare Constitutio *Sacrosanctum Concilium* clare monet in nn. 38 et 40: « praesertim in Missionibus ».

[67] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Decretum *Ad gentes,* nn. 16 et 17.

[68] Cf. *ibid.,* n. 19.

[69] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 22 § 2; cf. *ibid.,* nn. 39 et 40, 1 et 2; *Codex Iuris Canonici,* cann. 447-448 ss.

[70] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 40.

culo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, (...) dummodo cum rationibus veri et authentici spiritus liturgici congruat ».[71]

32. Iisdem Conferentiis competit diiudicare utrum introductio in Liturgiam, secundum modum procedendi infra indicatum (cf. *infra,* nn. 62 et 65-69), elementorum, quae ritibus socialibus et religiosis populorum innitantur, quaeque eorum culturae partem vivam in praesenti constituant, fovere possit intellegentiam actionum liturgicarum, periculo amoto repercussionum contra fidem ac pietatem fidelium. Earum est ceterum invigilare ne huiusmodi introductio fidelibus appareat veluti reditus in quandam condicionem evangelizationi antecedentem (cf. *infra,* n. 47).

Verum tamen, mutationes, quae in ritibus vel textibus necessariae aestimentur, componendae sunt cum vita liturgica simul sumpta et, antequam ad actum adducantur, nedum iubeantur, clericis in primis ac postea christifidelibus diligenter declarandae sunt, ita ut periculum absit eos turbandi nullis aequis causis (cf. *infra,* nn. 46 et 69).

33. Ecclesiae particulares, potissimum novellae, patrimonium liturgicum altius pervestigantes ex Ecclesia romana matre receptum, quae eas generavit, valebunt vicissim in patrimonio culturae suae, si utile vel necessarium duxerint, formas congruas invenire, in Ritum romanum integrandas.

Institutio liturgica tum christifidelium tum cleri, quam Constitutio *Sacrosanctum Concilium* expostulat,[72] sataget ut textus ac ritus, qui in libris liturgicis vigentibus praebentur, intellegantur, itaque persaepe vitentur mutationes aut detractiones in iis, quae a Ritus romani traditione veniunt.

34. Ad Ritus romam inculturationem inquirendam atque perficiendam ratio est habenda: 1. de finalitate operi inculturationis inhaerente; 2. de substantiali unitate Ritus romani; 3. de competenti auctoritate.

35. Finalitas, quae Ritus romani inculturationem moderari debet, non alia est ac Concilium Vaticanum II posuit ut liturgicae instaurationis generalis fundamentum: « Textus et ritus ita ordinari oportet, ut sancta, quae significant, clarius exprimant, eaque populus christianus, in quantum fieri potest, facile percipere atque plena, actuosa, et communitatis propria celebratione participare possit ».[73]

CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 37.
Cf. *ibid.,* nn. 14-19.
Ibid., n. 21.

Oportet insuper ut ritus « sint fidelium captui accommodati, neque generatim multis indigeant explanationibus »,[74] ut intellegantur, attentis vero natura ipsa Liturgiae necnon notis biblicis et traditis eius structurae ac peculiari sese exprimendi ratione, ut supra (nn. 21-27) exponuntur.

36. Inculturationis processus perficiendus est Ritus romani unitate substantiali servata.[75] Unitas haec hisce nostris temporibus invenitur in libris liturgicis typicis ex auctoritate Summi Pontificis editis et in libris liturgicis illis respondentibus, a Conferentiis Episcoporum probatis pro suis respectivis dicionibus atque a Sede Apostolica confirmatis.[76] Inculturationis inquisitio non contendit ad novas familias rituales creandas; consulens autem culturae datae exigentiis, aptationes inducit, quae semper pars manent Ritus romani.[77]

37. Ritus romani aptationes, etiam in ambitu inculturationis, unice pendent ab Ecclesia auctoritate, quae Sedis est Apostolicae, eam exercentis per Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum;[78] est quoque, intra limites iure statutos, Conferentiarum Episcoporum[79] atque Episcopi dioecesani.[80] « Nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet »,[81] Inculturatio igitur neque relinquitur celebrantium personalibus consiliis, neque cuiusdam coetus communibus inceptis.[82]

[74] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 34.

[75] Cf. *ibid.,* nn. 37-40.

[76] Cf. IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 16: *AAS* 81 (1989), 912.

[77] Cf. IOANNIS PAULI II, Allocutio habita participantibus Sessioni plenariae Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, 26 Ianuarii 1991, n. 3: *AAS* 83 (1991), 940: « Il senso di tale indicazione non è di proporre alle Chiese particolari l'inizio di un nuovo lavoro, successivo all'applicazione della riforma liturgica, che sarebbe l'adattamento o l'inculturazione. E neppure è da intendersi l'inculturazione come creazione di riti alternativi. (...) Si tratta, pertanto, di collaborare affinché il rito romano, pur mantenendo la propria identità, possa accogliere gli opportuni adattamenti ».

[78] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 22 § 1; *Codex Iuris Canonici,* can. 838 §§ 1 et 2; IOANNIS PAULI II, Constitutio apostolica *Pastor Bonus,* 28 Iunii 1988, nn. 62; 64 § 3: *AAS* 80 (1988), 876-877; Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 19: *AAS* 81 (1989), 914-915.

[79] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 22 § 2 et *Codex Iuris Canonici,* cann. 447 ss. et 838, § 3; IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 20: *AAS* 81 (1989), 916.

[80] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 22 § 1 et *Codex Iuris Canonici,* can. 838, §§ 1 et 4; IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 21: *AAS* 81 (1989), 916-917.

[81] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 22 § 3.

[82] Situatio diversa est cum in libris liturgicis, editis post Constitutionem de sacra Liturgia Concilii Vaticani II, Praenotanda et rubricae praevident accommodationes et selectiones op-

Item, concessiones cuidam regioni factae, aliis regionibus extendi nequeunt sine debita licentia, etsi Conferentia quaedam Episcoporum aestimat se rationes sufficientes habere ad eas in propria dicione assumendas.

38. Cum actio quaedam liturgica altius pervestigetur, ad eius inculturationis aptam formam inquirendam, item sedulo consideretur oportet traditum momentum elementorum actionis ipsius, praesertim eorum origo biblica vel patristica (cf. *supra,* nn. 21-26), cum satis non sit distinguere quid mutationi sit obnoxium, quidque immutabile.

39. Sermo vivus, quatenus praecipuum hominibus exstat instrumentum mutuae communicationis, in celebrationibus liturgicis finem habet proclamandi fidelibus bonum nuntium salutis[83] et Ecclesiae orationem ad Dominum dirigendi. Igitur manifestet semper oportet, una cum fidei veritate, maiestatem ac sanctitatem mysteriorum, quae celebrantur.

Quamobrem magna cum cura attendendum erit quaenam uniuscuiusque populi sermonis elementa convenienter introduci possint in celebrationes liturgicas atque, peculiari studio, utrum opportunum evadat annon ut adhibeantur expressiones a religionibus non christianis mutuatae. Pariter spectare expedit diversa litterarum genera in Liturgia adhibita, uti sunt lectiones biblicae, quae proclamantur, orationes praesidentiales, psalmodia, acclamationes, responsoria, responsa, versus, hymni et oratio litanica.

40. Musica et cantus, quae populi animum manifestant, locum eminentem in Liturgia obtinent. Ideo fovendus est cantus, in primis quidem textuum liturgicorum, ut in ipsis actionibus liturgicis fidelium voces audiri valeant.[84] « Cum in regionibus quibusdam, praesertim Missionum, gentes inveniantur quibus propria est traditio musica, magnum momentum in

portunas quae iudicio pastorali celebrantis vel praesidentis relinquuntur et ideo in illis dicitur v.g.: « si.;., convenit », « pro opportunitate », « his vel similibus verbis », « potest quoque », « sive... sive », « laudabiliter », « de more », « forma aptior seligatur » In seligendis partibus, textibus, formis ille qui praeest attendet in primis ad commune bonum spiritale coetus, respiciens ad participantium formationem spiritalem ac ingenium potius quam ad suum proprium vel ad faciliores et expeditiores formas celebrationis. In celebrationibus pro coetibus particularibus quaedam ulteriores facultates electionis dantur. Prudentia tamen et discrimen necessaria sunt ad vitandam frequentem divisionem Ecclesiae localis in sic dictis « ecclesiolis », quae quodammodo in seipsis clausae manent.

[83] Cf *Codex Iuris Canonici,* cann 762-772, praesertim 769.

[84] Cf CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 118; etiam n. 54: Etsi linguae vernaculae congruus locus tribui possit in cantibus, providendum quoque est « ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare », potissimum vero orationem Dominicam seu « Pater noster »; cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, n. 19.

earum vita religiosa ac sociali habens, huic musicae aestimatio debita necnon locus congruus praebeatur, tam in fingendo earum sensu religioso, quam in cultu ad earum indolem accommodando ».[85]

Considerandum est textum cantu prolatum profundius imprimi in memoria quam textum voce prolatum; quod certo severius postulat iudicium quoad cantus textuum inspirationem biblicam et liturgicam necnon qualitatem litterariam.

Formas musicales, melodias, instrumenta musica « in cultum divinum admittere licet, quatenus usui sacro apta sint aut aptari possint, templi dignitati congruant, atque revera aedificationi fidelium faveant ».[86]

41. Cum Liturgia ut actio volvatur, gestus et corporis habitus in ea peculiaris sunt momenti. Ex quibus ea, quae ad sacramentorum ritum essentialem pertinent atque ad validitatem sunt requisita, ita servari debent prout a suprema Ecclesiae auctoritate statuta vel probata sunt.[87]

Gestus et corporis habitus sacerdotis celebrantis exprimant oportet eius munus proprium: etenim ipse coetui praeest in persona Christi.[88]

Coetus autem gestus et corporis habitus, cum sint communionis et unitatis signa, activam participationem fovent, mentem atque animi sensum participantium exprimentes atque augentes.[89] Ex humo culturali uniuscuiusque nationis seligendi erunt gestus et corporis habitus, qui hominis coram Deo condicionem exprimant, significationem christianam eis conferendo, ut, quantum fieri potest, cum gestibus et corporis habitibus consonent, qui e Sacra Scriptura originem ducunt.

42. Apud quosdam populos, natura duce, cantum comitantur participantium manuum percussio seu plausus, fluctuationes rhythmicae seu motus modulati, aut choreae motus. Apud eos tales formae expressionis corporeae locum habere possunt in actione liturgica, dummodo semper sint manifestatio germanae et communis orationis, quae exprimat adorationem, laudem, oblationem vel supplicationem, non autem merum fiant spectaculum.

43. Celebratio liturgica ditior fit per artis contributionem, quae fideles adiuvat ad ipsam celebrationem peragendam, ad Deum inveniendum, ad

[85] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 119.

[86] *Ibid.,* n. 120.

[87] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 841.

[88] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 33; *Codex Iuris Canonici,* can. 899 § 2.

[89] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 30.

orationem faciendam. Qua de re, in Ecclesia omnium gentium et regionum, ars liberum exercitium habeat, dummodo conferat ad sacrarum aedium et rituum liturgicorum pulchritudinem adipiscendam, servatis autem reverentia et honore, quae eis debentur,[90] atque genuinam significationem obtineat in populi vita ac traditione. Idem dicatur, quoad altaris formam, dispositionem et ornatum,[91] quoad locum ad verbum Dei proclamandum[92] et locum ad Baptismum celebrandum,[93] quoad supellectilem, vasa sacra, vestes necnon colores liturgicos, « dummodo omnia usui ad quem destinantur apte respondeant ».[94] Imprimis seligentur materiae, formae et colores quae apud varios populos ferme usurpantur.

44. Constitutio Sacrosanctum Concilium firmiter confirmavit Ecclesiae semper vigentem praxim sacras imagines Christi Iesu Virginis Mariae et Sanctorum venerationi fidelium proponendi,[95] quia « imaginis honor ad primitivum transit ».[96] Diversis in culturis fideles in sua oratione ac vita spirituali adiuvari debent per artis operum ostensionem, quae divinum mysterium exprimere satagant secundum gentis indolem.

45. Iuxta celebrationes liturgicas atque cum eis conexae inveniuntur in variis Ecclesiis particularibus manifestationes diversae pietatis popularis, quae a missionariis aliquando introductae, tempore primae evangelizationis, saepe secundum mores locales evolvuntur.

Introductio piorum populi christiani exercitiorum in celebrationes liturgicas admitti nequit uti forma inculturationis, « utpote quae (Liturgia) natura sua iisdem longe antecellat ».[97]

Ordinarii loci[98] est huiusmodi manifestationes pietatis moderari, eas fovere ut vitam fidemque christianorum fulciant, easdemque, si opus sit, purificare, cum semper evangelizatione indigeant.[99] Insuper invigilandum est

[90] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 123-124; *Codex Iuris Canonici,* can. 1216.

[91] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, nn. 259-270; *Codex Iuris Canonici,* cann. 1235-1239 praesertim 1236.

[92] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, n. 272.

[93] Cf. *De Benedictionibus,* Ordo benedictionis Baptisterii seu novi Fontis baptismalis, nn. 832-837.

[94] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, nn. 287-310.

[95] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 125; Constitutio dogmatica *Lumen gentium,* n. 67; *Codex Iuris Canonici,* can 1188.

[96] CONCILIUM OECUM. NICAENUM II: *Denz-Schönm.* 601; cf. S. BASILII MAGNI, *De Spiritu Sancto,* XVIII, 45: *SCh.* 17, 194; *PG* 32, 149 C.

[97] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 13.

[98] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 839 § 2.

[99] Cf. IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 18: *AAS* 81 (1989), 914.

ne dictae manifestationes pro celebrationibus liturgicis substituantur neve eis commisceantur.[100]

46. « Innovationes ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant ».[101] Norma haec, Constitutione *Sacrosanctum Concilium* statuta quoad instaurationem liturgicam, ad ipsius quoque Ritus romani inculturationem operandam applicari debet, debita proportione servata. Hoc in ambitu requiruntur paedagogia ac tempus ut reiectionis phaenomena vel regressus ad formas anteriores vitentur.

47. Cum Liturgia manifestatio sit fidei ac vitae christianae, attendendum est ne eius inculturatio, licet tantum specie, syncretismo religioso signetur. Quod evenire poterit si aedes sacrae, cultus supellex, vestes liturgicae, gestus et habitus inducant ad cogitandum in celebrationibus christianis nonnullorum rituum significationem non aliam esse ac ante evangelizationis processum. Longe peior esset syncretismus cum quis contenderet biblicas lectiones cantusque (cf. *supra,* n. 23) vel orationes commutare cum textibus ab aliis religionibus mutuatis, etiamsi non incerto valore religioso et morali praeditis.[102]

48. Assumptio in initiationis christianae, matrimonii et exsequiarum Ritualibus quorundam elementorum, quae revera sint in quadam regione consuetudinaria, gradum constituit inculturationis, iam in Constitutione *Sacrosanctum Concilium* declaratum.[103] Attamen haec ipsa assumptio aliquando veritatem ritus christiani et fidei manifestationem prae oculis fidelium facile imminuere potest; qua de re traditi usus, si resumantur, purificationis atque, si opus sit, fracturae processui subiciantur oportet.

Idem valet, exempli gratia, ad paganorum festa vel loca sacra, christiana forte reddenda, ad auctoritatis insignia sacerdoti tribuenda, quae societatis duci sint reservata, ad stirpis parentes colendos. Semper autem oportet quamlibet caveant ambiguitatem. Immo, exquisitioribus rationibus, Li-

[100] IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 18: *AAS* 81 (1989), 914.

[101] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 23.

[102] IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Dominicae cenae,* 24 Februarii 1980, n. 10: *AAS* 72 (1980), 137: «Possunt contra tales lectiones utilissime in homiliis adhiberi,... quoniam ipsa homiliae natura eo spectat, ut, praeter alia, illuminet convenientiam inter divinam revelatamque sapientiam ac praestabilem, humanam cogitationem, quae variis viis quaerit veritatem ».

[103] Cf. nn. 65, 77, 81; *Ordo initiationis christianae adultorum,* Praenotanda, nn. 30-31, 79-81, 88-89; *Ordo celebrandi Matrimonium,* editio typica altera, Praenotanda, nn. 41-44; *Ordo exsequiarum,* Praenotanda, nn. 21-22.

turgia christiana nullo prorsus pacto assumere potest ritus magiae, superstitionis, spiritismi, vindictae vel sexualis notationis.

49. Diversis in regionibus plures coexsistunt culturae, quae aliquando ita sese penetrant ut novam culturam gradatim producant, aliquando autem sese distinguere contendunt, vel prorsus invicem obsistere, ut suam cuiusque exsistentiam aptius affirment. Fieri quoque potest ut quaedam consuetudines et mores nonnisi rationem demologicam seu sic dicti « folklore » iam retineant. Conferentiae Episcoporum, cum singillatim concretam condicionem attente considerare satagant, uniuscuiusque culturae divitias earumque defensores observabunt, neque ignorabunt vel neglegent eam culturam quam minor sequitur pars, vel quae ipsis familiaris non est; pericula insuper perpendant oportet ne communitates christianae segregatae maneant neve inculturatio liturgica ad scopum politicum adhibeatur. Item in nationibus cultura consuetudinaria, quae dicitur, signatis, varios condicionis gradus, quoad populorum modernam societatis evolutionem, non neglegent.

50. Nonnumquam in eadem regione plures vulgatae sunt linguae, quarum quaeque propria est parvi personarum coetus vel unius tribus. Tunc aequilibrium quoddam inveniendum est, ut iura peculiaria horum coetuum vel tribuum observentur, remoto quidem periculo liturgicas celebrationes ratione quam maxime particulari peragendi. Neque pariter neglegatur quod interdum in quadam natione evolutio fieri possit unam versus linguam principalem.

51. Ut inculturatio liturgica promoveatur in quadam regione, cuius cultura fines unius nationis excedat, opus est Conferentias Episcoporum, quarum interest, consultis invicem, unanimiter statuant quid faciendum, caventes « in quantum fieri potest, ne notabiles differentiae rituum inter finítimas regiones habeantur ».[104]

52. Constitutio *Sacrosanctum Concilium* quandam Ritus romani inculturationem prospiciebat cum Normas statueret ad Liturgiam ingenio et traditionibus differentium populorum aptandam, provideretque aptationibus in libris liturgicis inserendis (cf. *infra,* nn. 53-61), necnon denique aptationibus profundioribus, quibusdam in casibus, praesertim in Missionum finibus (cf. *infra,* nn. 63-64).

CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 23.

53. Primus ac notabilior inculturationis gradus est versio textuum liturgicorum in linguam vernaculam.[105] Expletio interpretationum atque, si necessitas id exigit, earum revisio fiant secundum indicationes Apostolicae Sedis.[106] Cum serventur, qua par est attentione erga genera litteraria diversa, omnia quae in textibus editionis typicae latinae continentur, interpretatio textuum non solum facile intellegatur oportet a participantibus (cf. etiam *supra,* n. 39), verum etiam apta sit usui liturgico, nempe tam proclamationi et cantui quam responsionibus coetusque acclamationibus.

Quamvis populi cuncti, simplicioribus haud exclusis, congruo sermone religioso fruantur ad preces extollendas, sermo tamen liturgicus peculiaribus notis ditatur: nam Sacra Scriptura altius innititur; nonnulla verba vulgatae latinitatis (memoria, sacramentum) sensum alium in fide christiana obtinuerunt; nonnulla autem sermonis christiani transferri possunt aliquo modo ex una lingua ad aliam, sicut factum est in praeterito, exempli gratia quoad verba ecclesia, evangelium, baptisma, eucharistia.

Ceterum interpretes mentem ponant oportet in textus necessitudinem cum actione liturgica, in communicationis verbalis exigentias necnon in populi sermonis viventis qualitates litterarias. Quae interpretationum liturgicarum notae inveniri debent in novis compositionibus, cum in ipsis libris liturgicis praevidentur.

54. Ad celebrationem eucharisticam quod attinet, Missale Romanum, etsi legitimas varietates et aptationes asciscit de praescripto Concilii Vaticani II, nihilominus manere debet veluti signum et subsidium unitatis[107] Ritus romani in linguarum diversitate. Institutio generalis Missalis Romani providet ut « Conferentiae Episcoporum, iuxta Constitutionem de sacra Liturgia, normas pro sua dicione statuere possint, quae ad traditiones et ingenium populorum, regionum et diversorum coetuum attendant ».[108] Hoc valet potissimum quod spectat fidelium gestus et corporis habitus,[109] gestus venerationis erga altare et librum Evangeliorum,[110] textus cantuum ad introi-

[105] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* nn. 36 §§ 2, 3 et 4; 54; 63.

[106] Cf. IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 20: *AAS* 81 (1989), 916.

[107] Cf. PAULI VI, Constitutio apostolica *Missale Romanum,* 3 Aprilis 1969: *AAS* 61 (1969), 221.

[108] *Missale Romanum,* Institutio generalis, n. 6; cf. etiam *Ordo Lectionum Missae,* editio typica altera, Praenotanda, nn. 111-118.

[109] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, n 22.

[110] Cf. *ibid.,* n. 232.

tum,[111] ad offertorium [112] et ad communionem,[113] ritum pacis,[114] rationes communicandi sub utraque specie,[115] materiam altaris et supellectilis liturgicae,[116] materiam ac formam vasorum sacrorum,[117] vestes liturgicas.[118] Pari ratione Conferentiae Episcoporum determinare possunt modum sacram communionem distribuendi.[119]

55. Quoad cetera sacramenta et sacramentalia, editio typica latina uniuscuiusque Ordinis indicat aptationes, ad Conferentias Episcoporum pertinentes,[120] vel ad ipsum Episcopum dioecesanum in casibus determinatis.[121] Huiusmodi aptationes respicere possunt textus, gestus et interdum ordinem quoque ritus. Si editio typica plures formulas ad libitum exhibeat, Conferentiae Episcoporum alias formulas eiusdem generis addere possunt.

56. Ad ritus initiationis christianae, quod attinet, Conferentiis Episcoporum competit « sedulo et prudenter considerare quid ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune admitti possit »,[122] et « in terris Missionum, (...) iudicare an elementa initiationis, quae apud aliquos populos in usu esse reperiuntur, ritui Baptismatis christiani accommodari possint, et decernere an sint in eo admittenda ».[123] Attendendum autem est quod vocabulo initiationis non eadem significantur et indicantur ac cum agitur de ritibus initiationis socialis apud quosdam populos, aut cum agitur e

[111] Cf. *Missale Romanum,* Institutio generalis, n. 26.

[112] Cf. *ibid.,* n. 50.

[113] Cf. *ibid.,* n. 56 i.

[114] Cf. *ibid.,* n. 56 b.

[115] Cf. *ibid.,* n. 242.

[116] Cf. *ibid.,* nn. 263 et 288„

[117] Cf. *ibid.,* n. 290.

[118] Cf, *ibid.,* nn. 304, 305, 308„

[119] Cf. *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam,* Praenotanda, n. 21.

[120] Cf. *Ordo initiationis christianae adultorum,* Praenotanda generalia, nn.. 30-33; Praenotanda, nn. 12, 20, 47, 64-65; Ordo, n. 312; Appendix, n. 12; *Ordo Baptismi parvulorum,* Praenotanda, nn. 8, 23-25; *Ordo Confirmationis,* Praenotanda, nn. 11-12, 16-17; *De sacra communione et de cultu mysterii eucharistici extra Missam,* Praenotanda, n. 12; *Ordo Paenitentiae,* Praenotanda, nn.. 35b, 38; *Ordo Unctionis infirmorum eorumque pastoralis curae,* Praenotanda, nn. 38-39; *Ordo celebrandi Matrimonium,* editio typica altera, Praenotanda, nn. 39-44; *De Ordinatione Episcopi, presbyterorum et diaconorum,* editio typica altera, Praenotanda, n. 11; *De Benedictionibus,* Praenotanda generalia, n. 39.

[121] Cf *Ordo initiationis christianae adultorum,* Praenotanda, n. 66; *Ordo Baptismi parvulorum,* Praenotanda, n. 26; *Ordo Paenitentiae,* Praenotanda, n. 39; *Ordo celebrandi Matrimonium,* editio typica altera, Praenotanda, n 36.

[122] *Ordo initiationis christianae adultorum, Ordo Baptismi parvulorum,* Praenotanda generalia, n. 30, 2.

[123] *Ibid.,* n. 31; cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 65.

contra de itinere christianae initiationis, quod progressione quadam ducit per ritus cathecumenatus ad homines Christo incorporandos in Ecclesia per sacramenta Baptismatis, Confirmationis et Eucharistiae.

57. Multis in locis Matrimonii rituale aptationem quam maximam exigit ne a socialibus moribus sit alienum. Conferentia Episcoporum quaeque facultatem habet exarandi ritum proprium Matrimonii, usibus locorum et populorum congruentem, firma tamen lege, quae statuit ut Matrimonio assistens, sive clericus sive laicus,[124] prout casus fert, exquirat manifestationem contrahentium consensus eamque nomine Ecclesiae recipiat atque super nupturientes orationem benedictionis nuptialis proferat.[125] Hic ritus proprius semper significet oportet sensum christianum Matrimonii necnon gratiam sacramenti atque coniugum munera clare inculcet.[126]

58. Omni tempore et apud omnes populos exsequiae insignitae sunt ritibus peculiaribus, saepe magna significandi virtute ditatis. Ad diversarum regionum condicionibus respondendum, Rituale Romanum plures typos praebet pro exsequiis celebrandis, inter se distinctos,[127] ex quibus Conferentiis Episcoporum competit eum seligere, qui usibus localibus melius aptetur.[128] Libenter servantes quodquod in traditionibus familiaribus et moribus locorum bonum inveniatur, sane invigilabunt, ut exsequiae fidem paschalem manifestent reveraque evangelicum spiritum testificentur.[129] Hac servata ratione, exsequiarum ritualia usus diversarum culturarum assumere possunt atque uniuscuiusque regionis rerum adiunctis et traditionibus aptius respondere.[130]

59. Benedictiones personarum, locorum atque rerum, quae ipsam vitam, navitates et fidelium curas attingunt, plurimas aptandi possibilitates secumferunt, necnon mores locales servandi, ususque populi admittendi.[131] Conferentiae Episcoporum iis quae decreta sunt de hac re libenter utantur, attentis semper singularum regionum necessitatibus.

[124] Cf. *Codex Iuris Canonici,* cann. 1108 et 1112.

[125] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 77; *Ordo celebrandi Matrimonium,* editio typica altera, Praenotanda, n. 42.

[126] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n 77.

[127] Cf. *Ordo exsequiarum,* Praenotanda, n. 4.

[128] Cf. *ibid.,* nn. 9 et 21, 1-3.

[129] Cf. *ibid.,* n. 2.

[130] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 81.

[131] Cf. *ibid.,* n. 79; *De Benedictionibus,* Praenotanda, n. 39; *Ordo Professionis religiosae,* Praenotanda, nn, 12-15.

60. Ad ordinationem temporis liturgici, quod attinet, Ecclesia quaeque particularis et religiosae familiae celebrationibus Ecclesiae universalis proprias addunt, Sedis Apostolicae praevia approbatione.[132] Item Conferentiis Episcoporum facultas conceditur quosdam ex diebus festis de praecepto abolendi vel ad diem dominicam transferendi, praevia Apostolicae Sedis approbatione.[133] Earum est insuper Rogationes et Quattuor anni Tempora, quoad tempus et rationem celebrationis, opportune ordinandi.[134]

61. Liturgia Horarum, cuius finis est laudes Deo persolvere atque diem cunctamque hominum activitatem oratione sanctificare, Conferentiis Episcoporum praebet possibilitatem aptandi lectionem alteram Officii lectionis, hymnos et preces, necnon antiphonas mariales finales.[135]

62. In editione propria librorum liturgicorum apparanda, Conferentiae Episcoporum est iudicium ferre de versione seu interpretatione textuum necnon de aptationibus praevisis, ad normam iuris.[136] Acta Conferentiae, cum suffragiorum exitu, mittenda sunt, a Praeside et Secretario Conferentiae subsignata, ad Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, duobus adiectis integris exemplaribus librorum approbatorum.

Insuper, cum universa documentatio actuum mittitur:

a) modo brevi sed integro exponentur rationes, ob quas unaquaeque aptatio introducta est;

b) item indicabuntur partes, quae ab aliis libris liturgicis iam probatis sunt mutuatae quaeque vero ex novo composita sunt.

Post recognitionem Apostolicae Sedis ad normam iuris,[137] Conferentia Episcoporum procedet ad decretum promulgationis, tempus indicans a quo liber approbatus vigere incipiat.

63. Praeter aptationes, quae in libris liturgicis iam indicantur, fieri potest ut « variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat ».[138] Hic non amplius de aptationibus agitur, quae Institutionibus generalibus et Praenotandis librorum liturgicorum continentur.

[132] Cf. *Normae universales de Anno liturgico et de Calendario,* nn 49, 55; S. CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO, Instructio *Calendaria particularia,* 24 Iunii 1970: *AAS* 62 (1970), 651-663.

[133] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 1246 § 2.

[134] Cf. *Normae universales de Anno liturgico et de Calendario,* n. 46.

[135] Cf. *Liturgia Horarum,* Institutio generalis, nn. 92, 162, 178, 184.

[136] Cf, *Codex Iuris Canonici,* can. 455 § 2 et can. 838 § 3; quod valet etiam pro novis editionibus: IOANNIS PAULI II, Litterae apostolicae *Vicesimus quintus annus,* 4 Decembris 1988, n. 20: *AAS,* 81 (1989), 916.

[137] Cf. *Codex Iuris Canonici,* can. 838 § 3.

[138] CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 40,

Id postulat Conferentiam Episcoporum, antequam altioris aptationis inceptum iniret, omnes opportunitates imprimis adhibuisse, libris liturgicis praebitas, aptationum iam introductarum exitum perpendisse easdemque forte retractavisse. Utilitas vel necessitas talis aptationis manifestari potest circa quandam materiam supra indicatam (cf. *supra,* nn. 53-61), ceteris immutatis. Huiusmodi quoque aptationes minime tendunt ad Ritum romanum transformandum, sed potius intra ipsum suum obtinent locum.

64. Hoc in casu, unus vel plures Episcopi quaestiones, quae maneant circa suorum fidelium participationem, exponere possunt confratribus propriae Conferentiae, cum quibus examen instituant de opportunitate introducendi aptationes profundiores, si revera bonum animarum id exquirat.[139]

Episcoporum Conferentiae deinde competit aptationes, quas statuere exoptat, iuxta modum procedendi infra decretum, Sedi Apostolicae proponere.[140]

Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum praesto adest ad Conferentiarum Episcoporum propositiones recipiendas easdemque examini subiciendas, prae oculis habito bono Ecclesiarum localium, quarum interest, necnon bono communi universae Ecclesiae, atque ad inculturationis processum sedulo adiuvandum, ubi utile vel necessarium videatur, secundum principia et rationes hac in Instructione exposita (cf. *supra,* nn. 33-51), animo semper parato ad cooperationem confidenter praestandam ac mutuam officii conscientiam participandam.

65. Conferentia Episcoporum examini ea subiciet, quae in celebrationibus liturgicis mutari debent attentis populi traditionibus atque ingenio. Studium harum aptationum committet Commissioni nationali vel regionali de Liturgia, quae cooperationem peritorum exquirat ad culturae localis diversos elementorum aspectus examinandos, num eadem, si casus ferat, in celebrationes liturgicas inseri possint. Interdum opportunum est sententiam requirere religionum non christianarum personam gerentium de valore cultuali aut civili unius alteriusve ex elementis (cf. *supra,* nn. 30-32).

Examen hoc praevium fiet cooperantibus, si casus fert, Conferentiis Episcoporum regionum propinquarum vel eiusdem culturae (cf. *supra,* n. 51).

[139] Cf. S. CONGREGATIO PRO EPISCOPIS, Directorium de pastorali ministerio Episcoporum, *Ecclesiae imago,* 22 Februarii 1973, n. 84.

[140] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 40, 1.

66. Antequam quodcumque propositum hac in re experiatur, Conferentia Episcoporum proprium consilium Congregationi scripto et dilucide exponet. Haec praesentatio complecti debet descriptionem innovationum, quae proponuntur, eas admittendi rationes, criteria adhibita, loca ac tempora quae apta retinentur ad quaedam praevia experimenta peragenda et indicationem coetuum, qui illa exsecuturi sunt, acta demum deliberationis et Conferentiae suffragia circa rem tractatam.

Incepti examine expleto, a Conferentia Episcoporum et a Congregatione simul peracto, ipsi Conferentiae a Congregatione facultas tribuetur, si casus fert, experimentum per determinatum tempus peragendi.[141]

67. Conferentia Episcoporum invigilabit ut experimentum bene evolvatur,[142] Commissione nationali vel regionali de Liturgia de more adiuvante. Insuper invigilabit ne experimentum limites statutos locorum ac temporum praetergrediatur, ut pastores et fideles edoceantur de eius natura ad tempus et circumscripta, demum ne ita divulgetur ut vitam liturgicam nationis ultro afficere possit. Tempore experimenti exacto, Conferentia Episcoporum diiudicabit utrum propositum finalitati inquisitae respondeat an retractandum sit circa quaedam elementa, et deliberationem una cum documentationis fasciculo, in quo propositi experimenta describuntur, Congregationi deferet.

68. Documentationis examine peracto, Congregatio approbationis decretum edere poterit, animadversionibus forte additis, ut variationes seu mutationes, quae exquirebantur, in territorio, Conferentiae Episcoporum iurisdictioni subiecto, admittantur.

69. Christifideles, clerici et laici, bene edoceantur oportet de mutationibus statutis atque instituantur ad eas in celebrationes liturgicas introducendas. Exsecutio statutorum fiet iuxta rerum adiuncta, transitionis quodam tempore, pro opportunitate, disposito (cf. *supra,* n. 46).

70. Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum Conferentiis Episcoporum has novas rationes exhibet, quae opus inculturationis Ritus romani, a Concilio Vaticano II provisum, moderari debent, ad necessitatibus pastoralibus populorum, cultura diversorum, satisfaciendum. Opus quidem illud magna cum cura inseratur oportet in actionem pastora-

[141] Cf. CONCILIUM OECUM. VATICANUM II, Constitutio *Sacrosanctum Concilium,* n. 40, 2.
[142] Cf. *ibid.*

lem, omnia complectentem, ut Evangelium in diversis hominum culturalibus realitatibus corporetur. Congregatio autem confidit unamquamque Ecclesiam particularem, praesertim Ecclesias quae sunt recentioris aetatis, experiri posse quomodo diversitas, quoad elementa quaedam, celebrationis liturgicae fons locupletationis prorsus esse valeat, Ritus romani substantiali unitate servata, item totius Ecclesiae unitate atque integritate semel traditae sanctis fidei (cf. *Iud* 3).

Hanc Instructionem, quae de mandato Summi Pontificis a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum composita est, ipse Summus Pontifex Ioannes Paulus II approbavit et publici iuris fieri iussit.

Ex aedibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 25 Ianuarii 1994.

ANTONIUS M. card. JAVIERRE ORTAS, *Praefectus*

✠ Gerardus M. Agnelo, *Secretarius*

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

I

SALMANTIN.

Beatificationis Servae Dei Mariae Amparo a S. Corde Iesu (in saec.: Mariae Amparo Delgado García) fundatricis Monasterii Clarissarum Loci V. D. « Cantalapiedra » (1889-1941).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Postquam Cor Iesu dileximus et pro eo passi sumus, quam dulce est mori! ».

Haec verba, quae Serva Dei Maria Amparo a S. Corde Iesu pronuntiavit aeternitatem ingressura, optime eius vitam terrenam contemplationi amoris Christi crucifixi deditam, immolationi sui pro animarum sanctificatione atque christianae perfectioni consequendae, secundum praecepta et exempla Sancti Francisci ac Sanctae Clarae Assisiensium, summatim significant.

Orta est Serva Dei die 30 mensis Octobris anno 1889 in oppido Cantalapiedra, intra fines posito dioecesis Salmantinae, a Bernardino Delgado et Maria Angela García, legitimis coniugibus satis divitibus et vere christianis. Annorum quinque patre orbata, est a pia ac proba matre humana et religiosa educatione imbuta. Loci, ubi est nata, ludum frequentavit, conspicua eminens intellegentia. Quamvis vivacis indolis esset, cito tamen fortem ostendit propensionem ad solitudinem et deprecationem ac, post acceptam, anno 1898, primam Communionem, vitam spiritalem auxit, coniunctionem cum Deo, castigationis atque caritatis in pauperes exercitium. Voto castitatis fidelis, quod privatim nuncupaverat, omnem respuit uxoriam condicionem ac se totam Deo consecrare ardenter exoptavit, a quo iam tum gratias et dona supernaturalia recipiebat. Sanctis cum propositis mense Martio anno 1909 introivit inter moniales Cistercienses monasterii Sanctae Mariae La Real de Arévalo, ad dioecesim Abulensem pertinentis. Sed statim intellexit se alio a Domino vocari; attamen in deprecationem incubuit, in paenitentiam et austerae Regulae communitatis observantiam.

Non multo post, cum in gravem incidisset morbum, fuit ei domum redeundum, in qua in Christi cognitione et amore progredi perrexit seque de-

vovere, ut Cor Christi consolaretur et Mariam Immaculatam. Eam ob rem votum castitatis iteravit illique votum addidit se non esse voluntarium peccatum veniale commissuram, obtemperaturam confessario idque facturam, quod ei tamquam perfectius esset significatum.

Parocho eius monente, anno 1913 in conventum « Corpus Christi », appellatum, monialium Clarissarum Salmantinarum, intravit. Anno 1914 ibi vota temporanea suscepit et anno 1917 sollemnem fecit professionem. Infirma valetudine non est impedita, quominus regulam quam optime observaret et oboedientiam coleret. Corpore ac spiritu exercitata, coniunctionem cum Deo impensiorem reddidit et crebriora cum caelesti Sponso colloquia, multum in via contemplationis progrediens. Eo tempore alacriorem fortioremque usque vocem Domini audivit, quae eam hortabatur ad novum Clarissarum monasterium condendum, in quo perfectius servaretur regula, cultus tribueretur Sacro Cordi Iesu et peccata expiarentur, in primis animarum consecratarum.

P. Ioanne Gonzalez Arintero, O. P., et sacerdote Ambrosio Morales, oppidi Cantalapiedra parocho, suadentibus atque adiuvantibus, Serva Dei ardui operis condendi initium fecit. Episcopi Salmantini obtento permissu, die 31 mensis Maii anno 1920 sine opibus sed magna cum fiducia Providentiae Monasterium Sacri Cordis aperuit in oppido Cantalapiedra, una cum sorore sodali votis sollemnibus obstricta, novitia ac postulante. Ei munus creditum est abbatissae, quo est usque ad mortem iuncta, semper sollicitam matrem se ostendens, sapientem sororum sodalium magistram et antistitam iustam, prudentem, amabilem ac fortem. Ante omnia communitatis formationi prospexit, quam institutionibus, adhortationibus et vitae exemplo docuit in viis Dei ambulare et perfecte regulam sequi franciscanam. Ita locum creavit veri fervoris religiosi, egregiae caritatis et animarum salutis studii. Dominus adeo large operi illi benedixit, ut aliquando oportuerit idem ampliore sede donare. Hinc Serva Dei, non paucis cum incommodis, novo monasterio exstruendo consuluit, in quod Clarissae anno 1929 se contulerunt.

Mente et corde in Deo defixis, suam coluit consecrationem atque summa cura, perseverantia gaudioque spiritali virtutibus christianis se tradidit explicandis. Fide solida et alta ducta, Deum culmen posuit suarum cogitationum suorumque actuum; in eius verbum firmiter credidit et nisa est per omnia eius obsequi voluntati, bonum faciendo et quodvis attente fugiendo peccati ac vitii genus. Cum humilitate Passionem Christi et Sanctissimae Trinitatis mysterium est contemplata atque Trium Personarum est experta arcanam in animae suae templo praesentiam; multimodis diversisque in

circumstantiis est fruita Domini ac Virginis Mariae familiaritate, a quibus copiam accepit gratiarum, luminum singulariumque donorum. A mundi rebus aliena, suas inveniebat delicias in precatione continua, in pietate eucharistica et mariali atque in opera danda, per deprecationem, sacrificium et paenitentiam, Dei regni aedificationi, animarum sanctificationi et expiationi peccatorum. Magno, ardenti et indiviso amore Dei flagravit et Iesu crucifixi, quem est secuta in doloris via, patienter tolerando corporis et spiritus molestias, reprehensiones atque privationes. Caritate infiammata, continuo se abnegavit nihilque aliud appetivit, nisi servire Christi Cordi illudque laudare et consolari, hominum peccatis offensum. Verbo et plus etiam vitae testimonio sodales docuit eosque, quotquot occurrit, tota mente, toto corde, totis viribus (cf. Me 12, 33) Deum amandi momentum ac necessitatem.

Non minore alacritate et ardore caritatem in proximum exercuit, illi opitulando in necessitatibus spiritalibus et materialibus eiusque gaudia ac dolores cum simplicitate communicando. Pro peccatoribus se vovebat, ignoscebat inimicis, personas tolerabat importunas, maestos consolabatur. Ipsum conditum monasterium oppidi Cantalapiedra signum sollicitudinis est de animarum bono et Ecclesiae. Semper monialibus affuit, eas in vocatione sustinens, hortans, corrigens, ad mutuam incitans coniunctionem et benevolentiam. « Ne siveritis — aiebat — caritatem inter vos confringi; potius quam hoc fiat, velim hoc monasterium a quattuor lateribus ardere »; et addebat: « Filiae meae, anima quae vult progressus facere in perfectionis via, omnem culpam omneque vitium voluntarium arceat a se, quantumcumque est: nisi hoc fecerit, semper in eodem manebit loco, quoniam Dominus noster multis eam gratiis privabit, nec umquam poterit illa perfectionem adipisci ». Dilecta est et magni existimata etiam propter multam humilitatem suam; ceteris se inferiorem habebat et miseram peccatricem; facile consilia petebat et obsequenter alienos accipiebat monitus; libenter humiliora explebat munia, nec umquam de bono gloriata est, quod iaciebat deque donis a Deo acceptis. Francisci et Clarae fidelis discipula paupertatis virtutem magni duxit, omni re supervacanea se privans et cor inordinatis affectibus solutum servans. Castitatem coluit, sensuum et voluntatis continentiam, Dei legibus, Ecclesiae et antistitibus ecclesiasticis oboedientiam.

Fortiter ac patienter morbos tulit atque crebra, acerba tormina hepática, omnia patiens et Domino offerens pro sacerdotum sanctificatione.

Mense Aprili anno 1941 eius valetudo gradatim ingravescere coepit et pridie subsequentes Nonas Iulias, cum sacramentorum solacio et filiali monialium suarum cura, in aeternitatem introivit, quam semper concupiverat.

Fama sanctitatis, qua viva claruit, palam patefacta est in exsequiis et insequentibus annis crescere perseveravit et diffundi; quam ob rem Episcopus Salmantinus, permissu obtento Sanctae Sedis, Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum processum cognitionalem, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto pridie Idus Martias promulgato anno 1986. Instructa Positione super virtutibus, disputatum est an constaret de virtutibus in gradu heroico. Felici cum eventu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris postridie Nonas Martias anno 1994. Die 7 mensis Iunii eodem anno Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt Servam Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas serva visse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Amparo a S. Corde Iesu (in saec.: Mariae Amparo Delgado García), Fundatricis Monasterii Clarissarum loci v. d. « Cantalapiedra », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 2 mensis Iulii A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. SS.

£8 Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

II

TERULEN.

Beatificationis seu declarationis Martyrii Servorum Dei Anselmi Polanco, O.S.A. episcopi Terulensis et Philippi Bipoli sacerdotis eiusdem dioecesis (1939)

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus» *(Io* 10, 11) et «maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » *(Io* 15, 13).

Anselmus Polanco, sodalis Ordinis Sancti Augustini, Episcopus Terulensis et Administrator Apostolicus Albarracinensis, et Philippus Ripoll, Sacerdos eiusdem dioecesis et Vicarius Generalis supra memorati Episcopi, propter fidelitatem erga Christum, Ecclesiam suam et oves sibi commissas, animam posuerunt, nam libere una cum populo suo afflicto manere voluerunt usque ad vincula, deinde usque ad mortem. Unde de eorum praevia et aperta voluntate ad martyrium concludi potest.

Historia belli civilis Hispaniae (1936-1939) hodie satis cognita est. Odium fidei ita exardescebat ut merito dici possit agi non tantum de ecclesiasticorum occisione, sed etiam de institutionis socialis Ecclesiae eversione.

Anselmus Polanco Fontecha, in oppido Buenavista de Valdavia (Palentinae provinciae et tunc dioecesis Legionensis) natus est die 16 mensis Aprilis anno 1881, ibique post quinque dies Baptismum et anno octavo vitae suae Confirmationis sacramentum accepit.

Adulescens, a christiana familia educatus, vitae religiosae vocatione illectus, in loco Barriosuso (in Palentina provincia) apostolicam scholam frequentavi^ ut ludum expleret. Novitiatum Augustinianorum Vallisoleti ingressus, priora vota nuncupavit anno 1897 et anno 1900 sollemnem fecit professionem, dum virtutes théologales et cardinales enixe colebat.

In Augustinianorum Monasterio Sanctae Mariae « de La Vid » (Burgensis provinciae, tunc Oxomensis dioecesis) Sacrae Theologiae cursum annis 1900-1904 perfecit, ibique, post sacerdotalem ordinationem in parva urbe Oxomensi die 17 mensis Decembris anno 1904 acceptam, primam Missam in festo Nativitatis Domini celebravit anno 1904.

In Germania studiis theologicis perfectis, diversarum disciplinarum in supra memorato Monasterio Vitensi professor fuit usque ad annum 1923. Etiam Magister Theologiae renuntiatus est.

Prior Augustinianae communitatis Vallisoletanae, definitur Sanctissimi Nominis Iesu Provinciae Philippinarum electus, Manilam petivit, ubi Superior Maior Provinciae designatus est. Cum cura et pastorali caritate eiusdem Provinciae visitavit domus et diversarum regionum (nempe: Sinarum, Iaponiae, Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, Italiae, Amazoniae, Peruviae, Columbiae).

In Hispaniam reversus, a Pio XI deputatus est Episcopus Terulensis cum Administratione Apostolica dioecesis Albarracinensis adnexa. Vallisoleti consecratus die 24 mensis Augusti anno 1935, postea Terulii adfuit die 7 mensis Octobris et huius dioecesis possessionem cepit.

Cognitione aestimativa Verbi Dei insignitus, in sacris celebrandis, praesertim in Sacrificio Missae, sese ostendebat eximia cum pietate, etiam obsidionis et persecutionis tempore. Sacerdotes, religiosi et omnis populus, in primis pauperes, infirmi et saucii in Episcopo verum Patrem invenerunt, et exinde, usque ad hunc diem, illum « Patrem Polanco » appellaverunt, non modo propter eius vitae religiosae originem, sed etiam quia ab omnibus Bonus Pastor habebatur.

Anno 1936, magna belli calamitate populum Terulensem superveniente, cum christifidelibus in communione orationis et caritatis manebat. Epistulae ad Episcopos universae Ecclesiae missae, una cum Episcopis et Praesulibus omnium fere Hispaniae dioecesium, subscripsit ad causas belli, dolorem et cruciatum ex illo ortum patefacienda. Simul, et saepe, ante exercitus « nationalis » tribunalia militaria precabatur pro liberandis ex altera factione capite damnatis.

Die 8 mensis Ianuarii anno 1938, post cruentam obsidionem, urbs Terulensis capta est a militibus religioni inimicis et ipse Episcopus Polanco apud seminarium dioecesanum in vincula coniectus est.

Cum quidam dux quaesiisset quinam sacerdos paratus esset ad comitandum Episcopum, Philippus Ripoll inter presbyteros surgens, sua sponte et expedite in eius conspectum venit. Deinceps usque ad mortem cum Episcopo mansit.

Philippus Ripoll Morata ortus est Terulii die 14 mensis Septembris anno 1878 eodemque die est baptizatus. Tres annos natus est confirmatus, undecim seminarium dioecesanum ingressus.

Cursu ecclesiastico peracto, Terulii anno 1901 est presbyter ordinatus et statim eiusdem seminarii creatus professor. In Sacra Theologia probatus, canonicatum in Terulensi Cathedrali ex certamine obtinuit, postea alterum canonicatum in Burgensi Cathedrali, tandem Archidiaconus Ecclesiae Terulensis nominatus est. Anno 1913 et deinceps usque ad annum 1924 mu-

nere est functus rectoris seminarii. Eodem anno 1924 sodalis esse voluit Societatis Iesu; sed cum periculose aegrotaret, propter valetudinis causam et post biennium in dioecesim reversus atque christifidelibus laicis, Actioni Catholicae mulierum aliisque fidelium consociationibus addictus, necnon religiosarum confessionibus excipiendis tamquam moderator spiritus, et Capituli Terulensis constitutus est Paenitentiarius.

Cum Episcopus Polanco Terulium venit, ilico Philippum Ripoll suum nominavit Vicarium Generalem.

Pastoralis animarum curae expertissimus deque presbyteris educandis et seminarii alumnis pauperibus adiuvandis meritissimus, fidem, spem et caritatem erga Deum et proximos assidue coluit.

Philippus Ripoll, per omnia Episcopo fidelis, sodalis et amicus, fidus idcirco permansit belli, captivitatis et martyrii tempore.

Episcopus et eius Vicarius, cum aliis presbyteris et laicis, in vincula a militibus rei publicae propugnatoribus coniecti, et primum in carcerem Valentinum, deinde Barcinonensem ducti, captivitatem unius anni passi sunt.

Ambo, gratia Dei adiuvante, humiles et mites corde manserunt, Officium divinum, Rosarium Marianum quotidie recitabant et spiritalibus sermonibus cum captivis assidue se dicabant. Tandem, concedentibus rei publicae auctoritatibus, sanctum Missae sacrificium in festis celebrare potuerunt. Ex illo robur hauriebant ad inimicos diligendos et ad orandum pro persequentibus. Quos omnes Pater Polanco non « inimicos » vocari volebat, sed « fratres nostros delusos ».

Tunc temporis Episcopus Terulensis admonitus est, ut Epistulam Episcoporum, cui olim subscripserat, revocaret, facta ei promissione non solum liberationis, sed etiam provectionis ad Barcinonensem dioecesim. Iterum tamen iterumque Episcopus Polanco simulque presbyter Ripoll Christo et Romano Pontifici fideles manserunt, namque « non dilexerunt animam suam usque ad mortem » *(Apc* 12, 11).

Denique, post acerbam viam ex carcere ad locum « Can Boach », morte portenta, testibus visi sunt in ultima oratione manentes. Die 7 mensis Februarii anno 1939 a cohorte militum educti in locum venerunt appellatum « Can Tretze » (Pont de Molins, in Gerundensi dioecesi positum) et in odium fidei a sexta hora usque ad horam circiter nonam cum aliis quadraginta captivis occisi sunt, quia Episcopus et Presbyter fidelissimi manserant.

Corpora insepulta utriusque inventa, in communi fossa ibi posuerunt, sed postea, a Commissione delegata Terulensi recognita, Terulium translata sunt.

Ilico et sine intermissione ubique in Hispania Episcopus Polanco fidei martyr habitus est itemque Philippus Ripoll in dioecesi Terulensi, in qua iam ambo, non in cultu publico sed in populari existimatione sancti et martyres a christifidelibus cum sensu fidei putati sunt secundum consilium: « Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem » *(Heb* 13, 7).

Episcopus Terulensis canonizationis Causae initium fecit per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1950-1952), cui additi sunt rogatoriales Caesaraugustanus, Vallisoletanus, Gerundensis et Barcinonensis; quorum auctoritas et vis probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 8 mensis Martii anno 1991 promulgato. Apparata Positione, disputatum est an constaret de martyrio eiusque causa praedictorum Servorum Dei. Prospero cum exitu die 22 mensis Martii anno 1994 habitus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Deinde Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei insequentis mensis Iunii 21, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt Servos Dei Anselmum Polanco et Philippum Ripoll veros fidei martyres putandos esse.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa, Servorum Dei Anselmi Polanco, O.S.A., Episcopi Terulensis, et Philippi Ripoll, Sacerdotis eiusdem Dioecesis, anno 1939 interfectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 2 mensis Iulii A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

© Eduardus Nowak,
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

COLONIENSIS

de Provinciae ecclesiasticae finium mutatione

DECRETUM

Spirituali bono christifidelium solliciti, Sacrorum Antistates quorum interest, audita Conferentia Episcoporum Germaniae, a Sancta Sede enixe expostulaverant ut Ecclesia Osnabrugensis, hactenus Provinciae ecclesiasticae Coloniensi spectans uti suffraganea dioecesis Provinciae ecclesiasticae Hamburgensi aggregaretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ludovici Kada, Archiepiscopi tit. Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas, animarum saluti *valde* profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ad iuris conventi normam, separat Ecclesiam Osnabrugensem de Provincia ecclesiastica Paderbornensi eamque metropolitico iuri Archiepiscopi Hamburgensis subicit.

Ad haec omnia perficienda, Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Ludovicum Kada, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 24 mensis Octobris anno 1994.

& BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

83 Georgius Mejia, *a Secretis*

Loco £8 Sigilli
In Congr. pro Episcopis tab., n. 624/94

PADERBORNENSIS

de Provinciae ecclesiasticae finium mutatione

DECRETUM

Spirituali bono christifidelium solliciti, Sacrorum Antistites quorum interest, audita Conferentia Episcoporum Germaniae, a Sancta Sede enixe expostulaverant ut Ecclesia Hildesiensis, hactenus Provinciae ecclesiasticae Paderbornensi spectans uti suffraganea dioecesis Provinciae ecclesiasticae Hamburgensi aggregaretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Ludovici Kada, Archiepiscopi tit. Thibicensis et in Germania Apostolici Nuntii, de consilio Secretariae Status et Congregationis pro Episcopis, preces ad Se admotas, animarum saluti valde profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ad iuris conventi normam, separat Ecclesiam Hildesiensem de Provincia ecclesiastica Paderbornensi eamque metropolitico iuri Archiepiscopi Hamburgensis subicit.

Ad haec omnia perficienda, Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Ludovicum Kada, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 24 mensis Octobris anno 1994.

93 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

fB Georgius Mejia, *a Secretis*

Loco £B Sigilli
In Congr, pro Episcopis tab., n. 624/94

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 7 Ianuarii 1995. — Episcopum coadiutorem dioecesis Sancti Ignatii Velascani Exc.mum P. D. Carolum Stetter, hactenus Episcopum titularem Horrensem et Auxiliarem dioecesis Sancti Ignatii Velascani.

die 17 Ianuarii. — Metropolitanae Ecclesiae Tuamensi Exc.mum P. D. Michaelem Neary, hactenus Episcopum titularem Quaestorianensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 20 Ianuarii. — Metropolitanae Ecclesiae Moreliensi Exc.mum P. D. Albertum Suárez Inda, hactenus Episcopum Tacambarensem.

die 21 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aurusulianensi R. D. Lucianum Bux, e clero archidioecesis Barensis-Bituntinae presbyterum, quem constituit Episcopum auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 24 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Auguritensi R. D. Eduinum Michaelem Conway, e clero archidioecesis Chicagiensis, officii archidioecesani vulgo nuncupati « Department of Human Services » Moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S.R.E. Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Belensi, R. D. Geraldum Fridericum Kicanas, e clero archidioecesis Chicagiensis, Instituti vulgo dicti « Mundelein Seminary of the University of Saint Mary of the Lake » eiusdem archidioecesis rectorem, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S.R.E. Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Fortisventurae R. P. Georgium Vanee Murry, Societatis Iesu sodalem et Universitatis « Detroit Mercy » in oppido vulgo Detroit Pro-Decanum, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Iosephi Ludovici S.R.E. Cardinalis Bernardin, Archiepiscopi Chicagiensis.

die 25 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Libertinensi R. P. Andream Laun, Instituti Oblatorum S. Francisci Salesii sodalem, scholae superioris philosophicae-theologicae in abbatia vulgo Heiligenkreuz professorem atque paroeciae Kahlenbergerdorf nuncupatae moderatorem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Salisburgensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Gurzensi R. D. Vitum Schlickmann, e clero Florianopolitano, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi eiusdem archidioecesis.

—- Cathedrali Ecclesiae Itumbiarensi Exc.mum P. *D.* Celsum Pereira de Almeida, O. P., hactenus Episcopum Portus Nationalis.

die 27 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gubalianensi R. D. Ottonem Georgens, e clero dioecesis Spirensis, paroeciae Eppenbrunn nuncupatae curionem atque in vicariatu foraneo vulgo Pirmasens Pro-Decanum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 31 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Lamiggigensi R. P. Gundisalvum Duarte García de Cortázar, SS.CC, Vicarium episcopalem pro Religiosis Vallis Paradisi, quem deputavit Ordinarium Militarem in Republica Chiliensi.

die 2 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Pastopolitanae Exc.mum P. D. Iulium Henricum Prado Bolaños, hactenus Episcopum titularem Fornitanum maiorem et Auxiliarem Caliensem.

die 7 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Savannensi R. D. Ioannem Coemgenum Boland, e clero eiusdem dioecesis, Vicarium generalem et paroeciae Sanctae Annae in oppido vulgo Columbus curionem.

— Coadiutorem Exc.mi P. D. Ludovici Eduardi Gelineau, Episcopi Providentiensis, Exc.mum P. D. Robertum Eduardum Mulvee, hactenus Episcopum Vilmingtoniensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Sufetulensi R. D. Ioannem Martinum Dougherty, e clero dioecesis Scrantonensis, ibique Vicarium generalem atque paroeciae Sancti Patricii curionem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iacobi Cliffordi Timlin, Episcopi Scrantoniensis.

die 10 Februarii. — Titulari Ecclesiae Africanae R. P. Carolum Schleck, C.S.C., quem Congregationis pro Gentium Evangelizatione Secretarium adiunctum cum munere Pontificalium Operum Missionalium a Propagatione Fidei Consilii Superioris Praesidis constituit atque archiepiscopali dignitate ornavit.

die Ii Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Mercedanianae R. D. Carolum Mariam Collazzi Irazábal, Societatis Sancti Francisci Salesii sodalem, in archidioecesi Montisvidei parochum atque in Instituto Theologico Uruguaiano « Mariano Soler » professorem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 3 **Febbraio** 1995, **S. E. il Signor** JAVIER LUIS EGAÑA BARAONA, **Ambasciatore del Cile presso la Santa Sede.**

Lunedì, 6 **Febbraio** 1995, **S. E. il Signor** JOZSEF BRATINKA, **Ambasciatore di Ungheria presso la Santa Sede.**

Venerdì, 24 Febbraio 1995, **S. E. il Signor** MARCELO SANTOS VERA, **Ambasciatore dell'Ecuador presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Sabato, 4 Febbraio 1995, **S. E. il Signor** UGO MIFSUD BONNICI, **Presidente della Repubblica di Malta.**

Venerdì, 17 **Febbraio** 1995, **S. E. il Signor** JUAN CARLOS WASMOSY, **Presidente della Repubblica del Paraguay.**

Venerdì, 17 **Febbraio** 1995, **S.A.R.** SSABASAJJA KABAKA RONALD MUWENDA MUTEBI **II, Re dei Baganda.**

Venerdì, 17 **Febbraio** 1995, **L'on.** WILLY CLAES, **Segretario Generale della NATO.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

9 gennaio 1995. Il sac. Maurice Monier, *Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.*

23 » » S. E. mons. Janusz Bolonek, Arcivescovo tit. di Madauro, *Nunzio Apostolico in Romania.*

6 febbraio » S. E. mons. Pier Luigi Celata, Arcivescovo tit. di Doclea, *Nunzio Apostolico in Turchia.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

9 gennaio 1995. P. Eugen Hillengass, S.I., *Consultore della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*

26 » » P. Ambrogio Eszer, O. P., Relatore Generale della Congregazione delle Cause dei Santi.

» » » P. Cristoforo Bove, O.F.M. Conv., Relatore della Congregazione delle Cause dei Santi.

» » » S. E. mons. Elio Sgreccia, Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia, *Membro del Comitato di Presidenza del Pontificio Consiglio per i Laici.*

30 » » P. Sergio Pagano, Barnabita, *Vice Prefetto dél'Archivio Segreto Vaticano.*

31 » » L'Em.mo Signor Cardinale Achille Silvestrini, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

1 febbraio » Mons. Gianni Danzi, *Segretario della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano « ad quinquennium ».*

10 » » Mons. Piergaetano Lugano, *Vicario giudiziale aggiunto del Tribunale Regionale del Lazio per le Cause di nullità di matrimonio.*

» » » Il sac. Domenico Lugli, *Difensore del Vincolo e Promotore di Giustizia presso il Tribunale Regionale del Lazio per le Cause di nullità di matrimonio.*

14 » » P. Ivan Fucek, S.I., *Teologo aggiunto della Penitenzieria Apostolica.*

» » » Mons. Tommaso Giussani, *Canonista della Penitenzieria Apostolica.*

» » » P. Ubaldo Todeschini, O.S.M., *Consigliere della Penitenzieria Apostolica.*

» » » S. E. mons. Edward Nowak, Arcivescovo tit. di Luni, *Segretario della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

21 » » Il sac. Angelo Amati, *Difensore del Vincolo e Promotore di Giustizia del Tribunale d'Appello presso il Vicariato di Roma.*

23 » » Mons. Sandro Panizzolo, *Capo Ufficio nella Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

27 settembre 1994. Mons. Modesto Lopez Portillo (San Salvador).
» » » Mons. José Ricardo Urioste Bustamante (San Salvador).
30 » » Mons. Henry T. Munroe (Fall River).
» » » Mons. John J. Oliveira (Fall River).
22 ottobre » Mons. Narciso Allag (Toguegarao).
» » Mons. Vicente L. Catral (Toguegarao).
» » Mons. Mario Páparo (Acireale).

22 ottobre 1994. Mons. Mario Pavat (Pórec-Pula).
27 » » Mons. Roberto Torruela Avela (San Salvador).
3 novembre » Mons. Antonio Jannone (Nola).
9 » » Mons. Giuseppe Pollano (Torino).
17 » » Mons. Thomas C. Brady (Rockford).
21 » » Mons. Bachos Feghali (Antiochia dei Maroniti).
22 » » Mons. Nicola Labella (Pompei).
1 dicembre » Mons. Witoldus Bura (Wloclawek).
» » » Mons. Leonardus Urbanski (Wloclawek).
2 gennaio 1995. Mons. Terzo Natalini (Forlì-Bertinoro).

Prelati d'onore di Sua Santità:

5 settembre 1994. Mons Miklos Blanckenstein (Esztergom-Budapest).
» MonsVilmos Kirer (Esztergom-Budapest).
» Mons, István Kovács (Esztergom-Budapest).
» Mons, Német Lászcs (Esztergom-Budapest).
» Mons, Mihaly Vigassy (Esztergom-Budapest).
» Mons. Jeno Megyer (Esztergom-Budapest).
» Mons Matthew O'Donneil (Galway).
» Mons Ferdinando Neri (Siena-Collevaldelsa-Montalcino).
» Mons David Beccerica (Fermo).
» Mons, Domenico Folletti (Fermo).
» Mons, Gabriele Mióla (Fermo).
» Mons. Raymond Boulbes (Pamiers).
» Mons Janos Kühner (Kalocsa-Kecskemet).
» Mons Laszlo Fankas (Kalocsa-Kecskemet).
» Mons Roberto Carrara (Apucarana).
» Mons Francis A. Coady (St. John's New Foundland).
» Mons. John F. Wallis (St. John's New Foundland).
» Mons, James J. Doody (St. John's New Foundland).
» Mons André Lavollee (Meaux).
» Mons Michel Veissier (Meaux).
» Mons Andrea Baiocchi (Rimini).
» Mons George W. Coleman (Fall River).
2 novembre » Mons Fortino Barrueta Avila (Toluca).
» Mons. Johannes Kohg (Eisenstadt).
» Mons Alessandro Dell'Era (Lecce).
» Mons Benedetto Biscotti (Lecce).
» Mons Gerardo Rocconi (Senigallia).
» Mons Michele Rotundo (Potenza-Muro Lucano - Marsico Nuovo).
» Mons Dario Berruto (Torino).
» Mons Piergiorgio Candellone (Torino).
» Mons Vincenzo Chiarie (Torino).
» Mons James M. Harvey (Milwaukee).
» Mons, Oreste Favaro (Torino).
» Mons Giacomo Maria Martinacci (Torino).
» Mons Terry W. Yong (Atlanta).
» Mons Giovanni D'Angiolillo (Vallo della Lucania).
» Mons Alfredo Renna (Vallo della Lucania).

17 novembre 1994. Mons. Giovanni Cammarano (Vallo della Lucania).
» » » Mons. Giovanni Danzi (Lugano).
» » » Mons. Giorgio Corbellini (Piacenza-Bobbio).
» » » Mons. Alfonso Badini Confalonieri (Susa).
» » » Mons. Charles W. McNamee (Rockford).
» » » Mons. Deviol D. Kagan (Rockford).
» » » Mons. Jose T. Lagdameo (Gumaca).
21 » » Mons. Joseph V. Boyd (Galloway).
» » » Mons. Giovanni Garlanda (Vercelli).
22 » » Mons. Albertt J. Beck (Galveston-Huston).
» » » Mons. Milan E. Kleas (Galveston-Huston).
» » » Mons. Eugene G. Francis (Galveston-Huston).
» » » Mons. Charles C. Domec (Galveston-Huston).
» » » Mons. James C. Golasinski (Galveston-Huston).
» » » Mons. Reginald R. Nesvadba (Galveston-Huston).
28 » » Mons. Paul Geers (Società dei Missionari d'Africa).
1 dicembre » Mons. James T. Melnic (Philadelphia degli Ucraini).
2 » » Mons. Giuseppe Crovella (Biella).
» » » Mons. Francesco Gambaro (Novara).
» » » Mons. Sergio Bianchi (Roma).
21 » » Mons. Antonas Jonusasa (Telsiai).
» » » Mons. Antonas Rubsys (Telsiai).

Cappellani di Sua Santità:

7 settembre 1994. il sac. Luigi Franzoi (Trento).
10 » » il sac. Patrick Descourtieux (Parigi).
12 » » il sac. Saul De Paolis (Fermo).
13 » » il sac. Domenico Segalini (Brescia).
» » » il sac. Guido Genero (Udine).
15 » » il sac. Othmar Siebenhüter (Feldkirch).
» » » il sac. Johann Weidinger (Linz).
» » » il sac. Hubert Puchberger (Linz).
» » » il sac. Siegfried Stahr (Linz).
» » » il sac. Alfons Riedl (Linz).
» » » il sac. Josef Högliner (Linz).
» » » il sac. Josef Honeder (Linz).
» » » il sac. Franz Auzinger (Linz).
» » » il sac. Franz Jetschgo (Linz).
17 » » il sac. Armando Muccichini (Fermo).
» » » il sac. Enrico Perfetti (Fermo).
» » » il sac. Lino Ramini (Fermo).
» » » il sac. Henryk Florek (Rzeszow).
» » » il sac. Wieslaw Szurek (Rzeszow).
» » » il sac. Paolo De Angelis (Fermo).
» » » il sac. Germano Liberati (Fermo).
» » » il sac. Francesco Monti (Fermo).
» » » il sac. Vinicio Albanesi (Fermo).

17	settembre	1994.	il sac. Giorgio Cupidio (Fermo).
»	»	»	il sac. Michael Jackson (Arundel and Brighton).
»	»	»	il sac. Tarcisio Lucis (Udine).
»	»	»	il sac. Ciro Canfora (Benevento).
»	»	»	il sac. Pompilio Cristino (Benevento).
»	»	»	il sac. Abramo Mario Martignetti (Benevento).
19	»	»	il sac. György Nenyik (Kalocsa-Kecskemet).
26	»	»	il sac. Abelardo S. Basilio (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Florentino M. Canias (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Norberto R. Coronel (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Rustico C. Cuevas (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Cenovio M. Lumanog (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Edgardo P. Pangan (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Ricardo J. T. Serrano (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Teodulfo D. Tantengco (S. Fernando Pampanga).
»	»	»	il sac. Mario Franco (Alba).
»	»	»	il sac. Franco Sarzi Sartori (Cremona).
»	»	»	il sac. Salvatore Camarda (Messina-Lipari-S. Lucia del Mela).
»	»	»	il sac. Bernardo Pantin (Palo).
27	»	»	il sac. Fabian Conrado Amaya Torres (San Salvador).
»	»	»	il sac. Cristóbal Cortes Ramírez (San Salvador).
»	»	»	il sac. Ricardo Ayala Valladares (San Salvador).
30	»	»	il sac. Fernando Montenegro Abath (Paraiba).
»	»	»	il sac. Aleredo Barbosa dos Santos (Paraiba).
»	»	»	il sac. Jose Triguero do Vale (Paraiba).
22	ottobre	»	il sac. Joaquín Antonio Da Costa Vilar (Viana do Castelo).
»	»	»	il sac. Antonio Fernandes Concaves (Viana do Castelo).
»	»	»	il sac. José Riberiu (Viana do Castelo).
»	»	»	il sac. Sergio Augusto Goncalves Pereira (Viana do Castelo).
25	»	»	il sac. José Garcia Cantu (Estelí).
»	»	»	il sac. Filippo Monti (Milano).
»	»	»	il sac. Camillo Munzio (Milano).
»	»	»	il sac. Carlo Scerini (Milano).
»	»	»	il sac. Mario Sorrentino (Milano).
»	»	»	il sac. Bruno Tonolli (Milano).
»	»	»	il sac. Luigi Crivelli (Milano).
»	»	»	il sac. Erminio De Scalzi (Milano).
»	»	»	il sac. Heribert Löcherbach (Milano).
»	»	»	il sac. Giuseppe Agostini (S. Marino-Montefeltro).
»	»	»	il sac. Graziano Cesaroni (S. Marino-Montefeltro).
»	»	»	il sac. Giuseppe Celli (Rimini).
»	»	»	il sac. Alvaro Della Bartola (Rimini).
»	»	»	il sac. Enzo Gobbi (Rimini).
»	»	»	il sac. Dino Paesani (Rimini).
»	»	»	il sac. Agostino Pasquini (Rimini).
»	»	»	il sac. Luigi Tiberti (Rimini).
3	novembre	»	il sac. Antonio Gian cane (Lecce).
»	»	»	il sac. Cesare Lodeserto (Lecce).
»	»	»	il sac. Luigi Sergio (Lecce).

3	novembre	1994.	il sac. Franco Marinelli (Senigallia).
»	»	»	il sac. Giuseppe Giraldi (Senigallia).
»	»	»	il sac. Claudiano Strazzari (Roma).
»	»	»	il sac. Lino Bricca (Città di Castello).
»	»	»	il sac. Annibale Orazi (Città di Castello).
»	»	»	il sac. Giuseppe Fiorucci (Città di Castello).
»	»	»	il sac. Paterno B. Granada (Gumaca).
»	»	»	il sac. Ciriaco A. Sevilla (Gumaca).
»	»	»	il sac. Candido C. Umali (Gumaca).
12	»	»	il sac. Giuseppe Ceci (Roma).
16	»	»	il sac. Luigi Betelli (Bergamo).
17	»	»	il sac. Daniele Micheletti (Roma).
»	»	»	il sac. Nicola Ciόla (Roma).
»	»	»	il sac. Luigi Falcone (Cosenza-Bisignano).
»	»	»	il sac. Francesco Mercurio (Napoli).
»	»	»	il sac. Giuseppe DAngelo (Vallo della Lucania).
»	»	»	il sac. Manfred Paas (Essen).
»	»	»	il sac. Antonio Lazzaro (Termoli-Larino).
»	»	»	il sac. Michele Novella (Vercelli).
»	»	»	il sac. Pietro Varese (Vercelli).
»	»	»	il sac. Sergio Vercelli (Vercelli).
»	»	»	il sac. Pietro Contorbia (Vercelli).
»	»	»	il sac. Giorgio Neceo (Vercelli).
22	»	»	il sac. Stanislaw Bohatkiewicz (Wroclaw).
»	»	»	il sac. Albino Dal Cin (Rieti).
»	»	»	il sac. Emmerich K. Horvath (Eisenstadt).
»	»	»	il sac. Emmerich Zechmeister (Eisenstadt).
»	»	»	il sac. Walter Schwarz (Eisenstadt).
»	»	»	il sac. Alfred Hirtenfelder (Eisenstadt).
1	dicembre	»	il sac. Alexander Maciejewski (Wloclawek).
»	»	»	il sac. Marianus Golebiewski (Wloclawek).
»	»	»	il sac. Joannes Nowaczyk (Wloclawek).
»	»	»	il sac. Stanislaw Waszczynski (Wloclawek).
»	»	»	il sac. Thaddaeus Przybylski (Wloclawek).
»	»	»	il sac. Zbigniew Skrobicki (Wloclawek).
»	»	»	il sac. John Beckage (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	il sac. Theodore Boholnick (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	il sac. Pedro Quitorio (Borongán).
»	»	»	il sac. Giancarlo Santi (Milano).
»	»	»	il sac. Felice Vigentini (Milano).
»	»	»	il sac. Egidio Bonfanti (Milano).
2	»	»	il sac. Sebastiano Sanguinetti (Nuoro).
»	»	»	il sac. Simone Giusti (Pisa).
»	»	»	il sac. Antonio Lanfranchi (Piacenza-Bobbio).
»	»	»	il sac. Mario Russotto (Ragusa).
»	»	»	il sac. Salvatore Fisichella (Roma).
15	»	»	il sac. Luigi Reggiani (Rimini).
»	»	»	il sac. Alfredo Murer (Belluno-Feltre).
»	»	»	il sac. Renato De Vido (Belluno-Feltre).

21	dicembre	1994.	il sac. Carlo Orsini (Milano).
	»	»	il sac. Giovanni Pesci (Milano).
»	»	»	il sac. Gian Piero Camelli (Milano).
»	»	»	il sac. Renzo Cavallini (Milano).
	»	»	il sac. Vitoldus J. Jankowski (Warszawa).
»	»	»	il sac. Ioannes A. Marcjan (Warszawa).
»	»	»	il sac. Giacomo Incitti (Frosinone-Veroli-Ferentino).
»	»	»	il sac. Domenico Sorrentino (Nola).
24	»	»	il sac. Joseph Zmijewski (Fulda).
»	»	»	il sac. Elmar Fastenrath (Fulda).
		»	il sac. Richard Voss (Essen).
»	»	»	il sac. Reinhard Busbach (Essen).
»	»	»	il sac. Giovanni Forlani (Tortona).
»	»		il sac. Gioacchino Riassetto (Torino).
»	»	»	il sac. Mario Rebuffoni (Brescia).
»	»	»	il sac. Pietro Paolo Ferretti (Camerino-S. Severino Marche)

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

20 ottobre 1994. A S. E. il signor Gaio Alberto Leoro Franco *(Ecuador).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di 8. Gregorio Magno, classe civile:

25	ottobre	1994.	Al sig. Augustus V. Stagnétto *(Gibilterra).*
9	novembre	»	Al sig. Heinrich Schneider *(Austria).*
8	dicembre	»	Al sig. Ugo Barbieri (Tivoli).
»	»	»	Al sig. Pietro Liani (Tivoli).

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

4	ottobre	1994.	Al sig. Chaethanus E. Hodges, Jr. (Savannah).
7	»	»	Al sig. Jerzy Palmi (Southwark).
17	»		Al sig. John Patrick Scattery (Sydney).
21	»	»	Al sig. Yuchang Chang - *(Cina).*
»	»	»	Al sig. Sandro Strohmenger (Milano).
»	»	»	Al sig. Aldo Cinelli (Milano).
25	»	»	Al sig. Günter Herms (Köln).
3	novembre	»	Al sig. Francesco Corvaglia (Lecce).
»	»	»	Al sig. Luigi Marcelli (Lecce).
7	»	»	Al sig. Franciscus A. Vissers (Haarlem).
9	»	»	Al sig. Gino Selvi (Città di Castello).
28	»	»	Al sig. Giovanni Carnevali (Roma).
»	»	»	Al sig. Armando Aguilar (La Paz).
»	»		Al sig Ruben De La Mora Torres (Città del Messico).
»	»	»	Al sig. Lelio Bernardi (Roma).

28	novembre	1994.	Al sig. Vincenzo Buonomo (Roma).
1	dicembre	»	Al sig Sergio Brugnelli (Cremona).
»	»	»	Al sig Joseph Pawliczek (Freiburg im Breisgau).
»	»	»	Al sig Giuseppe Doninelli (Loreto).
11	»	»	Al sig Gilbert Levine *(Stati Uniti d'America).*
12	»	»	Al sig Mario Palmiero *(Italia).*
»	»	»	Al sig Oronzo Scoletta *(Italia).*
»	»	»	Al sig Pietro Maggiore *(Italia).*
23	»		Al sig Ernesto Oliviero (Torino).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

23	settembre	1994.	Al sig Michel Clerc (Meaux).
7	ottobre	»	Al sig Michael Weinmann (Wienn).
13	»	»	Al sig Francesco Farina (Siena-Collevaldelsa-Montalcino).
»	»	»	Al sig Jean-Jacques Munier (Parigi).
21	»	»	Al sig Alfred Dünner (Köln).
25	»	»	Al sig Claudio Morotti (Milano).
3	novembre	»	Al sig Gianfranco Milillo *(Italia).*
»	»		Al sig Umberto Segneri (Frosinone-Veroli-Ferentino).
»	»	»	Al sig. Renzo Marziantonio *(Italia).*
7		»	Al sig. Thomas Carberry (Glasgow).
»		»	Al sig. Francis Maguire (Glasgow).
»	»	»	Al sig. Abtemariam Waldekidan (Addis Abeba).
»	»	»	Al sig. Enrico Silvi (Roma).
»	»	»	Al sig. John B. Stillwel (Faro).
»	»	»	Al sig. Tibor Buzady *(Ungheria).*
9	»	»	Al sig. Antonio Antonelli (Urbino-Urbania-S. Angelo in Vado).
»	»	»	Al sig. Ennio Staccioli (Urbino-Urbania-S. Angelo in Vado).
»	»	»	Al sig. Raimondo Rossi (Urbino-Urbania-S. Angelo in Vado).
»	»	»	Al sig. Franco Fini (Urbino-Urbania-S. Angelo in Vado).
»	»	»	Al sig. Alfredo Giampaoli (Urbino-Urbania-S. Angelo in Vado).
»	»	»	Al sig. Alphonsus J.W.M. Jürgens ('s-Hertogenbosch).
»	»	»	Al sig. Jeno Gabor (Györ).
»	»	»	Al sig. Jacques Esterle (Strasbourg).
17		»	Al sig. Gennaro Di Mizio (Roma).
19	»	»	Al sig. Masao Takezawa *(Giappone).*
28	»	»	Al sig. Heribert Emsbah (Köln).
»	»	»	Al sig. Helmut Schmelz (Köln).
1	dicembre	»	Al sig. Ivan Skoczylas (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Al sig. Michael J. Smylie (Philadelphia degli Ucraini).
»	»	»	Al sig. John Glowa (Philadelphia degli Ucraini).
21	»	»	Al sig. Deviol R. Meleski (San Diego).

La Croce di Dama dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

4	ottobre	1994.	Alla sig.ra Sally K. Grubbs (Atlanta).
7	»	»	Alla sig.ra Krystyna Mochlinska (Southwark).
1	dicembre	»	Alla sig.ra Stefania Doninelli (Loreto).

La Gran Croce dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

9 novembre 1994. Al sig. Gerhard Meier *(Svizzera).*

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 ottobre 1994. Al sig. Lothar Matzenauer (Wienn).
15 » » Al sig. Joseph Wöckinger (Linz).
2 dicembre » Al sig. Vincenzo Berardi (Castellaneta).
8 » » Al sig. Francesco Barresi (Tivoli).
15 » » Al sig. Lothar Nechleba *(Germania).*

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 ottobre 1994. Al sig. Reinald Hübl (Wien).
8 » » Al sig. Giacomo Bonassoli (Roma).
12 » » Al sig. Amleto Napoletano (Roma).
13 » » Al sig. Stephanus C. Weijers (Utrecht).
17 » » Al sig. Fiora vante Farinelli (Reggio Emilia-Guastalla).
» » » Al sig. Guido Nasi (Reggio Emilia-Guastalla).
» » » Al sig. Amedeo Becchi (Reggio Emilia-Guastalla).
» » » Al sig. Edgardo Casotti (Reggio Emilia-Guastalla).
8 novembre » Al sig. Georg Moussallieh (Aleppo).
9 » » Al sig. Giorgio Mutascio Bulbarelli (Verona).
» » » Al sig. Ottavio Da vico (Torino).
28 » » Al sig. Jacques Moularert (Malines-Bruxelles).
2 dicembre » Al sig. Adelmo Mateocci (Rieti).
» » » Al sig. Loris Scopigno (Rieti).
» » » Al sig. Emilio Di Ianni (Rieti).
» » » Al sig. Giuseppe Forconi (Rieti).
12 » » Al sig. Guglielmo Tovo (Asti).
» » Al sig. Giorgio Galvagno (Asti).
» » Al sig. Gianfranco Rebaudengo (Asti).
» » Al sig. Salvo Garipoli (Asti).

La Croce di Dama dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 ottobre 1994. Alla sig.ra Elfriede Krayse (Wienn).
25 » » Alla sig.ra Stefania Galli (Milano).
9 novembre » Alla sig.ra Margarete Kohlenberger (Eisenstadt).

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 ottobre 1994. Al sig. Leopold Ruoo (Wien).
17 » » Al sig. Domenico Magri (Siena-Collevaldelsa-Montalcin
Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Pedemontanam in personam iuridicam erigit, ad normam can. 433 C.I.C et iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

© BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 25/93

UMBRIAE

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones Umbriae iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, Umbram appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio constat Ecclesiis immediate subiectis *Spoleto-Norcia, Orvieto-Todi, Terni-Narni-Amelia,* vulgo nuncupatis, necnon ecclesiastica provincia Perusina-Civitatis Plebis, sede metropolitana vulgo *Perugia-Città della Pieve* eiusque suffraganeis dioecesibus *Assisi-Nocera Umbra-Gualdo Tadino, Città di Castello, Foligno, Gubbio* constituta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Umbra in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit atque praescripto can. 433 § 1 C.I.C. derogavit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Umbram in personam iuridicam erigit, iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Umbriae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Umbriae Conferentia statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede sunt « recognita », vim habent obligandi etiam Ordinarium Sabinensem-Mandelensem, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentem, pro suae Ecclesiae territorii parte quae intra fines regionis civilis Umbriae sita est. Qui Ordinarius, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendus est.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Fumo, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

ffi BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. ©S.

£B Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 26/93

PICENI

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones Piceni iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, vulgo *Marche* appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio constat Ecclesiis immediate subiectis *Ascoli Piceno, Fabriano-Mdtelica, Loreto,* vulgo dictis, necnon ecclesiasticis provinciis:

— Anconitana-Auximana, metropolitana sede vulgo *Ancona-Osimo* eiusque suffraganea dioecesi *Jesi* composita;

— Firmana, metropolitana sede vulgo *Fermo* eiusque suffraganeis Ecclesiis *Camerino-San Severino Marche, Macerata-Tolentino-Recanati-Cingoli-Treia, San Benedetto del Tronto-Ripatransone-Montalto* constituta;

— Urbinatensi-Urbaniensi-Sancti Angeli in Vado, metropolitana sede vulgo *Urbino-Urbania-Sant'Angelo in Vado* eiusque suffraganeis dioecesibus *Fano-Fossombrone-Cagli-Pergola, Pesaro, Senigallia* effecta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Picena in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit atque praescripto can. 433 § 1 C.I.C. derogavit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Picenam in personam iuridicam erigit, iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Picenae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Conferentia Piceni statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede « recognita » sunt, vim habent obligandi etiam Ordinarios, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentes, pro suarum Ecclesiarum territorii parte quae intra fines civilis regionis vulgo *Marche* sita est. Qui Ordinarii, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendi sunt.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

© BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. ©S.

© Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n., 27/93

ETRURIAE

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones Etruriae iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, vulgo *Toscana* appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio constat Ecclesiis immediate subiectis *Lucca, Monte Oliveto Maggiore,* vulgo dictis, necnon ecclesiasticis provinciis:

— Florentina, metropolitana sede vulgo *Firenze,* eiusque suffraganeis dioecesibus *Arezzo-Cortona-Sansepolcro, Fiesole, Pistoia, Prato, San Miniato* constituta;

— Pisana, metropolitana sede vulgo *Pisa,* eiusque suffraganeis dioecesibus *Livorno, Massa Carrara-Pontremoli, Pescia, Volterra* composita;

— Senensi-Collensi-Ilcinensi, metropolitana sede vulgo *Siena-Colle di Val d'Elsa-Montalcino* eiusque suffraganeis dioecesibus *Grosseto, Massa Marittima-Piombino, Montepulciano-Chiusi-Pienza, Pitigliano-Sovana-Orbetello* effecta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Etruriae in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit atque praescripto can. 433 § 1 C.I.C. derogavit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Etruriae in personam iuridicam erigit, iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Etruriae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Etruriae Conferentia statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede sunt « recognita », vim habent obligandi etiam Ordinarium Faentinum-Mutilensem, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentem, pro suae Ecclesiae territorii parte quae intra fines regionis civilis vulgo *Toscana* sita est. Qui Ordinarius, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendus est.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

© BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

© Georgius Mejia, *a /Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 28/93

AEMILIAE — FLAMINIAE

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae provinciae Aemiliae-Flaminiae iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, vulgo *Emilia-Romagna* appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio ecclesiasticis provinciis constat:

— Bononiensi, metropolitana sede vulgo *Bologna* eiusque suffraganeis dioecesibus *Faenza-Modigliana, Ferrara-Comacchio, Imola* constituta;

— Mutinensi-Nonantulana, metropolitana sede vulgo *Modena-Nonantola* eiusque suffraganeis dioecesibus *Carpi, Fidenza, Parma, Piacenza-Bobbio, Reggio Emilia-Guastalla* composita;

— Ravennatensi-Cerviensi, metropolitana sede vulgo *Ravenna-Cervia* eiusque suffraganeis dioecesibus *Cesena-Sarsina, Forli-Bertinoro, Rimini, San Marino-Montefeltro* effecta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camilms S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Aemiliae-Flaminiae in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Aemiliae-Flaminiae in personam iuridicam erigit, ad normam can. 433 C.I.C. et iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Aemiliae-Flaminiae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Aemiliae Flaminiae Conferentia statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede sunt « recognita », vim habent obligandi etiam Ordinarium Massensem-Apuanum, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentem, pro suae Ecclesiae territorii parte quae intra fines regionis civilis vulgo

Emilia-Romagna sita est. Qui Ordinarius, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendus est.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

£8 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. ©S.

& Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 29/93

LIGURIAE

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones Liguriae iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, Liguricam appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio constat ecclesiastica provincia Ianuensi, metropolitana sede vulgo *Genova* eiusque suffraganeis dioecesibus *Albenga-Imperia, Chiavari, La Spezia-Sarzana-JBrugnato, Savona-Noli, Tortona, Ventimiglia-San Remo* composita.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Ligurica in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit atque praescripto can. 433 § 1 C.I.C. derogavit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Liguricam in personam iuridicam erigit, iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Liguricae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Liguriae Conferentia statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede sunt « recognita », vim habent obligandi etiam Ordinarios, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentes, pro suarum Ecclesiarum parte quae intra fines regionis civilis Liguriae sita est. Qui Ordinarii, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendi sunt.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

83 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. ffi S.

6B Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 30/93

TRIUM VENETIARUM

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones in civilibus regionibus vulgo *Veneto, Friuli-Venezia Giulia* et *Trentino-Alto Adige* exstantes, iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, *T riveneto* dictam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio ecclesiasticis provinciis constat:

— Goritiensi, metropolitana sede vulgo *Gorizia* eiusque suffraganea dioecesi *Trieste* composita;

— Tridentina, metropolitana sede vulgo *Trento* eiusque suffraganea dioecesi Bolzano-Bressanone constituta;

— Utinensi, metropolitana sede vulgo *Udine* formata;

— Venetiarum, patriarchali Ecclesia vulgo *Venezia* eiusque suffraganeis dioecesibus *Adria-Rovigo, Belluno-Feltre, Chioggia, Concordia-Pordenone, Padova, Treviso, Verona, Vicenza, Vittorio Veneto* effecta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Trium Venetiarum in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Trium Venetiarum in personam iuridicam erigit, ad normam can. 433 C.I.C. et iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

SB BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. « S .

ffi Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 31/93

LANGOBARDIAE

De regionis ecclesiasticae in personam iuridicam erectione

DECRETUM

Ut communis diversarum dioecesium vicinarum, iuxta personarum et locorum adiuncta, actio promoveretur, utque dioecesanorum Episcoporum inter se relationes aptius foverentur, ecclesiasticae circumscriptiones Longobardiae iam longo tempore in regionem ecclesiasticam, Langobardam appellatam, coniunctae atque communi sensu uti « regio » habitae sunt.

Quae quidem regio constat ecclesiastica provincia Mediolanensi, metropolitana sede vulgo *Milano* eiusque suffraganeis dioecesibus *Bergamo, Brescia, Como, Crema, Cremona, Lodi, Mantova, Pavia, Vigevano* constituta.

Quo autem eiusdem ecclesiasticae regionis pastoralis opera efficacius expleri possit, Em.mus P.D. Camillus S.R.E. Cardinalis Ruini, Episcoporum Conferentiae Italicae Praeses, ab Apostolica Sede expostulavit, ut memorata regio ecclesiastica Langobarda in personam iuridicam erigeretur.

Summus Pontifex Ioannes Paulus, divina Providentia Pp. II, ratus eiusmodi petitionem animarum bono profuturam, porrectis precibus benigne annuendum censuit atque praescripto can. 433 § 1 C.I.C. derogavit.

Quapropter, praesenti Congregationis pro Episcopis decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiasticam regionem Langobardam in personam iuridicam erigit, iuxta statuta quae in adnexo exemplari continentur.

Ad art. 5 memoratorum statutorum quod attinet, de regionis ecclesiasticae Langobardae cum regione civili pactionibus, quae legitime ab Episcoporum Langobardiae Conferentia statuuntur ac canonice ab Apostolica Sede sunt « recognita », vim habent obligandi etiam Ordinarios, ad aliam Episcoporum Conferentiam pertinentes, pro suarum Ecclesiarum parte quae intra fines regionis civilis Langobardiae sita est. Qui Ordinarii, tamen, antequam aliqua pactio conficiatur, audiendi sunt.

Ad haec exsecutioni mandanda, idem Summus Pontifex deputat Exc.mum P.D. Carolum Furno, Archiepiscopum titularem Abaritanum et in Italia Apostolicum Nuntium, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad memoratam Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Congregationis pro Episcopis, die 4 mensis Novembris anno 1994.

ЕВ BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. ©S.

SS Georgius Mejia, *a Secretis*

In Congr. pro Episcopis tab., n. 32/93

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 16 Februarii 1995. — Coadiutorem Exc.mi P.D. Ioannis Mariae Fortier, Archiepiscopi Sherbrookensis, Exc.mum P.D. Andream Gaumond, hactenus Episcopum Sanctae Annae Pocatierensis.

die IS Februarii. — Coadiutorem Exc.mi P.D. Ioannis Chabbert, Episcopi Elnensis, R.D. Andream Fort, e clero Augustodunensi ac Seminarii maioris vulgo dicti « Paray-le-Monial » moderatorem.

die 21 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Guanarensi Exc.mum P.D. Alexandrum Figueroa Medina, hactenus Episcopum titularem Forconiensem et Auxiliarem Barinensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Frontensi R.D. Iosephum Grünwald, dioecesis Augustanae Vindelicorum Pro-vicarium generalem atque Capituli cathedralis Decanum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 22 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Fori S. Annae, Exc.mum P.D. Itamarum Navildum Vian, O.F.M. Cap., hactenus Episcopum Barrensem.

— Coadiutorem dioecesis Santosensis R.P. Jacyr Franciscum Braido, C.S., Magistrum Novitiorum Congregationis Missionariorum a Sancto Carolo in Sarandi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Slebtensi, R.P. Terentium Pendergast, Societatis Iesu Sodalem, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Torontinae.

die 28 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Iugalpensi R.D. Bernardinum Hombach, e clero archidioecesis Paderbornensis, hactenus in Republica Nicaraguensi officii « Caritas » nuncupati moderatorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bullensi, R.D. Villelmum Eduardum Lori, e clero archidioecesis Vashingtonensis, Cancellarium, Vicarium generalem et Moderatorem Curiae eiusdem metropolitanae Ecclesiae, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P.D. Iacobi Aloisii S.R.E. Cardinalis Hickey, Archiepiscopi Vashingtonensis.

die 11 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gummitanae in Proconsulari R.D. Horatium Valenzuela Abarca, parochum paroeciae vulgo nuncupatae « San Luis Beltrán » et vicarium episcopalem in urbe Sancti Iacobi in Chile, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Sancti Iacobi in Chile.

die 14 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Campifontis Exc.mum P.D. Thomam Ludger Dupré, hactenus Episcopum titularem Hodelmensem et Auxiliarem dioecesis Campifontis.

die 15 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Yucatanensi Exc.mum P.D. Aemilium Carolum Berlie Belaunzarán, hactenus Episcopum Tigiuanaënsem.

die 18 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Caiamarcensi, Exc.mum P.D. Angelum Franciscum Simón Piorno, hactenus Episcopum Chachapoyasensem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

i

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 11 Novembris 1994. — Cathedrali Ecclesiae Antsirabensi R.P. Felicem Ramananarivo, Missionariorum Dominae Nostrae a La Salette sodalem, hactenus in praefata dioecesi Seminarii maioris regionalis philosophiae pro-rectorem.

die 19 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Nigrirostrensi R.D. Ioannem-Claudium Makaya Loembe, hactenus Seminarii maioris philosophiae Brazzapolitanae rectorem.

die 3 Februarii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Ialingoënsi, noviter erectae in Nigeriana regione, R.D. Ignatium Ayan Kaigama, Vicarium generalem Yolaënsem et paroeciae Ialingoënsi « St. Agostino » curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Chittagongensi Exc.mum P.D. Patricium D'Rozario, C.S.C., hactenus Episcopum Raishahiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mimatensi R.P. Stephanum Iosephum Reichert, O.F.M. Cap., paroeciae « St. Francis » in oppido vulgo Tari parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Ghizotanae R.P. Cirillum Bernardum 0'Grady, O.P., professorem « Holy Spirit National Seminary » in oppido vulgo Bomana, in dioecesi Portus Moresbiensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cissensi R.P. Aegidium Côté, S.M.M., in dioecesi Daruensi-Kiungana Vicarium generalem, quem Auxiliarem praefatae dioecesi constituit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Masculitanae R.D. Vincentium Michaelem Concessao, in archidioecesi Delhiensi Vicarium generalem, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

II

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 10 Iulii 1994. — R.P. Acacium Valbuena, O.M.I., in praesens Praefecti Apostolici de Sahara Occidentali adiutorem, Praefectum Apostolicum praefatae Praefecturae Apostolicae.

die 25 Novembris. — Exc.mum R.D. Aloisium Balina, Episcopum Geitaënsem, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Shinyangaënsis.

die 7 Ianuarii 1995. — Exc.mum P.D. Fridericum Lobinger, Episcopum Alivalensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Umtatanae.

die 27 Ianuarii. — R.D. Valtherum Liikewille, M.Afr., paroeciae vulgo « Holy Family » in urbe Sumbavangensi curionem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

die 24 Februarii. — Exc.mum P.D. Rogerum Pirenne, C.I.C.M., Episcopum Batouriensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Dumensis-Abogensis-Mbangensis.

ACTA TRIBUNALIUM

TRIBUNAL ROTAE ROMANAE

GUAYAQUILEN.

Nullitatis Matrimonii (Zambrano Valarezo - Camposano Moria)

Sessio Concordationis dubii

Die 17 m. Ianuarii 1995, hora 10.00, coram infrascripto Ponente, legitime citati, comparuerunt:

— R. D. Elias Ferone, Defensor Vinculi N.A.T.;

— Cl. Adv. Antonillus Blasi, Patronus ex off. par. act.

Pars conventa non comparuit, etiamsi Vicarius Iudicialis Guayaquilensis conatus sit illam certiorem facere de citatione huius Nostri Tribunalis.

Ponens, auditis R. D. Vinculi Defensore et Patrono partis actricis, dubium determinat sub sequenti formula:

« An constet de nullitate matrimonii, in casu, ob defectus discretionis iudicii ab utraque an saltem ab alterutra parte, ex can. 1Ö95 n. 2 ».

Ex Cancellaria Rotae Romanae Tribunalis, die 30 mensis Ianuarii 1995.

Elias Ferone, *Def. V inc.*
Antonillus Blasi, *Patr. partis actr.*
Ioannes Baptista Defilippi, *Ponens*

In Tabulario Rotae Romanae n. 16715

S. Killerman, *notarius f .f.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** PAUL TIPPING, **Ambasciatore di Nuova Zelanda presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** ARMEN SARKISSIAN, **Ambasciatore di Armenia presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** DON PRAMUDWINAI, **Ambasciatore di Thailandia presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. la Signorina** LEBOHANG NTS'INYI, **Ambasciatore del Lesotho presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** ANDROS **A.** NICOLAIDES, **Ambasciatore di Cipro presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** JAN **G.** JOLLE, **Ambasciatore di Norvegia presso la Santa Sede.**

Sabato, 25 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** DENIS POLISI, **Ambasciatore del Rwanda presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Giovedì, 2 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** ROMAN HERZOG, **Presidente della Repubblica Federale di Germania.**

Sabato, 4 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** RAMIRO DE LEON CARPIO, **Presidente della Repubblica del Guatemala.**

Sabato, 11 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** MATHIEU MOSE LACLÉ, **Ministro della Pesca e delle Risorse Marine della Repubblica di Mauritius.**

Lunedì, 13 **Marzo** 1995, **S.E. la Signora** VIOLETA BARROS DE CHAMORRO, **Presidente della Repubblica del Nicaragua.**

Giovedì, 16 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** TAREK AZIZ, **Vice Primo Ministro dell'Irak.**

Venerdì, 17 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** VLADISLAV JOVANOVIC, **Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Federale di Jugoslavia.**

Sabato, 18 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** LEONARDO SIMÄO, **Ministro degli Affari Esteri del Mozambico.**

Venerdì, 24 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** SIXTO DURÁN-BALLÉN, **Presidente della Repubblica dell'Ecuador.**

Lunedì, 27 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** VAHAN PÀPAZIAN, **Ministro degli Affari Esteri di Armenia.**

Martedì, 28 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** ION ILIESCU, **Presidente della Repubblica di Romania.**

Giovedì, 30 **Marzo** 1995, **S.E. il Signor** LAMBERTO DINI, **Presidente del Consiglio dei Ministri della Repubblica Italiana.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

18 **marzo 1995.** **S. E. mons. José Sebastian Laboa, Arcivescovo tit. di Zarai,** *Nunzio Apostolico in Malta.*

25 **S. E. mons. Paolo Giglio, Arcivescovo tit. di Tindari,** *Nunzio Apostolico nella Repubblica Araba d'Egitto.*

Mons. Luigi Ventura, Arcivescovo tit. el. di Equilio, *Nunzio Apostolico in Costa d'Avorio, Burkina Faso e Niger.*

Mons. Juliusz Janusz, Arcivescovo tit. el. di Caorle, *Nunzio Apostolico in Rwanda.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

30 gennaio 1995. L'Em.mo Signor Card. Georg Maximilian Sterzinsky, e le LL.EE. i monsignori Romulo Garcia, Arcivescovo di Bahia Bianca; Desmond Connel, Arcivescovo di Dublino; Tadeusz Goclowsky, Arcivescovo di Gdansk; Gabriel V. Reyes, Vescovo di Kalibo; Augustine Myong-Jo Cheong, Vescovo tit. di Tubulbaca, Ordinario Militare in Corea; Bechara Rai", Vescovo di Jbeil, Byblos; Anselme Titianma Sanon, Vescovo di Bobo-Dioulasso; Jacques Noyer, Vescovo di Amiens; José Sánchez González, Vescovo di Sigüenza-Guadalajara; Petru Gherghel, Vescovo di Iasi; Dominik Hrusovsky, Vescovo tit. di Tubia, *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium ».*

» » » I sac. René Aucourt; Jean-François Berjonneau; il p. Velasio De Paolis, C.S., *Consultori del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium ».*

» » » L'Em.mo Signor Cardinale John Joseph O'Connor; le LL.EE. i monsignori Theodore Edgar McCarrick, Arcivescovo di Newark; Robert Sarrabere, Vescovo di Aire e Dax; Francis Peter de Campo, Vescovo di Port Pirie; Emilio Carlos Berlie Belaunzaran, Vescovo di Tijuana, *Membri del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium ».*

13 febbraio » S. E. mons. Javier Echevarría Rodríguez, Prelato dell'« Opus Dei »; mons. Agostino Lauro; il sac. José Pereira Crespo, *Consultori della Congregazione per il Clero « ad quinquennium ».*

23 » » Le LL.EE. i monsignori Amando Samo, Coadiutore di Caroline Islands; Ratko Peric, Vescovo di Mostar-Duvno; Christo Proykov, Coadiutore dell'Esarcato Apostolico di Sofia; John J. Cunneen, Vescovo tit. di Eanach Dúin; il p. Alessandro Kahn, S.I.; suor Fara Gonzalez; dott.ssa Vicky Colbert; suor Patricia McMennamin; p.d. Willem de Smet, O.S.B.; Sig. Cesar Nunes Viana; rev.do Benu Efoevi Penoukou; mons. Norbert Herkenrath; sig. Robert Barja; sig. Ernesto Pedro Martinho; sig. Pablo Martin Calderón; sig. Karl Prüller, *Membri del Pontificio Consiglio « Cor Unum » « ad quinquennium ».*

» » » P. Georges Marie Cottier, O.P.; sig.ra Paola Majocchi; avv. Enrico Serafini; dott. Koenraad Verhagen; saç. Nelson Roque Viola, *Consultori del Pontificio Consiglio « Cor Unum » « ad quinquennium ».*

3 marzo 1995. Il sac. Antonio Miralles, *Consultore delia Congregazione per la Dottrina della Fede « in alivÂ quinquennium ».*

» » » Le LL.EE. i monsignori Jozef Michalik, Arcivescovo di Przemysl dei Latini e Antonio Magnoni, Arcivescovo titolare di Boseta, *Membri della Congregazione per i Vescovi « ad quinquennium ».*

» » » S. E. mons. Giulio Nicolini, Vescovo di Cremona, *Membro della Congregazione per i Vescovi « in aliud quinquennium ».*

9 » » Il p. Patrick Mallia, O.S.A.; p. Eusebio Hernández, O.S.A.R.; suor Sharon Holland, I.H.M., *Capi Ufficio nella Congregazione per gli Istituti di Vita consacrata e le Società di Vita apostolica.*

16 » » S. E. mons. Paul-Werner Scheele, Vescovo di Würzburg, *Presidente della Commissione Ecumenica;* mons. Eleuterio Fortino, Sotto-Segretario del Pontifìcio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, *Vice-Presidente della Commissione Ecumenica;* S. E. mons. Michael Louis Fitzgerald, Segretario del Pontificio Consiglio per il Dialogo Interreligioso, *Presidente della Commissione per il Dialogo;* S. E. mons. Gerardo Agnelo, Segretario della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti, *Presidente della Commissione Liturgica;* S.E. mons. Michel Hrynchyshyn, Vescovo tit. di Zigri, Esarca per gli Ucraini di rito bizantino residenti in Francia, *Presidente della Commissione per il Martirologio;* p. Georges Cottier, O.P., Teologo della Casa Pontificia, *Presidente della Commissione Teologica,* mons. Rino Fisichella, Docente presso la Pontificia Università Gregoriana, *Vice-Presidente della Commissione Teologica;* S. E. mons. Bernard Agre, Arcivescovo di Abidjan, *Presidente della Commissione Pastorale;* S. E. mons. Cesare Nosiglia, Vescovo tit. di Vittoriana, *Vice-Presidente della Commissione Pastorale;* S. E. mons. Pierfranco Pastore, Segretario del Pontificio Consiglio delle Comunicazioni Sociali, *Presidente del Comitato dei « Mass Media »;* S. E. mons. Francesco Marchisano, Presidente della Commissione per i Beni Culturali della Chiesa, *Presidente della Commissione Artistico-Culturale;* mons. Diarmuid Martin, Segretario del Pontificio Consiglio della Giustizia e della Pace, *Presidente della Commissione Sociale;* mons. Luigi Moretti, Prelato Segretario del Vicariato di Roma, *Presidente del Comitato Romano dell'Anno Santo;* prof. Donato R. Mosella, Presidente Nazionale del Centro Sportivo Italiano, *Presidente del Comitato Tecnico dell'Anno Santo;* S. E. mons. Raymundo Damasceno Assis, Segretario del CELAM; S. E. mons. Oscar Cruz, Segretario Generale della F.A.B.C; mons.

Hilary Senoo, Segretario Generale dei SECAM; mons. Leonardo Sandri, Assessore della Segreteria di Stato; p. Camilo Maccise O.C.D., Presidente dell'Unione dei Superiori Maggiori; madre Klara Sietmann, Presidente dell'Unione Internazionale delle Superiore Generali; sig.ra Mary Ann Glendon, della «Harvard University», Membro della Pontificia Accademia delle Scienze Sociali; Sig.ra Marie-Ange Besson, Esperta del Pontificio Consiglio « Iustitia et Pax », *Membri del Comitato Centrale del Grande Giubileo dell'Anno 2000.*

20 marzo 1995. Mons. Luigi Ghidoni, *Sotto-Segretario della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

9 dicembre 1994. Mons. Humberto Tonna Zanotta, Vescovo em. di Florida *(Uruguay).*

1 marzo 1995. Mons. Eugenio Corecco, Vescovo di Lugano *(Svizzera).*

» » » Mons. Stephen Kocisko, Arcivescovo em. di Pittsburg dei Bizantini *(Stati Uniti d'America).*

12 » » Mons. Pietro Canisio van Lierde, Vescovo tit. di Porfireone.

An. et vol. LXXXVII 2 Maii 1995 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

Episcopis presbyteris et diaconis religiosis viris et mulieribus christifidelibus laicis universisque bonae voluntatis hominibus: de vitae humanae inviolabili bono.

INTRODUCTIO

1. EVANGELIUM VITAE **penitus implicatum insidet in Iesu nuntio. Ab Ecclesia amanter cotidie susceptum animosa id oportet fidelitate enuntietur velut redditum nuntium hominibus cuiusvis aetatis et cuiuslibet cultus humani formae.**

Incipiente ipsa hominum redemptione, infantis cuiusdam ortus tamquam laetifica omnino praedicatur res: « Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David » *(Lc* 2, 10-11). Ut « magna » autem haec effunderetur « laetitia » Servatoris nimirum ipsius effecit exortus; attamen in Christi die Natali plena detegitur significatio ortus cuiusque hominis proindeque messianicum illud gaudium videtur quasi fundamentum complementumque simul laetationis super omni nascente homine (cfr *Io* 16, 21).

Salutiferi muneris sui praecipuam exhibens partem dicit Iesus: « Ego veni, ut vitam habeant et abundantius habeant » *(Io* 10, 10). De vita Ille revera loquitur « nova » atque « aeterna », quae ex communione consistit cum Patre, ad quam unusquisque

homo ultro in Filio vocatur per Sanctificantem Spiritum. Sed in tali nominatim « vita » plenum suum intellectum omnia consequuntur vitae humanae elementa ac tempora.

Incomparabilis personae humanae praestantia

2. Quandam in vitae plenitudinem homo invitatur quae fines prorsus terrestris eius egreditur vitae, quoniam participatione Dei ipsius vitae continetur.

Supernaturalis huius vocationis excelsitas *magnitudinem* porro vitae humanae ac *pretium* temporali etiam in illius spatio aperit. Primaria namque condicio, principium ipsum et pars integrans totius et unici processus humanae exsistentiae est vita in tempore. Immerito quidem et inopinato illustratur idem processus pollicitatione vitae divinae et vitae dono renovatur, quod plenam sui consummationem aeterno consequetur in aevo (cfr *1 Io* 3, 1-2). Simul vero ipsa haec supernaturalis appellatio *variantem* vitae terrenae indolem effert viri omnis et mulieris. Est enim res non omnino « ultima » verum « proxima a postrema »; attamen *sacra res* est, nobis interea credita quam ex officii nostri conscientia custodiamus atque ad consummationem deducamus per amorem et nostri ipsorum donum Deo factum ac fratribus.

Novit Ecclesia illud *Evangelium vitae* sibi a Domino suo commendatum[1] intus resonare permovereque unumquemque hominem sive credit sive non, quandoquidem admirabili modo ei respondet, dum eius simul exspectationes infinita quadam ratione excedit. Valet enim quilibet homo, inter difficultates licet ac dubitationes, ad veritatem tamen ex animo apertus adque bonitatem, adiutus rationis ipsius lumine et arcana gratiae impulsione, pervenire eo quidem usque ut legem naturalem in corde inscriptam (cfr *Rom* 2, 14-15) agnoscat, sacrum vitae humanae bonum a primis initiis ad finem ipsum, necnon ius cuiusque adserat hominis ut hoc suum principale bonum summopere observatum videat. In eiusdem ideo iuris agnitione hominum nititur consortio ipsaque politica communitas.

[1] Dictio *Evangelium vitae* ut talis in libris divinis reapse non invenitur. Ea tamen bene biblici nuntii necessariae parti respondet.

In Christum autem credentes praesertim hoc ius defendant opus est atque provehant, memores scilicet mirificae illius veritatis in Concilio Vaticano II commemoratae: « Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo Se univit ».[2] Etenim hoc in salutis eventu hominibus non modo amor Dei interminatus recluditur qui «sic... dilexit... mundum, ut Filium suum unigenitum daret » *(Io* 3, 16), verum et *incomparabilis singulorum hominum excellentia.*

Redemptionis arcanum sedulo ipsa perscrutata Ecclesia novo semper cum animi stupore[3] illud bonum percipit seque vocari intellegit hominibus aetatum omnium hoc ad nuntiandum « evangelium », spei insuperabilis originem verique gaudii pro unaquaque historiae aetate. *Amoris Dei erga homines Evangelium, dignitatis personae Evangelium atque vitae ipsius Evangelium unicum tandem sunt indivisibile Evangelium.*

Homo idcirco ipse, vivens nempe homo, praecipuam primamque Ecclesiae efficit viam.[4]

Novae hominum vitae impendentes minationes

3. Maternis Ecclesiae curis committitur idcirco quisque homo propter Verbi Dei mysterium quod est caro factum (cfr *Io* 1, 14). Quam ob rem fieri non potest quin omnis dignitatis hominum vitaeque ipsius minatio tamquam vocis imaginem in Ecclesiae intimo excitet animo, quin eam intra propriam fidem de redimente Filii Dei incarnatione percutiat, quin implicet illam suo in officio *Evangelium vitae* universum per orbem omnique proferendi creaturae (cfr *Me* 16, 15).

Insigniter autem illa nuntiatio nos hodie premit, quoniam duplicatae notabiliter et exasperatae minationes sunt hominum populorumque vitae instantes, praesertim quotiens imbecilla ea est nec apte defenditur. Antiquis acerbisque plagis miseriae, mediae, morborum pandemorum, bellorum et violentiae aliae iam novorum omnino generum ac modorum terrificorum accedunt.

[2] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.

[3] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 10: *AAS* 71 (1979), 275..

[4] Cfr *ibid..,* 14: *l.m..,* 285.

Vehementer iam deflevit Concilium Vaticanum II, suo quodam in scripto tristius etiam nostra ad tempora pertinente, complura contra vitam humanam scelera et conata. Easdem sententias in Nostram nunc suscipientes partem, triginta post annis, simili vi rursus universae Ecclesiae nomine, una cum illo conciliari congressu ista lamentamur crimina, nihil profecto dubitantes quin omnis rectae conscientiae veros interpretemur sensus: « Quaecumque insuper ipsi vitae adversantur, ut cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium; quaecumque humanae personae integritatem violant, ut mutuationes, tormenta corpori mentive inflicta, conatus ipsos animos coercendi; quaecumque humanam dignitatem offendunt, ut infrahumanae vivendi condiciones, arbitrariae incarcerationes, deportationes, servitus, prostitutio, mercatus mulierum et iuvenum; condiciones quoque laboris ignominiosae, quibus operarii ut mera quaestus instrumenta, non ut liberae et responsabiles personae tractantur: haec omnia et alia huiusmodi probra quidem sunt, ac dum civilizationem humanam inficiunt, magis eos inquinant qui sic se gerunt, quam eos qui iniuriam patiuntur et Creatoris honori maxime contradicunt ».[5]

4. Conturbans hic rerum prospectus, pro dolor, tantum abest ut imminuatur; ut potius distendatur: novis enim praebitis e scientifica technologicaque progressione facultatibus oriuntur novae simul rationes dignitatem hominis temptandi, aliunde dum nova cultus humani figuratur atque confirmatur condicio, quae criminibus in humanam vitam addit antehac *invisam faciem et, si fieri quidem potest, multo etiam praviorem,* unde graves aliae nascuntur sollicitudines: namque a magnis iam publicae opinionis partibus quaedam adversus vitam purgantur delicta obtentu singularis iurium libertatis eaque de causa non impuni tas modo defenditur illorum, quin etiam approbatio publicis ab auctoritatibus, ut plena libertate patrentur, immo subsidiis gratuitis ministeriorum valetudinis adiuventur.

Inducunt sane haec omnia quendam penitus commutatum vitae ipsius aestimandae modum necnon necessitudinum inter

[5] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 27.

homines iudicandarum. Quod enim normae multarum Civitatum, ab ipsis fortasse recedentes primariis Legum Fundamentalium principiis, nullo pacto puniunt aut legitimam etiam agnoscunt naturam talium usuum contra vitam, signum quoddam est, unde angor animi gignitur, nec levis sane causa gravis morum prolapsionis: quae olim unanimi consensione habebantur consilia criminosa communique proinde reiciebantur honestatis sensu, gradatim sociali iudicio accipiuntur. Ars ipsa medicina, quae natura suapte ac destinatione ad humanae vitae defensionem dirigitur necnon curationem, quibusdam suis rationibus et usibus promptiorem se usque exhibet ad hos actus contra personam exsequendos sicque faciem detorquet suam, ipsa sibi contra dicit et eorum deicit dignitatem qui eam artem factitant. Similibus porro in culturae legumque adiunctis graviores etiam demographicae sociales familiares quaestiones, quibus plures terrarum populi gravantur et quibus prudentissima debetur actuosaque ponderatio coetuum singulis in nationibus et inter nationes, obiciuntur falsis fallacibusque remediis a veritate sane abhorrentibus necnon ab hominum civitatumque vero bono.

Exitus ad quem devenitur calamitosus prorsus est: si ipsa exstinctio tot vitarum humanarum sive nascentium sive deficientium permovet nos atque conturbat, haud quidem minus movet id turbatque, quod conscientia ipsa, ita late propagatis condicionibus adiecta, aegrius et difficilius usque discrimen inter bonum et malum percipit iis in rebus quae principale tangunt vitae humanae bonum.

In communione cum cunctis orbis Episcopis

5. Huic argumento, nempe rebus vitae humanae nostro tempore insidiantibus, studuit *Consistorium* **Cardinalium** *extraordinarium* **Romae peractum inter diem iv et** VII **mensis Aprilis anno** MCMXCI. **Fuse • accurateque agitata quaestione atque inspectis provocationibus in familiam hominum ac praesertim in christianam communitatem, unanimo consensu a Nobis flagitaverunt Cardinales ut, Beati Petri Successoris auctoritate, praestantiam humanae vitae inviolabilemque eius naturam denuo inculcaremus hodiernis in condicionibus ac temptationibus quae ei minantur.**

Eorum Nos obsecuti precibus sub diem Pentecostes anno MCMXCi *epistulam singularem* Nostram cuique Fratri Episcopo inscripsimus ut, collegialitatis episcopalis adfectu incitatus, suam Nobis adiutricem adderet operam ad proprium aliquod de hac re contexendum documentum.[6] Intimo ex animo universis Episcopis gratias habemus qui rite responderint Nobisque notiones magni pretii et consilia et propositiones commiserint. Ii sic quoque, consentientes videlicet sibique penitus persuadentes, testati sunt se participes esse doctrinalis ac pastoralis Ecclesiae operis de *Evangelio vitae.*

Iisdem vero in litteris, paucis nempe diebus post centesimum celebratum annum a documento *Rerum novarum,* omnium animos traduximus singularem ad hanc similitudinem: « Quem ad modum priore saeculo suis principalibus in iuribus operariorum opprimebatur ordo cuius fortiter quidem causam defendebat Ecclesia, cum ipsius opificis sacra iura personae praedicaret, sic nostra aetate, dum alius hominum ordo suo in iure ad vitam praecipuo opprimitur, sibi necesse percipit esse Ecclesia fortitudine inconcussa iis tribuere vocem quibus non sit. Eius nempe evangelica semper propria est vociferatio pro orbis pauperibus, quotquot periclitantur, aspernuntur suisque iuribus humanis suffocantur ».[7]

Hodie autem hoc in primario iure ad vitam conculcatur hominum debilium indefensorumque multitudo, quales nominatim sunt nondum nati infantes. Si superiore exeunte saeculo coram tum grassantibus iniustitiis haud Ecclesiae tacere licebat, eo quidem minus hodie silere licet, cum socialibus temporis transacti iniuriis, pro dolor nondum dissolutis, tot in locis per orbem graviores etiam offensiones adiunguntur atque oppressiones, quae cum elementis fortasse confunduntur alicuius novi constituendi terrarum ordinis.

Quocirca Encyclicae hae Litterae, quas sociata Episcoporum opera omni ex orbis Natione peperit, illuc videlicet spectant ut *vitae humanae excellentia eiusque inviolabilitas definite ac firme rursus adseveretur,* eodemque tempore ad omnes ac singulos, Dei

[6] Cfr Epistula ad omnes Fratres in episcopatu de *Evangelio vitae,* (19 Maii 1991): *Insegnamenti* XIV, 1 (1991), 1293-1296.

[7] *Ibid., l.m.,* 1294.

ipsius nomine, appellatio vehemens dirigatur: *vetere ac tuere, amato ac sustentato vitam, vitam omnem humanam!* Hac sola in via iustitiam reperies et progressionem, libertatem veram, pacem et felicitatem!

Ad universos utinam hae voces filios perveniant filiasque Ecclesiae! Utinam ad omnes bonae voluntatis homines pertingant, quibus bonum curae est uniuscuiusque viri ac feminae necnon totius societatis humanae sors!

6. Cum singulis in fide fratribus et sororibus intimo modo coniuncti sinceraque erga omnes amicitia moti, *iterum Evangelium vitae ponderare cupimus atque enuntiare,* quod veritatis splendor est conscientias irradians, praeclarum lumen sanans obscuratum prospectum, fons firmitudinis ac fortitudinis inexhaustas nos hortans ut novis semper obviam procedamus nostro in itinere occurrentibus provocationibus.

Cum copiosa denuo perpendimus rerum experimenta per Annum pro Familia percepta, ipsi velut in doctrina perficientes *Litteras* a Nobis missas ad « unamquamque veram solidamque familiam cuiuslibet terrarum regionis »,[8] respicimus nova quidem cum animi fiducia singulas communitates domesticas et optamus ut renascatur utque omni in ordine corroboretur omnium officium familiam sustinendi, unde hodie quoque ipsa — inter multas versans difficultates ac graves minationes — perpetuo ex Dei consilio servetur tamquam « vitae sacrarium ».[9]

Singulis corporis Ecclesiae membris, *hominibus de vita ac pro vita,* intentissimam movemus hanc invitationem, ut nostro huic orbi nova ministrare coniunctim possimus spei documenta et efficere simul ut iustitia augescat et necessitudinis iunctio inter homines, utque novus percrebrescat civilis cultus vitae humanae ad sinceram veritatis amorisque exaedificandam humanitatem.

Litterae Familiis datae *Gratissimam sane* (2 Februarii 1994), 4: *AAS* 86 (1994), 871.

[9] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus Annus* (1 Maii 1991), 39: *AAS* 83 (1991), 842.

CAPUT I

VOX SANGUINIS FRATRIS TUI CLAMAT AD ME DE AGRO

HODIERNA VITAE HUMANAE INTENTATA PERICULA

« Consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum et interfecit eum » (Gn* 4, 8): *in ipsa violentiae contra vitam origine

7. « Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia ... ***Deus creavit hominem in incorruptibilitate;*** **et imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli** ***mors introivit in orbem terrarum;*** **experiuntur autem illam, qui sunt ex parte illius»** ***(Sap*** **1, 13-14; 2, 23-24).**

Evangelio vitae, **quod iam initio exsonuit conditis ad Dei imaginem hominibus in vitae plenae perfectaeque sortem (cfr** ***Gn*** **2, 7;** ***Sap*** **9, 2-3), pertristis ille repugnavit eventus** ***mortis quae in mundum invasit*** **umbramque coniecit inanitatis in totam hominis vitam. Propter diaboli ipsius malevolentiam (cfr** ***Gn*** **3, 1.4-5) ingressa est mors necnon progenitorum delictum (cfr** ***Gn*** **2, 17; 3, 17-19). Ac violenter intravit per** ***Abelis internecionem a Cain fratre:*** **« Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum et interfecit eum »** ***(Gn*** **4, 8).**

Prima haec nex illustri praebetur eloquentia in libri Genesis exemplari pagina, quae cotidie sine intermissione, immo vero cum deprimente quadam repetitione retexitur in populorum annalibus.

Retractare una placet bibliorum paginam hanc quae, quantumvis vetustatem resipiat maximamque simplicitatem, doctrinis sese tamen uberrimam praestat.

« Et fuit Abel pastor ovium et Cain agricola. Factum est autem post aliquot dies ut offerret Cain de fructibus agri munus Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui et de adipibus eorum. Et respexit Dominus ad Abel et ad munus eius, ad Cain vero et ad munus illius non respexit.

Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: "Quare iratus es, et cur concidit facies tua? Non-

ne si bene egeris, vultum attolles? Sin autem male, in foribus peccatum insidiabitur, et ad te erit appetitus eius, tu autem dominaberis illius".

Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: "Egrediamur foras". Cumque essent in agro, consurrexit Cain adversus Abel fratrem suum et interfecit eum.

Et ait Dominus ad Cain: " Ubi est Abel frater tuus?". Qui respondit: "Nescio. Num custos fratris mei sum ego?". Dixitque ad eum: "Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de agro. Nunc igitur maledictus eris procul ab agro, qui aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris tui de manu tua! Cum operatus fueris eum, amplius non dabit tibi fructus suos; vagus et profugus eris super terram".

Dixitque Cain ad Dominum: "Maior est poena mea quam ut portem eam. Ecce eicis me hodie a facie agri, et a facie tua abscondar et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me".

Dixitque ei Dominus: "Nequaquam ita fiet, sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur!". Posuitque Dominus Cain signum, ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum.

Egressusque Cain a facie Domini habitavit in terra Nod ad orientalem plagam Eden » (Gn 4, 2-16).

8. Cain «iratus... est... vehementer» et «concidit vultus eius », quoniam « respexit Dominus ad Abel et ad munus eius » *(Gn* 4, 4). Causam tacet biblicus locus ob quam muneri Cain Dominus anteposuerit Abel sacrificium; luculenter tamen docet, licet Abel donum prae tulerit Deus, *colloquium cum Cain haudquaquam interrumpere illum.* Admonet igitur eum *commonetque libertatis propriae coram malo:* nullo modo in antecessum destinatur ad malum homo. Perinde atque Adamus antea, malefico ipse pellicitur peccati impulsu, qui veluti belua ferox ostio insidiatur cordis eius donec rapiat praedam. At liber esse Cain ante peccatum pergit. Valet is illud vincereque debet: « Ad te erit appetitus eius, tu autem dominaberis illius! » *(Gn* 4, 7).

Superant Domini admonitionem *invidia et ira* sicque Cain adgreditur fratrem et necat. Legimus ideo in *Catholicae Ecclesiae Catechismo:* « Scriptura, in narranda Abel occisione a fratre Cain perpetrata, inde ab exordio humanae historiae ostendit in homi-

ne irae et cupiditatis praesentiam, peccatum originale consecutarum. Homo paris sui factus est inimicus ».[10]

Fratrem interficit frater. Sicut in primo fratricidio evenit, in singulis deinde homicidiis violatur *« spiritalis » cognatio,* qua in unam conglobantur homines familiam,[11] quandoquidem cuncti participes eiusdem praecipui boni sunt: paris omnium dignitatis. Crebrius etiam *« carnis et sanguinis »* violatur *cognatio,* cum pericula vitae vel intra ipsam parentum liberorumque necessitudinem oriuntur, prout in abortu accidit aut cum, latiore in domus affinitatisve regione, fovetur vel obtinetur euthanasia.

Cuilibet proximi violationi subest nimirum *concessio facta « logicae » maligni,* eius scilicet qui « homicida erat ab initio » *(Io* 8, 44), uti apostolus commemorat Ioannes: « Quoniam haec est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligamus alterutrum. Non sicut Cain: ex Maligno erat et occidit fratrem suum » *(1 Io* 3, 11-12). Ita profecto fratris occisio a primo iam historiae humanae diluculo triste testimonium est quomodo celeritate mira progrediatur malum: hominis rebellioni in Deum in paradiso terrestri capitalis comitatur hominis contra hominem dimicatio.

Post scelus, *intercedit Deus ut ulciscatur interfectum.* In Dei conspectu, qui de Abelis exitu eum percontatur, Cain, non modo se non anxium et verecundum exhibet veniamque petit, verum arroganter etiam déclinât quaesitum: « Nescio. Num custos fratris mei sum ego? » *(Gn* 4, 9). « *Nescio* »: mendacio sic studet Cain suum abscondere flagitium. Saepius quidem ita est factum et fit, cum utiles reperiuntur diversissimae quaeque sententiae rationesve ad purganda ac tegenda contra personam scelera atrocissima. *« Num custos fratris mei sum ego? »:* nec fratrem cogitare Cain nec complere illud vult officium quo erga proximum quisque obligatur. Animum sua sponte cogitatio subit de hodiernis rerum propensionibus, quibus homo nempe in sui similem amittit omnem officiorum sensum; cuius rei documenta sunt tum deficiens coniunctionis adfectus erga debiliores societatis partes — quales sunt senes et aegrotantes migrantes et infantes — tum mens ipsa indifferens quae in rationibus inter populos crebrius

[10] N. 2259.

[11] Cfr S. AMBROSIUS, *De Noe,* 26, 94-96: *CSEL* 32, 480-481.

deprehenditur, etiam cum de rebus agitur omnino praecipuis veluti de exsistentia ipsa et libertate et pace.

9. At *praeterire impune non potest Deus delictum:* **agro ex ipso, ubi effusus est, postulat interfecti sanguis ut Ille iustitiam reddat (cfr *Gn* 37, 26; *Is* 26, 21; *Ez* 24, 7-8). Hoc ex loco collegit Ecclesia illam appellationem « peccatorum quae coram Deo vindictam clamant » quibus ante omnia voluntarium annumeratur homicidium.[12] Iudaeis ipsis sicut aliis etiam antiquitatis populis sedes est sanguis vitae, immo vero «sanguis... anima est» *(Dt* 12, 23), atque vita, humana praesertim, unum pertinet ad Deum: quocirca** *qui hominis adgreditur vitam, ipsi quadamtenus Deo infert manus.*

A Deo maledici tur *Cain* **atque etiam a terra ipsa, quae ei suos recusabit fructus (cfr** *Gn* **4, 11-12). Porro** *punitur;* **vastitatem colet et solitudinem. Vitae hominis ambitum funditus immutat mortifera vis. Tellus, sive « paradisus Eden » *(Gn* 2, 15), abundantiae regio necnon tranquillarum inter personas necessitudinum atque amicitiae cum Deo, evadit « terra Nod » *(Gn* 4, 16), « miseriae » locus ac solitudinis et longinquitatis a Deo. Erit Cain « vagus et profugus super terram » *(Gn* 4, 14): incerta instabilisque illum semper comitabitur condicio.**

Misericors tamen usque Deus, etiam puniens, *«posuit... Cain signum,* **ut non eum interficeret omnis qui invenisset eum » *(Gn* 4, 15): notam igitur ei addit, non sane eo pertinentem ut ceterorum hominum exsecrationibus obiciatur, sed ut protegatur is defendaturque adversus omnes qui eum interimere fortasse voluerint etiam ut Abelis ulciscantur necem.** *Sua tamen ne homicida quidem dignitate destituitur cuius rei Deus ipse dat sese vadimonium.* **Hoc ideo ipso loco** *admirabile proditur misericordis Dei iustitiae arcanum;* **quem ad modum narrat sanctus Ambrosius: « Cum parricidium esset admissum, hoc est scelerum principatus, ubi peccatum obrepsit, statim et lex divinae mansuetudinis prorogari debuit; ne si continuo vindicatum esset in reum, homines quoque in vindicando nullam patientiam moderationemque servarent, sed statim reos supplicio darent ... Repulit enim eum Deus a facie sua, et a parentibus abdicatum separatae habitatio-**

[12] Cfr *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* nn.. 1867 et 2268.

nis quodam relegavit exsilio; eo quod ab humana mansuetudine transisset ad saevitiam bestiarum. Verumtamen non homicidio voluit homicidam vindicari, qui mavult peccatoris correctionem, quam mortem ».[13]

« Quid f ecisti? » (Gn 4, 10): *obscuratum vitae bonum*

10. Dixit Dominus ad Cain: « Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de agro » *(Gn* 4, 10). *Sanguinis vox per homines profusi haud desinit clamare* in aetates singulas, aliis quidem modis variisque et novis significationibus adhibitis.

Posita Cain a Domino interrogatio: « Quid fecisti? », quam declinare is non valet, ad hominem pariter convertitur nostri temporis, ut amplitudinis conscius sibi fiat gravitatisque illarum vitae violationum, quibus continenter res hominum gestae signantur; ut causas inquirat multiplices unde pariuntur et nutriuntur; ut serio quam maxime animo consectaria perpendat ex hisce adgressionibus profluentia in ipsam personarum populorumque exsistentiam.

Ex natura ipsa quaedam pericula cooriuntur, verum culpanda hominum neglegentia et socordia augentur, qui saepius remedium adferre possent; alia contra casuum sunt effecta violentiae et odii et inter se pugnantium studiorum, quibus adducuntur homines ut nece et bello, caede et stirpium occisione alios adoriantur homines.

Quis autem illam non cogitet vim, quae vitae multorum milium millenorum hominum infertur praesertim infantium qui in miseriam rediguntur, ad minutum alimentum famemque ipsam propter opum iniquam inter populos et sociales ordines divisionem? aut violentiam ante bella ipsa in turpi iam insitam armamentorum mercatura, quae augescenti incremento favet armatarum tot dimicationum quibus orbis cruentatur? aut mortis sementem quae inconsiderata fit per aequilibritatis oecologicae turbationem, per criminosam medicamentorum stupefactivorum disseminationem, per propugnatas sexus adhibendi formas quae non solum morali sunt ratione reprobandae, verum tramites etiam agnoscendae gravium vitae periculorum? Plene non

[13] *De Cain et Abel,* II, 10, 38: *CSEL* 32, 408.

licet omnes plurimas recensere vitae humanae minationes; tot namque figuras sive apertas sive opertas illae hoc nostro tempore induunt!

11. At intenditur singillatim nunc mens nostra in *aliud genus adgressionum* quae vitam tum nascentem tum morientem tangunt, quae *novas alias antehac proprietates* praebent et *quaestiones unicae gravitatis movent:* idcirco quod facile paulatim in ipsa societatis conscientia indolem exstinguunt « delicti » atque etiam inopinate in se naturam recipiunt « iuris », adeo quidem ut poscant denique ut vere ac proprie *lege publica agnoscantur deindeque gratuito opere ipsorum valetudinis curatorum compleantur.* In adiunctis summe fortuitis, cum omni caret sui defendendi potestate, vitam illae violationes percutiunt. Et gravius adhuc multo illud est quod hae in vitam iniuriae plerumque intra et per illam familiam patrantur quae sua ex natura destinatur ut « vitae sacrarium » exsistat.

Quo autem pacto exoriri potuit similis rerum condicio? Plura sunt ponderanda causarum elementa. In extremo veluti recessu ingens conspicitur ipsius cultus humani discrimen, unde dubitatio gignitur de primis cognitionis ac doctrinae moralis fundamentis ac difficilius proinde fit ut hominis significatio clare percipiatur eiusque iurium et officiorum. Huc variae exin maxime difficultates accedunt vitae et necessitudinum, adauctae societatis ipsius implicatae statu, in quibus singulae personae et coniugum paria et domus saepius solae suis cum angoribus deseruntur. Casus identidem peculiaris inopiae anxietatis vel desperationis incidunt, ubi de exsistentia labor, dolor ferme intolerabilis redditus, violationes acceptae, praesertim feminas aducientes, faciunt ut consilia de protegenda ac promovenda vita aliquid flagitent nonnumquam quod virtutem quandam prae se ferat heroicam.

Partim saltem haec omnia explanant, quo modo vitae hodie aestimatio in se nescio quam « obscurationem » seu eclipsim recipere possit, licet haud desinat conscientia illud vitae bonum tamquam sacrum designare et inviolabile, perinde ac demonstratur eo ipso quod contra orientem vel occidentem vitam scelera quaedam dictionibus medicinam sapientibus contegere conantur, quibus oculi nempe avertantur ab eo quod hic tractatur ius ad exsistentiam alicuius definitae personae humanae.

12. Re quidem vera, etiamsi plures ipsae graves rationes disputationis hodiernae de socialibus causis quadamtenus explicare valent adiectionem illam late diffusae dubitationis moralis atque interdum etiam singulis in hominibus labefactae cuiusque sensum officiorum propriorum, non minus tamen verum est consistere nos ante negotium multo amplius, quod haberi quidem licet verum propriumque ***peccati institutum,*** **cuius nempe est culturam quandam iniungere adversus omnem hominum solidarietatem, crebrius congruentem cum germana « mortis cultura ». Sedulo haec promovetur a fautoribus motuum magnorum culturalium oeconomicorum politicorum, qui notionem efferunt societatis ad efficientiam propendentis.**

Hac ideo ratione rebus iudicatis, loqui par est quodam modo de ***potentium contra imbecillos bello:*** **etenim vita, quae magis poscit ut benevolentia, amore, cura suscipiatur, inutilis prorsus iudicatur aut censetur pondus intolerabile proindeque pluribus viis reicitur. Quicumque suam ob aegrotationem vel impeditionem aut, multo facilius, ob ipsam in terris praesentiam suam vocat in discrimen felicitatem vitaeve consuetudines eorum qui magis prosperantur, fere semper inimicus videtur arcendus aut omnino tollendus. Hinc genus quoddam prorumpit** ***« coniurationis contra vitam »,*** **quae non singulorum tantum hominum implicat necessitudines cum aliis hominibus et familia et coetibus, verum ulterius multo progreditur, ut iam in ordine omnium nationum perturbet coniunctionis rationes inter populos et Status.**

13. Quo latius disseminetur ***abortus,*** **immensae collocatae sunt pecuniae et usque etiam nunc collocantur, ut medicamina comparentur quibus, medicorum quovis neglecto subsidio, materno in utero fetus interfici possit. Qua in rerum provincia, fere id solum studere videtur scientifica inquisitio ut simpliciora usque et efficaciora contra vitam perficiantur instrumenta eodemque tempore talia quibus cuilibet gubernationis rationi subducatur ipse abortus atque omni sociali obligationi.**

Perhibetur saepe ***anticonceptio,*** **quae tuta interea evaserit omnibusque pervia, efficientissimum esse contra abortum remedium. Accusatur exinde catholica Ecclesia ipsi favere abortui cum docere obstinata pergat illegitimam anticonceptionis naturam. At bene si introspicitur fallax reapse haec obiectatio osten-**

ditur. Fieri namque potest ut abortus illecebram deinceps fugere cupientes ad haec instrumenta et consilia contra conceptionem quidam se conferant. Verumtamen falsa bonorum iudicia, quae ipsi « menti contra conceptionem » insunt — longe nimirum abhorrenti a responsali paternitatis ac maternitatis exercitatione, quae secundum plenam coniugalis actus veritatem completur — ea quidem sunt quae idem illud invitamentum etiam augeant, si vitae non optatae conceptus intervenerit. Cultura illa socialis, quae abortui favet, ibi insigniter percrebuit ubi Ecclesiae doctrina de anticonceptione repudiatur. Sine dubitatione *mala sunt nominatim diversa* anticonceptio atque abortus ipsa ratione morali: altera integram actus sexualis veritatem negat veluti amoris coniugalis propriam declarationem, hic alter vero hominis delet vitam; opponitur illa castitatis matrimonialis virtuti, hic iustitiae virtuti obicitur rectaque via divinum transgreditur praeceptum: « non occides ».

Quamquam vero aliae sunt res tum natura tum morali pondere, arcte tamen inter se saepius iunguntur sicut unius arboris fructus. Verum profecto est incidere casus ubi quis ad anticonceptionem abortumque decurrat, impellentibus pluribus vitae difficultatibus, quae nihilominus non quemquam libérant umquam studio conatuque Legis Dei penitus adservandae. Plurimi tamen alii oriuntur casus, ubi consuetudines illae radicitus inhaerent alicui mentis adfectui, qui ad voluptatem propendet atque officia singulorum tollit de rebus sexus, et egoisticam praeponunt libertatis aestimationem, quae in vitae procreatione impedimentum aliquod cernit ne suum quis ingenium plene explicet. Vita ergo quae ex sexuum coitu profluere posset ita inimica evadit omnino declinanda et unica fit abortus responsio quae potest reddi atque dissolvere difficultatem, si quando conata contra conceptionem sine effectu defecerunt.

Pro dolor, nexus proximus ille, qui in mente saltem hominum inter anticonceptionis usum intercedit et abortum, magis quidem eminet magisque in dies terrifico quodam modo comprobat ipsam per confectionem chimicarum tractationum et instrumentorum intrauterinorum et iniectionum intercutium, quae, tam facile distributae quam ipsa contra conceptionem instrumenta, idem prorsus reapse primis in stadiis crescentis vitae novi hominis efficiunt ac rationes aborti vae.

14. Diversi similiter *modi generationis artificiosae,* qui ministerio vitae servire videntur quique crebrius hac ex mente adhibentur, viam revera ad novas vitae violationes sternunt. Praeterquam quod accipi ob morales causas non possunt, etiam quia procreationem ipsam ab humana prorsus coniugalis actus complexione segregant,[14] rationes istae technicae magnam prae se ferunt nullius successus crebritatem: respicit ille defectus non tam seminationem verum subsequens germinis incrementum, quod tempore plerumque brevissimo ipsi obicitur mortis periculo. Praeterea gignuntur interdum plura germina quae necesse est ut in feminae inserantur uterum, haecque sic dicta « supernumeraria germina » exstinguuntur deinde vel ad investigationes usurpantur quae, sub medicae scientificae ve progressionis obtentu, redigunt vere vitam humanam in simplicem « biologicam materiam » de qua libere decernere licet.

Inquisitiones porro *praenatales,* quibuscum morales non coniunguntur difficultates si idcirco peraguntur ut necessariae nondum infantibus natis curationes forte parentur, nimium quidem saepe opportunitates fiunt ipsius suadendi perficiendique abortus. De abortu nempe agitur eugenetico, cuius apud plebem provenit defensio quadam ex sententia, quae perperam cohaerere existimatur cum « sanationis » postulatis, quaeque certis dumtaxat condicionibus vitam complectitur atque reicit limites impeditiones débilitâtes.

Secundum idem autem hoc iudicium eo usque quidam processerunt ut communissimas humillimasque curas, quin immo etiam escas, infantibus negaverint enatis gravi aliquo cum impedimento morbove. Prospectus insuper nostri temporis magis etiam animum perturbat, quandoquidem passim est suasum ut cum abortus iure una simul legitimum reddatur ipsum *infanticidium,* atque sic ad barbariam fit reditus quam confidebant homines iam in sempiternum esse de victam.

15. Haud vero minores intenduntur minationes pariter in *aegrotantes insanabiles* atque *morientes,* in socialibus et culturali-

[14] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de observantia erga vitam humanam nascentem deque procreationis dignitate tuenda *Donum vitae* (22 Februarii 1987): *AAS* 80 (1988), 70-102.

bus rerum adiunctis quae, dum efficiunt ut accipiatur difficilius et perferatur dolor, vehementius quidem homines illiciunt *ut totum dissolvant dolendi negotium radicitus evellendo dolore,* morte videlicet praecipienda commodissimo quolibet tempore.

Id vero ad decernendum variae saepe concurrunt causae, quae infeliciter omnes ad terrificum hunc conspirant eventum. In aegrotante plurimum valere potest sensus ipse anxietatis et acerbitatis, immo etiam desperationis, quem aliquis aerem diuturnumque expertus dolorem percipit. Porro pertemptatur aequabilitas nonnumquam iam incerta vitae privatae ac familiaris, ut hinc aegrotus, etsi efficacioribus usque subsidiis providentiae medicae et socialis sustentatus, periculo obiciatur ne opprimi sese sua fragilitate sentiat; illinc vero in iis qui adfectu quodam inter se iunguntur valere possit pietatis sensus qui facile intellegitur quamvis perperam comprehendatur. Quodam praeterea morum habitu haec omnia exacerbantur, qui nullam in dolore significationem aut virtutem detegit, quin immo ut malum praecipuum censet quovis pretio propulsandum; quod tum maxime accidit cum religiosa desideratur rerum aestimatio qua iuvetur quis ut in bonam partem doloris arcanum interpretetur.

Attamen in toto cultus humani prospectu aliquid certe efficit ratio quaedam Promethei animi super homine qui sibi persuadet posse sic sese vita morteque potiri, cum de illis decernat, dum revera devincitur ac deprimitur interitu irreparabiliter clauso ante omnem sentiendi exspectationem omnemque spem. Calamitosam horum sensuum omnium testificationem in late prolata deprehendimus *euthanasia,* tecta quidem et prorepente aut quae palam peragitur vel iure etiam ipso permittitur. Haec vero, praeter quam ex adserta quadam misericordia de dolore alicuius patientis hominis, defenditur interdum ex certae utilitatis aestimatione, ob quam nempe nimia pro societate impendia infructuosa declinari debeant. Itaque suadetur ut nati deformes, graviter praepediti et invalidi, senes potissimum sibi providere non valentes, necnon insanabiliter aegrotantes tollantur. Neque silere hoc loco nos par est aliis de tectioribus, nihilo tamen minus veris et gravibus, euthanasiae modis. Accidere illi possunt cum, verbi gratia, ad organorum copiam transplantandorum augendam, ipsa auferuntur organa minime quidem normis obiectivis congruisque servatis de certa donatoris morte.

16. Porro alia huius aetatis *res,* quae minas secum adgressionesque importat vitae, est ipsa *demographica* quaestio. Aliis profecto in orbis regionibus aliter ea ostenditur: divites enim progressasque apud Nationes imminutio terrifica vel prolapsio animadvertitur nascentium; exhibent plerumque ex contrario pauperiores Civitates augescentem usque quotam partem incolarum exorientium, quam aegre ferant condiciones minoris quidem oeconomici et socialis progressus vel etiam magnopere tardati incrementi. Nimium multiplicatis Nationum egentium civibus desunt, universim per orbem, consilia et incepta communia — seriae familiares et sociales propositiones ad culturae ipsius auctum, ad aequam opum effectionem partitionemque — dum contra in actum deduci pergunt politica adversus nascentes decreta.

Anticonceptio, sterilizatio et abortus numerentur certissime oportet inter causas adiuvantes ut status exsistant magni natorum decrementi. Facile quis induci potest ut ad easdem confugiat rationes vitaeque violationes etiam in « demographicae explosionis » casibus.

Antiquus ille pharao, cum perciperet praesentiam et crescentem filiorum Israelis frequentiam adferre quendam terrorem, omnibus modis oppressit illos praecepitque ut mas omnis modo natus e mulieribus Hebraeis exstingueretur (cfr *Ex* 1, 7-22). Eodem prorsus pacto plures sese gerunt hodie Nationum principes. Ii animadvertunt quoque veluti suppressionem nocturnam augmentum terrae incolarum, quod hodie accidit, ac metuunt propterea ne fertiliores ac pauperiores gentes ipsi prosperitati minentur et serenitati suorum populorum. Qua de causa malunt ipsi qualibet ratione provehere et iniungere vastissimam natorum moderationem quam suscipere atque dissolvere gravissimas has quaestiones, observata personae humanae familiarumque dignitate et inviolabili custodito ipso vitae iure in unoquoque homine. Subsidia quoque nummaria, quae parati esse dicuntur ad elargienda, inique regunt e praevio consensu in actionem contra natorum incrementum.

17. Spectaculum hoc tempore nobis praebent homines quod animum conterreat, si non rerum adiuncta tantum varia inspiciuntur, ubi vitam adgredi moliuntur, sed ipse adgressionum

earundem pro portione numerus, atque etiam multiplicia illa ac valida praesidia, quae iis adiungunt latus societatis consensus, frequens iuris permissus et ipse administrorum valetudinis concursus.

Quem ad modum vehementer Denverii ediximus ad octavum Diem Mundialem Iuventutis, «non decrescunt progrediente tempore pericula in vitam intentata. Sed immensam contra sibi adsumunt amplitudinem. Neque de minis agitur extrinsecus imminentibus, ex naturae viribus vel a fratribus "Cain" qui fratres interimunt "Abel"; nullo modo: sermo potius est de *violationibus scientifice ordinateque dispositis.* Iudicabitur vicesimum hoc saeculum ut aetas ingentium invasionum in vitam, ut interminata bellorum catena perpetuaeque innocentium vitarum humanarum caedis. Vates falsi et falsi praeceptores quam maximum consecuti sunt rerum successum ».[15] Praeter omnia illa proposita, quae multiplicia esse possunt ac fortasse etiam vim prae se ferre persuadendi sub solidarietatis titulo, consistimus reapse ante apertam *« coniurationem in vitam »,* ubi institutiones pariter omnium gentium implicari videntur, quae ex officio incitant et ordinant veros hominum motus ad anticonceptionem et sterilizationem et abortum dispergenda. Haud denique negari licet instrumenta socialis communicationis saepius huic adstipulari coniurationi, cum publicam apud opinionem illi menti fidem faciunt ac rationi, qua anticonceptionis sterilizationis abortus ipsiusque euthanasiae usus ostentatur perinde ac progressionis adeptaeque libertatis documentum, dum contrariae opiniones sine condicione ipsi faventes vitae tamquam libertatis progressionisque finguntur inimicae.

« Num custos fratris mei sum ego? » (Gn 4, 9): *improbabilis libertatis notio*

18. Rerum hic prospectus ut cognoscatur poscit non dumtaxat in mortis phaenomenis suis peculiaribus, verum et in *multiplicibus causis,* quae eum efficiunt. Domini interrogatio: « Quid fecisti? » *(Gn* 4, 10) Cain invitare videtur ut rem ipsam et facinus

[15] Allocutio ad iuventam ex omnibus nationibus in nocturnis vigiliis Denverii congregatane (14 Augusti 1993), II, 3: *AAS* 86 (1994), 419.

necis praetergrediatur atque illius percipiat gravitatem in *rationibus,* quae inibi subsunt, et in *conseeutionibus,* quae inde oriuntur.

Optiones adversum vitam nonnumquam oriuntur difficilibus ex condicionibus vel quidem gravissimis, ubi videlicet ingens est dolor, solitudo, nulla prorsus rei familiaris suppeditationis spes, animus fractus et futuro de tempore angor. Condiciones eiusmodi possunt etiam valde extenuare subiectivam responsalitatem et congruenter ipsam conscientiam illorum qui has inducunt electiones per se flagitiosas. Hodie tamen talis quaestio longe praetergreditur personales condiciones, agnoscendas sane. Quae quaestio in ambitu cultus, societatis et rei politicae etiam locatur, ubi quidem seditiosiorem et turbulentiorem prae se fert speciem, cum eo tendatur, et iam vulgo magis ac magis spectetur, ut adversum vitam memorata facinora legitima habeantur *libertatis singulorum documenta, quae veluti persincera iura sint agnoscenda ac tuenda.*

Hoc modo ad quoddam pervenit discrimen, ex quo calamitates et pernicies consequuntur, longus historicus processus, qui, postquam « humana iura » detegit — quae sunt cunctarum personarum propria atque omnes Constitutiones Civitatumque leges praecedentia — hodiernis temporibus in *admirabilem quandam repugnantiam* labitur: tempore ipso, quo sollemniter personae iura sancta edicuntur et vitae praestantia publice affirmatur, ad vitam ipsum ius re negatur et proculcatur, nominatim in vitae momentis praestantioribus, qualia sunt ortus atque obitus.

Hinc, hominum iura universaliter multifariam enuntiata atque multiplicia incepta quae inde oriuntur, significant per totum terrarum orbem moralem sensum confirmari, ad diligentiorem vim dignitatemque tribuendam singulis hominibus, prout sunt homines, dempto discrimine generis, nationis, religionis, politicarum opinationum, socialis ordinis.

Illinc nobilibus his effatis infeliciter opponitur re miseranda ipsorum negatio. Quae quidem vel conturbantior est, immo flagitiosior, cum usu veniat in societate quadam, in qua humana iura confirmantur et custodiuntur, utpote cum eorum maximum sit propositum et gloriatio. Quomodo iteratae de principiis hae sententiae componi possunt cum vitae humanae insidiis usque multiplicatis et vulgo comprobatis? Quomodo hae declarationes

conciliantur cum denegatione debiliorum, indigentiorum, senum, recens conceptorum? Hi conatus vitae tuendae sunt prorsus contrarii, atque simul *minarum instar sunt adversum iurium humanorum omnem cultum.* Minationes profecto sunt quaedam, quae tandem ipsum democratici convictus sensum labefactare possunt: *ex « conviciorum » societatibus, urbes nostrae societates evadere possunt exclusorum,* derelictorum, depulsorum, interemptorum. Si autem in mundum universum oculos convertimus, quidni cogitemus personarum populorumque iura constituta, quemadmodum praecipuis in internationalibus congressionibus accidit, in vacuam oratoriam exercitationem redigi, nisi divitum Nationum caecus amor obtegatur, quae Nationes pauperes a progressu arcent, vel progressum cum generatione absurde vetanda copulant, homini progressionem opponentes? Nonne fortassis in quaestionem adduci debent ipsa quoque exemplaria oeconomica, quae saepe a Civitatibus recipiuntur etiam ob impulsiones et condiciones totum orbem aducientes, quae pariunt nutriuntque casus iniustitiae et status violentiae, ubi quarundam integrarum multitudinum vita humana deicitur et opprimitur?

19. Ubinam *harum rerum admodum pugnantium inveniuntur radices?*

Ipsae autem in conclusis culturalis moralisque ordinis aestimationibus inveniri possunt, initio ab illa mente sumpto, quae *subiectivitatis nimium extollens notionem et vel depravans,* participem iurium solummodo agnoscit, qui incohata plena ve quadam autonomia se ostendit seque ab omni aliorum dicione subducit. At quomodo cum hac re *hominis exaltatio tamquam entis « nulli obnoxii »* componi potest? Humanorum iurium doctrina in eo ipso fundatur, quod homo, secus ac animalibus rebusque evenit, nemini mancipari potest. Mens illa quoque est in transitu significanda, quae *personalem dignitatem aequare conatur cum facultate communicationis verbalis claraeque,* utique comprobatae et perceptae. Plane liquet, rebus sic stantibus, nihil inesse in orbe terrarum loci, illi qui, ut nascituro vel morituro, constitutive debilis est natura, quique totus aliis personis obnoxius videtur atque ex iis stirpitus pendet et per mutam dumtaxat magnae reciprocationis affectuum loquelam communicare valet. Qua-

propter vis est, quae fit ratio decernendi agendique inter personarum necessitudines et socialem convictum. At istud plane ei obstat quod historice Status iuris edicere voluit, communitatis videlicet instar in qua « vis rationes » substituuntur « rationis vi ».

Alio in ordine, contrariorum radices, quae inter hominum iura sollemniter constituta intercidunt et calamitosam eorum re destitutionem, *libertatis quadam notione* nituntur quae absolute individuum extollit atque ad proximum iuvandum pleneque accipiendum eique inserviendum minime ordinat. Si quidem verum est orientis vitae finientisve oppressionem colore nonnumquam infici aliquo iniqui amoris alterius vel humanae pietatis, tamen negari non potest hanc culturam mortis, in universum, libertatis doctrinam quandam demonstrare prorsus individualisticam, quae evasura est in libertatem « fortiorum », contra debiles qui ad interitum destinantur.

Hoc ipso sensu Cain responsum solvi potest, qui Domino interroganti « Ubi est Abel frater tuus? »: « Nescio. *Num custos fratris mei sum ego? » (Gn* 4, 9). Ita quidem, omnis homo « custos fratris sui » est, cum Deus homini hominem committat. Et hac quoque pro demandatione Deus cunctis hominibus dat libertatem, quae *essentialem necessitudinis rationem* secum fert. Magnum est ipsa Creatoris donum, in servitio locata personae eiusque perfectionis per sui ipsius donationem et alterius acceptionem; cum autem veluti absolutum quiddam sumitur cuiusque singillatim hominis, tum libertas exinanitur primigenia significatione eiusque vocatione dignitateque impugnatur.

Pars quaedam etiam praestantior manet aestimanda: libertas se ipsa pernegat, se ipsa delet, se ipsa ad alium interimendum comparat, cum non agnoscit neque *constitutivum veritatis vinculum* servat. Quotiescumque a quavis traditione auctoritateque eximere se cupiens libertas ante vel primaria se claudit indicia obiectivae et communis veritatis quae personalis socialisque vitae est fundamentum, sequitur ut persona veluti unum et indubitabile iudicium in rebus eligendis iam non veritatem de bono maloque capiat, sed suam subiectivam mutabilem que opinationem, vel etiam suum ipsius commodum et libidinem suam.

20. Hac in libertatis notione, *socialis convictus funditus detorquetur.* Si provectio sui ipsius autonomiae absolutae ambitu ter-

minatur, necessario alter negatur, tamquam inimicus arcendus habitus. Hoc modo societas individuorum coacervatio quaedam fit, qui alius prope alium seiunctim ponuntur, mutuo dempto vinculo: unusquisque ab alio dissidens se vult extollere, immo sua commoda ut praepolleant cupit. Attamen pro alterius similibus commodis medium quiddam est aliquo modo inveniendum, si desideratur ut in societate quam summa libertas unicuique praestetur. Non amplius sic habetur bonorum communium ratio absolutaeque veritatis pro omnibus: socialis vita absoluti relativismi in cedenti sábulo inambulare audet. Tunc *omnia sunt conventionalia, omnia venalia:* primum quoque capitalium iurium, ius videlicet vitae.

Hoc ipsum re accidit etiam in ambitu qui propius respublicas et civitates complectitur: primigenium atque non alienabile vitae ius agitatur vel negatur per contionis suffragia perque voluntatem partis populi, licet maioris partis. Exitiabilis est exitus relativismi cuiusdam, qui aperte dominatur: « ius » desinit esse tale, quandoquidem in dignitate personae inviolabili iam non solide fundatur, sed valentioris voluntati subicitur. Hoc modo populare regimen, praeter suas regulas, substantialis totalitarismi curriculum decurrit. Civitas non est amplius « domus communis », ubi omnibus substantiali quadam cum aequalitate exigere vitam licet, sed *tyrannica Civitas* fit, quae debiliorum inermiorumque vitam temperare audet, ab infante adhuc non nato ad senem, alicuius publicae utilitatis nomine, quae quidem nihil est aliud nisi nonnullorum commodum.

Omnia evenire iure omnino servato videtur, saltem cum leges quae patiuntur abortum vel euthanasiam democratica ratione decernuntur. Reapse tantum funesta legis species ob oculos versatur, et optimus ordo democraticus, qui profecto is est cum singularum personarum dignitatem agnoscit et tutatur, *suis in ipsis capitibus proditur:* « Quomodo fieri potest, ut cuiusque personae dignitas adhuc tractetur, cum debilior persona sinitur occidi et innoxior? Cuius iustitiae nomine inter personas maximum fit discrimen, cum earum aliae dignae existimentur quae defendantur, aliae contra quae hac dignitate exuantur? ».[16] Cum

[16] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad participes Congressus « de vitae iure et Europa » (18 Decembris 1987): *Insegnamenti* X, 3 (1987), 1446-1447.

hae insunt condiciones, vires iam illae inducuntur quae ad verum humanum convictum disiciendum compellunt aeque ac ad civilem conciliationem dissipandam.

Abortus, infanticidii, euthanasiae ius assumere, idque ex lege agnoscere, idem est ac libertati humanae *perversam iniquamque significationem* tribuere: scilicet *absolutam potestatem supra alios et contra alios.* At haec germanae libertatis est mors: « Amen, amen dico vobis: Omnis, qui facit peccatum, servus est» *(Io* 8, 34).

«A facie tua abscondar » (Gn 4, 14): *Dei sensus hominisque obscuratio*

21. In altioribus radicibus perquirendis certaminis inter « culturam vitae » et « mortis culturam », consistere non possumus coram perversae libertatis opinione, quam supra memoravimus. Ipsum cardinem attingere debemus illius dirae vi eis, quam nostrae aetatis homo experitur: *Dei sensus hominisque obscurationem,* quiddam scilicet proprium socialis culturalisque mentis, quae saecularismo imbuitur, qui suis invadentibus flexuris ipsas christianas communitates temptare non desistit. Qui hac rerum condicione afficitur, vitiosi illius circuitus turbine facile capitur: cum quis Dei sensum amittit, *amissurus est quoque sensum hominis,* eius dignitatis eiusque vitae; continuata autem moralis legis violatio potissimum in gravi re vitae observandae eiusque dignitatis, efficit ut gradatim obscuretur facultas percipiendi vivificantem salutiferam que Dei praesentiam.

Iterum narrationem de Abel a fratre necato repetere possumus. Postquam maledictum est ei a Deo, Cain sic Deum alloquitur: « Maior est poena mea quam ut portem eam. Ecce eicis me hodie a facie agri et *a facie tua abscondar* et ero vagus et profugus in terra; omnis igitur, qui invenerit me, occidet me » *(Gn* 4, 13-14).

Cain autem arbitratur peccato suo ignosci a Domino non posse suamque sortem necessario illuc perducere, ut nimirum debeat « abscondi procul » ab eo. Si quidem Cain dicit « maior est » culpa mea, ipse propterea novit se esse ante Deum eiusque aequum iudicium. Revera Dei tantum in conspectu suum pecca-

tum agnoscere potest homo eiusque gravitatem plane intellegere. Id ipsum David experitur, qui postquam « malum coram Domino fecit», a Nathan propheta increpitus (cfr *2 Sam* 11-12), clamat: « Iniquitatem meam ego agnosco, et peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi et malum coram te feci » *(Ps* 51[50], 5-6).

22. Quapropter, cum Dei sensus amittitur, hominis quoque sensus urgetur et polluitur, quemadmodum presse asseverat Concilium Vaticanum II: « Creatura enim sine Creatore evanescit... Immo, per oblivionem Dei ipsa creatura obscuratur».[17] Homo iam non percipit se prae terrenis creaturis « mystice alium» esse; ipse unum ex multiplicibus animantibus se existimat, summum velut vivens quiddam, quod celsissimam perfectionem est adeptus. In orbe conclusus physicae suae structurae, quodammodo fit « res » nec iam indolem percipit « transcendentem » sui modi « exsistendi ut hominis ». Sic tamquam eximium Dei donum non amplius iudicat vitam, rem quandam « sacram » suae responsalitati ideoque amabili custodiae creditam suaeque « venerationi ». Ipsa plane fit « res », quam sibi veluti suum ipsius mancipium vindicat, gubernabile prorsus et tractabile.

Proposita ideo ante oculos vita quae nascitur et quae moritur, non amplius valet homo interrogari de verissimo suae vitae sensu, accipiens videlicet vera cum libertate haec decretoria suae « vitae » momenta. Eum solummodo « faciundi » tenet cura, atque ad omnes artes se conferens, ortum obitumque supputare, temperare et gubernare sollicite contendit. Experientiae hae, quae primigeniae requirunt ut « agantur », res fiunt potius quaedam, quas tantum « possidere » aut « respuere » intendit homo.

Omissa ceterum omni necessitudinis ratione cum Deo, non cuiquam admiratio movebitur, quod omnium inde rerum significatio funditus detorta evadit ac natura ipsa, iam non amplius « mater », potius ad quandam redacta est « materiam » quibuslibet tractationibus obnoxiam. Huc perducere certa aliqua videtur consequentia technica et scientifica in culturalibus nostri temporis adiunctis iam dominans, quae nempe notionem ipsam veritatis de rebus creatis agnoscendae pernegat aut consilii divi-

[17] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 36

ni de vita reverenda. Id quod haud minus est verum, cum anxietas de consectariis talis « libertatis sine lege » nonnullos in contrariam impellit sententiam « legis sine libertate », prout, verbi causa, in quibusdam evenit opinationibus doctrinisque, ubi licere omnino negant quemvis in naturam interventum, tamquam si agatur de eius « divinizatione » quae tamen rursus ignorat ex consilio ipsius Conditoris pendere naturam.

Vivens reapse « perinde ac si Deus non sit », non modo a Dei mysterio, verum etiam a mundi ipsius arcano suaeque vitae aberrat.

23. Dei hominisque sensus obscuratio necessario ad *materialismum practicum* ducit, in quo individualismus, utilitarismus et hedonismus grassantur. Hinc etiam manifestatur perpetuo valere quod dicit Apostolus: « Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit eos Deus in reprobum sensum, ut faciant, quae non conveniunt» *(Rom* 1, 28). Sic pro bonis ab *esse* inducuntur bona ab *habere.*

Unum viget propositum, scilicet corporalis commodi consecutio. « Vitae qualitas », ut aiunt, magna vel tota ex parte habetur rei familiaris felicitas, inordinata consumendarum rerum fruitio, venustas et vitae corporis usus, altioribus existentiae qualitatibus neglectis rationalibus, spiritalibus et religiosis.

Hoc in rerum prospectu *dolor,* quo necessario humana vita oneratur et ceteroqui est personalis progressus pars, quadam « nota censoria » afficitur, tamquam inutilis res respuitur, immo tamquam malum semper et ubique vitandum depugnatur. Cum autem is superari non potest et futurae saltem valetudinis exspectatio evanescit, tum vita omnem sensum amittere videtur et in homine adolescit cupiditas iuris praesumpti eius interimendae.

Eodem semper in prospectu culturali, *corpus* iam non sumitur sicut realitas prorsus personalis, signum scilicet et locus necessitudinis cum aliis, cum Deo et cum mundo; ad meram redigitur materialitatem: simplex habetur organorum coacervatio, functionum viriumque ad meram voluptatis efficientiaeque rationem adhibendarum. Quam ob rem *sexualitas* quoque paene nudatur adque instrumentum quoddam redigitur: ex signo, loco et voce amoris, donationis scilicet sui ipsius et acceptionis alte-

rius secundum cunctas personae divitias, magis magisque fit occasio et instrumentum dominationis sui ipsius necnon propriarum libidinum voluptatumque studiosa satisfactio. Depravatur ita et corrumpitur sexualitatis humanae primigenius sensus ac duae significationes, coniunctionis videlicet et procreationis, quae in ipsa coniugalis actus natura continentur, artificiose seiunguntur: hac sane ratione coniunctio violatur atque fecunditas subditur viri mulierisque arbitratui. *Procreatio* tunc fit « inimica », quae in sexualitate agenda vitari debet: si forte eligitur, sumitur tantum quia proprium desiderium significat, vel directo propriam voluntatem « quacumque ratione » filium habendi, non quia alium prorsus accipere vult, ideoque vitae divitias sumere, quas filius secum fert.

In materialistico ambitu hucusque proposito, *inter personas necessitudines magnam imminutionem experiuntur.* Detrimentum primi accipiunt mulier, puer, aegrotus vel patiens, senex. Iudicium dignitatis personalis proprium — scilicet observantiae, gratuitatis et servitii — substituitur efficientiae, functionalitatis utilitatisque iudicio: alter aestimatur non prout sic «est», sed prout aliquid « habet, facit et efficit ». De dominatu agitur fortioris in debiliorem.

24. *Ipsa in intima morali conscientia* perficitur Dei hominisque sensus obscuratio, multiplicibus suis perniciosisque de vita consecutionibus. Ante omnia *cuiusque conscientia* in medio ponitur, quae una et non iterabilis sola Dei in conspectu stat.[18] At agitur quoque ratione quadam de *societatis* « conscientia morali »; ipsa quodammodo est responsalis non modo quia tolerat vel consuetudinibus vitae adversantibus favet, verum quia et « mortis culturam » alit, quippe quae ipsas « structuras peccati » adversum vitam efficiat et confirmet. Conscientia moralis, tum personalis tum socialis, etiam ob instrumentorum socialis communicationis praepotentes virtutes, *per gravi mortiferoque* periculo hodie subditur: *permixtionis* scilicet *boni malique,* quod attinet ad idem fundamentale vitae ius. Hodiernae societatis tanta pars infeliciter cum ea aequatur humanitate, quam in Epistula ad Romanos describit Paulus. Componitur hominibus « qui veri-

[18] Cfr *ibid.,* 16.

tatem in iniustitia detinent » (1, 18): quandoquidem Deum deseruerunt et terrenam civitatem sine eo condi posse iudicarunt, « evanuerunt in cogitationibus suis », ideo « obscuratum est insipiens cor eorum » (1, 21); « dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt » (1, 22), operum mortis artifices facti sunt et « non solum ea faciunt, sed et consentiunt facientibus» (1, 32). Cum conscientia, lucens scilicet animae oculus (cfr *Mt* 6, 22-23), dicit « malum bonum et bonum malum » *(Is* 5, 20), iter persollicitae depravationis et caliginosissimae moralis caecitatis iam est ingressa.

Verum condiciones et conatus ad silentium iniungendum Domini vocem includere non valent quae in cuiusque hominis conscientia insonat: hoc ipso ex intimo conscientiae sacrario novum amoris iter explicari potest, ad vitam humanam accipiendam et ministrandam.

« Accessistis ad sanguinem aspersionis » **(cfr *Heb* 12, 22.24):** *spei signa et ad officium invitatio*

25. « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de agro » *(Gn* 4, 10). Non vox dumtaxat sanguinis Abel, primi innoxii interempti, clamat ad Deum, fontem vitaeque praesidium. Cuiusque quoque hominis sanguis post Abel necati fere vox fit quaedam quae ad Dominum pervenit. Peculiari prorsus modo clamat ad Deum *vox sanguinis Christi,* **cuius Abel in innocentia sua figura est prophetica, quemadmodum Epistulae ad Hebraeos auctor commemorat: « Sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis ... et Testamenti Novi mediatorem Iesum, et sanguinem aspersionis, melius loquentem quam Abel » (12, 22.24).**

Est *sanguis aspersionis.* **Huius figura et praenuntium signum fuit sanguis sacrificiorum Veteris Foederis, quibus Deus voluntatem ostendebat vitam suam cum hominibus communicandi, eos purificando et consecrando (cfr *Ex* 24, 8; *Lv* 17, 11). Haec omnia in Christo nunc consummantur et ad effectum adducuntur: eius est sanguis aspersionis qui redimit, qui purificat, qui salvat; sanguis est Mediatoris Novi Foederis « qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum » *(Mt* 26, 28). Sanguis hic, ex latere scatens Christi in cruce perforato (cfr *Io* 19, 34), vox**

« loquentior » est quam sanguis Abel: ille enim significat et altiorem « iustitiam » vindicat, at praesertim misericordiam deprecatur,[19] apud Patrem pro fratribus fit intercessor (cfr *Heb* 7, 25), fons est perfectae redemptionis atque vitae novae donum.

Christi sanguis, dum permagnam Patris dilectionem revelat, *ostendit simul quemadmodum pretiosus sit ante Dei oculos homo et inaestimabile sit eius vitae bonum.* Id quidem apostolus Petrus commemorat: « Scientes quod non corruptibilibus argento vel auro redempti estis de vana vestra conversatione a patribus tradita, sed pretioso sanguine quasi Agni incontaminati et immaculati Christi» *(1 Pe* 1, 18-19). Ipsum contemplans pretiosum Christi sanguinem, donationis eius amoris signum (cfr *Io* 13, 1), fidelis dignitatem quasi divinam singulorum hominum agnoscere et aestimare discit atque renovata grataque admiratione affectus clamare potest: « Quantum enim momentum ac pretium habere debet homo in conspectu Creatoris, si "talem ac tantum meruit habere Redemptorem" *['Exsultet' vigiliae Paschalis],* si Deus dedit Filium suum Unigenitum, ut ille, homo scilicet, non pereat sed habeat vitam aeternam! (cfr *Io* 3, 16) ».[20]

Christi sanguis, praeterea, homini ipsi revelat eius granditatem, ideoque eius vocationem, in *sincera sui donatione* collocari. Propterea quod ut vitae donum fundi tur, Christi sanguis iam non est mortis signum, decretoriae a fratribus seiunctionis, sed communionis instrumentum omnibus divitias afferentis. Qui in Eucharistiae sacramento sanguinem hunc bibit et in Christo manet (cfr *Io* 6, 56) in ipsius eadem amoris vi vitaeque donatione conglobatur, ut primigeniam amoris vocationem consummet cuique homini propriam (cfr *Gn* 1, 27; 2, 18-24).

Ex eodem Christi sanguine hauriunt omnes homines *vim, ut operam navent pro vita.* Hic ipse sanguis spei est solidior causa, immo *est fundamentum absolutae certitudinis ex Dei consilio vitae victoriam esse futuram.* « Et mors ultra non erit », clamat praepotens vox oriens de Dei throno Hierosolymis in caelesti civitate, *(Apc* 21, 4). Et sanctus Paulus nos certiores facit praesentem ex peccatis victoriam signum praesumptionemque esse perfectae

[19] Cfr S. GREGORIUS MAGNUS, *Moralia in Iob,* 13, 23: *COL* 143A, 683.

[20] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 10: *AAS* 71 (1979), 274.

victoriae de morte, cum « Scripturarum adimplebitur verbum: "Absorpta est mors in victoria. Ubi est, mors, victoria tua? Ubi est, mors, stimulus tuus?" » *(1 Cor* 15, 54-55).

26. Huius victoriae profecto praenuntia signa haud desunt in nostris societatibus culturisque, « mortis cultura » sic penitus notatis. Manca datur species, quae spem eripere inaniter potest, si denuntiationem minationum in vitam non comitantur demonstrata quaedam *affirmantia signa,* quae in hodierno hominum statu operantur.

Dolendum est quia haec affirmantia signa laboriose manifestantur et agnoscuntur, fortasse eo etiam quod in communicationis socialis instrumentis haud curiose ostenduntur. At quot incepta orta sunt et usque oriuntur ad debiliores et inermes personas iuvandas et sustinendas in christiana civilique communitate, in locali, nationali et internationali ambitu, singulis viris, sodaliciis, motibus et multiplicibus institutionibus operam praebentibus!

Multi sunt adhuc *coniuges* qui liberaliter officioseque filios suscipiunt veluti « praestantissimum matrimonii donum ».[21] Nec desunt *familiae,* quae suum praeter cotidianum vitae servitium, derelictos pueros, adulescentes iuvenesque difficultatibus laborantes, impeditas personas, desertos senes suscipiunt. Non paucae *sedes vitae iuvandae* vel similes institutiones a singulis vel a coetibus promoventur, qui admirabili quodam studio suique impendio re spirituque sustentant nutantes et laborantes matres, quae ad abortum adhibendum pelliciuntur. *Voluntariorum* quoque *sodalicia* oriuntur et diffunduntur, qui operam navant ut hospitio recipiantur familia carentes, peculiaribus in angustiis versantes vel quaerentes aptum educationis locum ubi auxilium ad perniciosos habitus deponendos et vitae sensum recuperandum inveniant.

***Medica ars,* quae magno cum officio ab inquisitoribus et valetudinis opificibus vestigatur, usque in suis conatibus progreditur ad magis magisque efficacia remedia invenienda: effectus reportati sunt qui olim ne cogitari quidem potuerunt quique bo-**

[21] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 50.

nam afferunt spem pro nascenti vita, pro personis valetudine laborantibus et gravibus vel extremis morbis insanabiliter correptis. Sodalitates et institutiones multiplices contendunt ut etiam in Nationibus miseriis lueque pandema affectis recentioris medicinae beneficia afferantur. Itemque nationales internationalesque medicorum consociationes tempestive ad opem incolis ferendam se comparant, qui naturae calamitatibus, morbis contagiosis bellis ve vexantur. In medicinae copiis partiendis etsi multum abest ut certa internationalis iustitia plene efficiatur, quidni non agnoscamus in progressibus ad hoc usque tempus peractis inter populos solidarietatis signa simulque humani moralisque sensus et maioris vitae observantiae?

27. Coram legibus quae abortum siverunt atque coram conatibus ad euthanasiam iure comprobandam hic illic ad effectum adductis, toto in terrarum orbe *motus inceptaque orta sunt quaedam ad socialem sensum pro vita acuendum.* Quando vero sincera cum sua mente plane convenientes firmiter agunt, amota tamen vi, hi motus latiorem de bono vitae conscientiam et intellectum fovent ac pariter acrius officium vitam tuendi concitant atque efficiunt.

Nonne commemorandi praeterea *cotidiani gestus acceptionis, sacrificii, gratuitae curae* quos amanter agunt innumeri homines in familiis, in valetudinariis, orphanotrophiis, domibus senibus destinatis, in sedibus pro vita et in consociationibus? Iesu « boni Samaritani » (cfr *Lc* 10, 29-37) exemplum persequens eiusque robore sustentata, Ecclesia semper primarium locum obtinuit in his caritatis finibus: permulti eius filii filiaeque, religiosi religiosaequae potissimum, vetustis atque usque novis formis, vitam Deo consecraverunt et consecrare pergunt, proximo debiliori indigentiorique eam dicantes.

Eiusmodi actiones ipsae illum « amoris vitaeque cultum » funditus aedificant, quo amoto personarum societatis exsistentia suam claram proprieque humanam significationem amittit. Etiamsi a nullo notantur atque a pluribus ignorantur, fides nos certiores reddit Patrem, « qui videt in abscondito » *(Mt* 6, 4) non modo eos compensaturum, verum iam nunc eos diuturnis fructibus pro omnibus fecundos redditurum.

Inter spei signa variis in publicae opinionis ordinibus *novus augescens sensus magis magisque bello contrarius* annumeratur, qui veluti instrumentum usurpatur ad controversias inter populos solvendas, dum contra efficacia at « vi carentia » instrumenta expetuntur et perquirantur ut armatus nostis contineatur. Eodem in rerum prospectu *latius usque publica diffunditur opinio capitis poenae aversa* etiam veluti « legitimae defensionis » socialis instrumentum, quandoquidem hodierna societas facultates habet crimina efficaciter coercendi his usa rationibus quae hinc sontem reddant innoxium, hinc viam resipiscendi omnino non intercludant.

Qualitatis quoque vitae et oecologiae studium augescens est dilaudandum, quod praesertim conspicitur in societatibus valde excultis, in quibus hominum exspectationes non tam in rebus vitae necessariis versantur, quam generatim in melioribus vitae condicionibus. Magni est momenti revocata de vita ethica inquisitio: cum enim orta sit et usque adoleverit *bioethica,* coluntur vestigatio ac dialogus — videlicet inter credentes et non credentes, itemque inter diversarum religionum credentes — de ethicis rebus, etiam praecipuis, quae ad hominis vitam spectant.

28. Hic conspectus luce umbraque pervasus nos omnes conscios prorsus reddere debet coram acerrima et gravissima nos sistere dimicatione quae inter bonum et malum, vitam inter ac mortem, « mortis culturam » et « vitae culturam » contenditur. Sistimus non « pro », verum necessario « inter » hanc dimicationem: omnes nempe implicamur et inevitabili officio compellimur, *ut sine condicionibus pro vita eligamus.*

Ad nos quoque illud Moysis clare et vehementer clamat: « Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum proposuerim vobis vitam et mortem, benedictionem et maledictionem. *Elige ergo vitam, ut tu vivas et semen tuum » (Dt30,* 15.19). Quod nobis quoque prorsus convenit, qui cotidie ad decernendum inter « vitae culturam » et « mortis culturam » vocamur. At altius est Deuteronomii monitum, quia ad religiosam moralemque electionem proprie nos concitat. Nam cuiusque vitae cursus funditus est disponendus atque fideliter constanterque Domini lex est tenenda: « Ego praecipio tibi hodie, *ut diligas Dominum Deum*

tuum et ambules in viis eius et custodias mandata illius et praecepta et iudicia ... Elige ergo vitam, ut et tu vivas et semen tuum et diligas Dominum Deum tuum atque oboedias voci eius et illi adhaereas, *ipse est enim vita tua* et longitudo dierum tuorum» (30, 16.19-20).

Sine condicionibus pro vita electio plene religiosam moralemque significationem adipiscitur cum manat, fingi tur et alitur *fide in Christo.* Ut inter mortem et vitam, quibus implicamur dimicantes, victores discedamus, nihil magis potest quam fides in Dei Filio qui homo factus est et inter homines venit « ut vitam habeant et abundantius habeant » *(Io* 10, 10): *fides est in Christo Resuscitato, qui mortem vicit;* fides est quae Christi sanguinem complectitur, « melius loquentem quam Abel » *(Heb* 12, 24).

Quapropter, fulgore atque vi huius fidei, coram provocationibus hodiernarum rerum condicionum, Ecclesia magis magisque sibi fit conscia gratiae et officii quae a Domino ei tribuuntur ut enuntiet, celebret et inserviat *Evangelio vitae.*

CAPUT II

EGO VENI, UT VITAM HABEANT

CHRISTIANUS NUNTIUS DE VITA

« Vita apparuit, et vidimus» (1 Io 1, 2): *contuitus in Christum, « Verbum vitae »*

29. Coram innumeris et gravibus minationibus quae in vitam hominum nostrae aetatis in praesens iaciuntur, quodam insuperabili impotentiae sensu obruimur: bonum nullo tempore malum vincere poterit!

Hoc tempus est quo Dei Populus, atque in eo singuli credentes, vocantur ad propriam fidem in Iesum Christum « Verbum vitae » *(1 Io* 1, 1) humiliter ac strenue profitendam. *Evangelium Vitae* non est simplex meditatio, quamvis originalis et profunda, de vita humana; nec tantum est mandatum ad movendam conscientiam et ad significantiores suscitandas mutationes in societate; nec agitur de vana melioris futuri temporis promissione.

Evangelium Vitae res est et quidem concreta et personalis, quia continetur in *ipsa Iesu persona* annuntianda. Apostolo Thomae, atque in eo unicuique homini, Iesus hisce verbis se exhibet: « Ego sum via et veritas et vita » *(Io* 14, 6). Eadem est proprietas quam Iesus Martham, Lazari sororem, docuit: « Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet; qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum» *(Io* 11, 25-26). Iesus Filius est qui ab aeterno sumit de Patre vitam (cfr *Io* 5, 26) et venit ad homines ut eos huius doni participes redderet: « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant » *(Io* 10, 10).

Ideo ex verbo, ex operibus, ex ipsa Iesu persona facultas tribuitur homini ut *omnem veritatem* de humanae vitae bono « cognoscere possit »; et ex illo « fonte » peculiari modo provenit facultas adamussim talem veritatem faciendi (cfr *Io* 3, 21), id est, suscipiendi necnon funditus exsequendi officium vitam humanam amandi, ei serviendi, eamque tuendi et promovendi. In Christo enim absolute nuntiatur et plene traditur illud *Evangelium vitae* quod iam traditum in revelatione Veteris Testamenti, immo scriptum quodam modo in ipso corde cuiusque hominis et mulieris, in unaquaque conscientia morali resonat « ab initio », hoc est ab ipsa creatione, ita ut, adversis peccati vinculis non efficientibus, *suis in essentialibus rationibus humana quoque mente percipi possit.* Ut scriptum legimus in Concilio Vaticano II, Christus « tota sui ipsius praesentia ac manifestatione, verbis et operibus, signis et miraculis, praesertim autem morte sua et gloriosa ex mortuis resurrectione, misso tandem Spiritu veritatis, revelationem compiendo perficit ac testimonio divino confirmat, Deum nempe nobiscum esse ad nos ex peccati mortisque tenebris liberandos et in aeternam vitam resuscitandos ».[22]

30. Intuentes itaque Dominum Iesum, ab Ipso « Verba Dei » *(Io* 3, 34) rursus exaudiré volumus ac denuo *Evangelium Vitae* meditari. Altior et magis proprius sensus huius meditationis de nuntio revelato circa vitam humanam desumitur ex initio primae Epistulae apostoli Ioannis dicentis: « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspexi-

[22] Const. dogm. de Divina Revelatione *Dei Verbum,* 4.

mus, et manus nostrae con tractaverunt de verbo vitae — et vita apparuit, et vidimus et testamur et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat coram Patre et apparuit nobis — quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum »(1,1-3).

Qua de re, vita divina et aeterna in Iesu, « Verbo vitae », et nuntiatur et traditur. Huius nuntii atque doni virtute, physica et spiritualis hominis vita, sua etiam terrestri aetate, plenitudinem virtutis suae et sensus assequitur: vita enim divina et aeterna terminus est ad quem homo, dum in hoc mundo vivit, impellitur et vocatur. *Evangelium vitae* amplectitur ita ea, quae ipsa experientia et humana ratio asserunt de momento vitae humanae; ea omnia accipit, extollit et ad exitum adducit.

« Fortitudo mea et robur meum Dominus, et factus est mihi in salutem » (Ex 15, 2): *vita semper bonum est*

31. Re vera, evangelica plenitudo nuntii de vita iam in Vetere Testamento adumbratur. Et praesertim in eventibus Exodi, quae est fulcrum experientiae fidei Veteris Testamenti, Israel detegit quam pretiosa sit vita sua in conspectu Domini. Cum vero Israel videtur ad interitum iam damnatus, eo quod omnibus recens natis minatio mortis instat (cfr *Ex* 1, 15-22), Dominus ei se exhibet Servatorem, promittens futurum aliquod tempus illis qui omni spe carent. Ita in Israel certa oritur conscientia: *eius vita* non subicitur potestati pharaonis, qui ea tyrannico arbitrio abuti potest; quin contra, *Deus dulci validoque amore ipsam prosequitur.*

Liberatio a servitute donum est cuiusdam identitatis, comprobatio indelebilis dignitatis atque *novae historiae exordium,* in qua inventio Dei et sui ipsius inventio aequo itinere progrediuntur. Illa Exodi est experientia, fundamentum iaciens et exemplaris. Ex illa Israel discit se, quotiescumque sua exsistentia minis subiciatur, nihil aliud facere debere nisi ad Deum renovata fiducia confugere ut validum auxilium in Eo inveniat: « Formavi te, servus meus es tu, Israel, non decipies me » *(Is* 44, 21).

Ita, dum pondus comprobat propriae exsistentiae veluti populus, Israel progreditur *percipiendo quoque sensum ac momentum vitae qua talis.* Haec est meditatio quae peculiarem in modum in libris sapientialibus explicatur, iter sumendo a cotidiana

experientia *mutabilitatis* vitae atque a conscientia minarum quae illi insidiantur. Coram dissensionibus exsistentiae, fides incitatur ad responsum praebendum.

Quaestio praesertim de dolore fidem premit et temptat. Cur non percipitur universalis gemitus hominis cum fit meditatio de libro Iob? Innocens dolore oppressus naturaliter compellitur ad sese interrogandum: « Quare misero data est lux et vita his, qui in amaritudine animae sunt? — Qui exspectant mortem, et non venit, et effodiunt quaerentes illam magis quam thesauros? » (3, 20-21). Fides tamen in crassissima quoque caligine impellit ad fidentem et adorantem mysterii agnitionem: « Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio » *(Iob* 42, 2).

Revelatio paulatim facit ut germen vitae immortalis quod Creator posuit in corde hominis, maiore deprehendatur perspicuitate: « Cuncta fecit bona in tempore suo; et mundum tradidit cordi eorum » *(Ecde* 3, 11). Hoc sane *universitatis et plenitudinis germen* exspectat ut in amore manifestetur et impleatur, per gratuitum Dei donum, in communicatione eius vitae aeternae.

« Hunc, quem videtis et nostis, confirmavit nomen eius » (Act* 3, 16): *Iesus in exsistentiae humanae mutabilitate sensum vitae complet

32. Experientia populi Foederis renovatur per experientiam omnium « pauperum » qui Iesum Nazarenum inveniunt. Quemadmodum olim Deus « qui amat animas » (cfr *Sap* 11, 26) Israel in periculis versantem confirmavit, ita nunc Dei Filius omnibus, qui minationibus subiciuntur et propria privantur exsistentia, nuntiat eorum quoque vitam bonum esse, cui Patris amor sensum tribuit aestimationemque.

« Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur et surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur » *(Lc* 7, 22). Hisce verbis Isaiae prophetae (35, 5-6; 61, 1) Iesus propriae missionis significationem explanavit: ita illi qui patiuntur propter exsistentiam quodam modo « deminutam », ab Ipso *bonum nuntium* audiunt, de cura scilicet quam Deus adhibet de illis qui accipiunt confirmationem: propriam etiam vitam donum esse in manibus Patris studiose custoditum (cfr *Mt* 6, 25-34).

Sunt enim « pauperes » qui praecipue Iesu praedicatione et actione adiiciuntur. Plurimi ex infirmis et a societate exclusis eum sequuntur et quaerunt (cfr *Mt* 4, 23-25), ex eius verbis et actionibus percipiunt quanti eorum vita aestimetur et quomodo eorum salutis exspectationes confirmentur.

Non aliter accidit in munere Ecclesiae, inde ab eius exordiis. Haec enim, quae nuntiat illum Iesum qui « pertransivit benefaciendo et sanando omnes oppressos a Diabolo, quoniam Deus erat cum illo » *(Act* 10, 38), bene novit se ferre salutis nuntium, qui plane novus in condicionibus quoque miseriae et paupertatis vitae hominis resonat. Ita facit Petrus sanando claudum, cotidie iacentem apud portam « Speciosam » templi Hierosolymitani ad eleemosynam quaerendam: « Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge et ambula! » *(Act* 3, 6). Propter fidem in Iesum, « ducem ... vitae » *(Act* 3, 15), vita, quae iacet relicta et supplex, conscientiam de se ac plenam dignitatem denuo invenit.

Verba et actiones Iesu eiusque Ecclesiae non respiciunt tantummodo illum qui sive in morbo sive in dolore versatur sive in variis generibus exclusionis a societate. Altius attingunt *ipsam vitae cuiusque hominis significationem in ordine sive morali sive spiritali.* Ille tantum qui intellegit vitam suam peccati morbo affici, in occursatione cum Iesu Servatore veritatem invenit et germanam vim propriae exsistentiae, secundum ipsius verba: « Non necesse habent sani medicum, sed qui male habent; non veni vocare iustos, sed peccatores in paenitentiam » *(Lc* 5, 31-32).

Qui vero, sicut dives agricola parabolae evangelicae, cogitat propriam vitam in tuto collocare quia bona tantum terrena possidet, reapse fallitur; vita illum effugit, qui sic cito ipsa privabitur, quin veram eiusdem significationem percipere possit: « Stulte! Hac nocte animam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cuius erunt? » *(Lc* 12, 20).

33. In ipsa Iesu vita, inde ab initio usque ad finem, haec singularis « disserendi ratio » reperitur inter experientiam mutabilitatis vitae humanae et testificationem praestantiae eius. Vita enim Iesu inde a natali die mutabilitate signatur. Ipse quidem *hospitio* excipitur a iustis, qui promptae ac gaudiosae affirmationi Mariae coniunguntur (cfr *Lc* 1, 38). Ilico tamen etiam *repudiatio-*

ne afficitur ab ea hostili gente quae puerum quaerit « ad perdendum eum » *(Mt* 2, 13), aut aliena remanet nec vertit animum ad perfectionem mysterii huius vitae quae in mundum ingreditur: « quia non erat eis locus in deversorio » *(Lc 2,1).* Ex discrepantia inter minas et instabilitatem una ex parte et virtutem doni Dei ex altera, maiore cum splendore refulget gloria quae ex domo Nazarethana et ex praesaepio Betheleemitico prorumpit: haec vita quae nascitur salus est totius humani generis (cfr *Lc 2,* 11).

Discrepantiae et vitae pericula a Iesu plene suscipiuntur: « quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis » *(2 Cor* 8, 9). Paupertas, de qua loquitur Paulus, non significat tantum aliquem destitutum esse divinis privilegiis, verum etiam communicationem humilium et instabilium vitae humanae condicionum (cfr *Philp* 2, 6-7). Iesus totum per vitae suae cursum usque ad novissimam horam in cruce hanc pauperem vitam gerit: « humiliavit semet ipsum factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus illum exaltavit et donavit illi nomen, quod est super omne nomen » *(Philp* 2, 8-9). *Iesus utique morte sua revelat omnem vitae plenitudinem eiusque pondus,* quatenus eius in cruce deditio fons vitae novae pro omnibus hominibus efficitur (cfr *Io* 12, 32). Dum Iesus inter repugnantiam et sui ipsius vitae iacturam peregrinatur, certa sententia ducitur: vitam suam in manibus esse Patris. Propterea cruci iam affixus Ei clamare potest: « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum » *(Lc* 23, 46), id est vitam meam. Vere summi ponderis est vita humana quia Dei Filius in se eam assumpsit eamque locum fecit in quo perficitur totius humani generis salus!

Praedestinati « conformes fieri imaginis Filii eius » (Rom S, 29): *gloria Dei super hominis vultum resplendet*

34. Vita semper bonum est. Hoc effatum intuitionem continet vel planam experientiae rationem, cuius homo ad intimam vocatur causam percipiendam.

Curnam vita bonum est? Interrogatio haec totam Sacram Scripturam permeat et inde a primis paginis efficacem miramque invenit responsionem. Vita, quam Deus homini tradit, pror-

sus alia est ac cuiuslibet alterius creaturae viventis, quatenus homo, etsi pul veri terrae affinitate coniunctus (cfr *Gn* 2, 7; 3, 19; *Iob* 34, 15; *Ps* 103[102], 14; 104[103], 29), *coram mundo Dei manifestatio exstat, signum eius praesentiae, vestigium gloriae eius* (cfr *Gn* 1, 26-27; Ps 8, 6). Quae quidem sanctus Irenaeus Lugdunensis in lucem proferre voluit ea pernota definitione: « Gloria Dei vivens homo ».[23] Homo igitur *altissima* honestatur *dignitate,* quae radices penitus invenit in vinculo quo suo coniungitur Creatori: in homine repercussio ipsius naturae Dei refulget.

Hoc asserit liber Genesis in prima originum narratione, hominem evehens ad fastigium operae creatricis Dei, velut eiusdem coronationem, dum concluditur processus qui ex confuso chao ad statum creaturae quam maxime perfectae eum extollit. *Universa creatio ad hominem dirigitur et omnia illi subiciuntur:* « Replete terram et subicite eam et dominamini ... universis animantibus » (1, 28), iubet Deus virum et mulierem. Similis nuntius in altera quoque originum narratione invenitur: « Tulit ergo Dominus Deus hominem et posuit eum in paradiso Edem, ut operaretur et custodiret illum » *(Gn* 2, 15). Ita confirmatur hominis principatus universorum, quae quidem in eius dicione sunt posita eiusque concredita responsalitati, dum ipse nullam ob causam paribus suis potest subici, neque ad rerum ordinem redigi.

In biblica narratione differentia hominis a ceteris rebus creatis liquido inde patet quod tantummodo illius creatio praebetur veluti singularis consilii Dei fructus, deliberationis quae in hoc est ut *singulare ac proprium cum Creatore vinculum* constituatur: « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram » *(Gn* 1, 26). *Vita* quam Deus homini largitur *donum est quo Deus creatur am quodam modo sui ipsius participem reddit.*

Israel diu secum feret quaestionem circa sensum huius singularis ac proprii vinculi hominis cum Deo. Auctor quoque libri Ecclesiastici id agnoscit quod Deus, cum hominem creavit, « secundum se vestivit illum virtute ... et secundum imaginem suam fecit illum » (17, 1-2). Ad hoc sacer auctor revocat non tantum eius dominium in mundum, sed etiam *facultates spirituales magis propriae hominis,* quales sunt: ratio, distinctio boni et mali, libe-

[23] *Adversus haereses,* IV, 20, 7: *SCh* 100/2, 648.

ra voluntas: «Disciplina intellectus replevit illos ... et mala et bona ostendit illis » *(Eedi* 17, 5-6). *Facultas veritatem libertatemque attingendi privilegium est hominis* quatenus ad imaginem sui Creatoris, Dei veri et iusti, est creatus (cfr *Dt* 32, 4). Docemur hominem dumtaxat, inter omnes creaturas visibiles, esse « capacem suum Creatorem cognoscendi et amandi ».[24] Vita, quam Deus homini dat, exsistentia est quae ultra tempus progreditur. Cursus est ad vitae plenitudinem; *germen est exsistentiae quae ipsos temporis fines transcendit:* « Deus creavit hominem in incorruptibilitate et imaginem similitudinis suae fecit illum » *(Sap* 2, 23).

35. Yahvistica pariter originum narratio eandem exprimit opinationem. Vetus igitur relatio de *divino afflatu* loquitur, qui *homini inhalatur* ut ille vitam ingrediatur: « Tunc formavit Dominus Deus hominem pulverem de humo et inspiravit in nares eius spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem » *(Gn* 2, 7).

Divina huius spiraculi vitae origo perpetuam explicat displicentiam qua homo suam per vitam afficitur. A Deo factus, indelebile Dei signum ferens, homo suapte natura ad Eum inclinatur. Cum profundam exaudit cordis sui appetitionem, quisque homo facere non potest quin propriam reddat veritatem illam a sancto Augustino enuntiatam: « Fecisti nos ad te; et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te ».[25]

Quam certe eloquens est displicentia qua hominis vita in paradiso Eden perturbatur quamdiu eius unicum quasi theatrum restat mundus vegetalis et animalis! (cfr *Gn* 2, 20). Solummodo adventus mulieris, creaturae videlicet quae caro est de carne viri et os ex ossibus eius (cfr *Gn* 2, 23) et in qua Dei Creatoris spiritus pariter vivit, explere potest postulatum necessitudinis interpersonalis, quae ad vitam humanam maximi ponderis existimatur. In utroque, tam in viro quam in muliere, Deus Ipse ostenditur, fere portus ultimus et satisfaciens cuiusque personae.

« Quid est homo, quod memor es eius, aut filius hominis, quoniam visitas eum? », Psaltes sese interrogat *(Ps* 8, 5). In con-

[24] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 12.

[25] *Confessiones,* I, 1: *CCL* 27, 1.

spectu vastitatis universi homo minimus videtur et haec ipsa differentia efficit ut magnitudo eius extollatur: « Minuisti eum paulo minus ab angelis » (forsitan dici etiam potest: « paulo minus a Deo »), « gloria et honore coronasti eum » *(Ps* 8, 6). *Dei gloria super vultum hominis refulget.* In ipso Creator levamen invenit, uti sanctus Ambrosius stupens ac permotus interpretatur: « Quoniam completus est dies sextus, et mundani operis summa conclusio est; perfecto videlicet homine in quo principatus est animantium universorum, et summa quaedam universitatis, et omnis mundanae gratia creaturae. Certe deferamus silentium; quoniam requievit Deus ab omnibus mundi operibus; requievit autem in recessu hominis, requievit in eius mente atque proposito. Fecerat enim hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum aemulatorem, cupidum caelestium gratiarum. In his requiescit Deus qui ait: *Super quem requiescam, nisi supra humilem, et quietum, et trementem verba mea? (Esa.* LXVI, 1-2). Gratias ergo Domino Deo nostro qui huiusmodi opus fecit in quo requiesceret ».[26]

36. Mirandum Dei propositum ob peccati incursionem in historiam infeliciter obscuratur. Homo propter peccatum ita Creatori obsistit ut *creaturas adoret* pro Deo: «Coluerunt et servierunt creaturae potius quam Creatori » *(Rom* 1, 25). Tali quidem modo homo non solum Dei imaginem in se ipso deturpat, sed temptatione compellitur ut eam in ceteris laedat, substituens pro communionis consuetudinibus habitus diffidentiae, le vitatis animi, inimicitiae, immo mortiferi odii. Cum enim Deus *uti Deus* non agnoscitur, tunc intimus hominis sensus proditur et inter homines communio offenditur!

In vita hominis imago Dei denuo relucet et in omnimoda plenitudine ostenditur per Filii Dei adventum in carne humana: « Qui est imago Dei invisibilis » *(Gol* 1, 15), « splendor gloriae et figura substantiae eius» *(Heb* 1, 3). Ille perfecta est Patris imago.

Vitae propositum primo Adamo traditum in Christo tandem consummatur. Dum Adami intemperantia consilium Dei circa vitam hominis infringit et corrumpit atque mortem immittit in

[26] *Hexaëmeron,* VI, 75-76: *CSEL* 32, 260-261.

mundum, redemptrix Christi oboedientia fons exsistit gratiae quae in homines funditur, regni vitae portas omnibus reserans (cfr *Rom* 5, 12-21). Paulus apostolus asserit: « Factus est primus homo Adam in animam viventem; novissimus Adam in Spiritum vivificantem » *(1 Cor* 15, 45).

Omnibus qui Christi famulatui se committere statuunt, vitae plenitudo conceditur: in iis Dei imago restituitur, renovatur et ad perfectionem ducitur. Hoc est Dei consilium de hominibus, ut conformes fiant « imaginis Filii eius » *(Rom* 8, 29). Ita dumtaxat, in splendore huius imaginis homo ab idololatriae servitute liberari potest, dispersam fraternitatem restituere, suam reciperare identitatem.

« Omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum » (Io* 11, 26): *donum vitae aeternae*

37. Vita, quam Dei Filius venit ut hominibus largiretur, non sola temporis exsistentia constringitur. Vita, quae ab aeterno « in Ipso » est et qua « lux hominum » *(Io* 1, 4) constituitur, *in eo est ut ex Deo nascamur et plenitudinis eius amoris participes simus:* «Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt » *(Io* 1, 12-13).

Aliquando Iesus hanc vitam, quam donaturus venit, ita simpliciter vocat: « vitam »; et generationem ex Deo demonstrat tamquam necessariam condicionem ut finis ille, ad quem Deus hominem creavit, attingi possit: « Nisi quis natus fuerit desuper, non potest videre regnum Dei» *(Io* 3, 3). Donum huius vitae constituit proprium missionis Iesu propositum: ille « est, qui descendit de caelo et dat vitam mundo » *(Io* 6, 33), ita ut plena veritate asserere valeat: « Qui sequitur me ... habebit lucem vitae » *(Io* 8, 12).

Alias Iesus loquitur de « vita aeterna », ubi adiectivum non tantum exspectationem quae tempora praetergreditur requirit. « Aeterna » vita est ea quam Iesus promittit et confert, quoniam plenitudo est participationis vitae cuiusdam « Aeterni ». Omnis qui credit in Iesum et cum eo communione coniungitur vitam habet aeternam (cfr *Io* 3, 15; 6, 40), quia ab Ipso ea sola verba

audit quae revelant atque addunt eius exsistentiae vitae plenitudinem; sunt quidem «verba vitae aeternae» quae Petrus in professione fidei agnoscit: « Domine, ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes; et nos credidimus et cognovimus quia tu es Sanctus Dei » *(Io* 6, 68-69). In quo autem sit vita aeterna, ipse Iesus explicat cum Patrem magna illa sacerdotali oratione alloquitur: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et, quem misisti, Iesum Christum » *(Io* 17, 3). Deum cognoscere eiusque Filium idem est ac mysterium communionis amoris Patris, Filii et Spiritus Sancti in propriam vitam suscipere, quae aperitur *iam nunc* vitae aeternae in *vitae divinae participatione.*

38. Qua de re, vita aeterna est ipsa Dei vita simulque *vita filiorum Dei.* Pius vir admiratione et immensa gratiarum actione non potest non repleri prae hac insperata et ineffabili veritate, quae a Deo ad nos profluit in Christo. Christifidelis igitur apostoli Ioannis verba sibi applicat: « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et sumus! ... Carissimi, nunc filii Dei sumus, et nondum manifestatum est quid erimus; scimus quoniam, cum ipse apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est » *(I Io* 3, 1-2).

Christiana veritas de vita tali ratione *suum attingit fastigium.* Huius dignitas non solum eius primordiis, eius a Deo origini coniungitur, verum etiam eius fini, eius destinationi communionis cum Deo in eiusdem cognitione et amore. Sub lumine huius veritatis sanctus Irenaeus distinguit et perficit hominis exaltationem: « gloria Dei » est, certe, « homo vivens », « vita autem hominis visio Dei ».[27]

Inde statim consectaria oriuntur pro vita humana in ipsa *terrestri condicione,* in qua ceterum vita aeterna iam est germinata et crescere pergit. Si homo sua sponte diligit vitam quia bonum est, eiusmodi dilectio invenit altiorem causam virtutemque, amplitudinem novam et profunditatem in divinis huius boni mensuris. Simili in prospectu dilectio quam unusquisque in vitam habet non perducitur ad simplicem inquisitionem spatii in quo se ipsum enuntiet atque in consuetudinem cum ceteris ingredia-

[27] *Adversus haereses,* IV, 20, 7: *SCh* 100/2, 648.

tur, sed evolvitur in laeta conscientia se statuere posse propriam exsistentiam « locum » patefactionis Dei, occursationis et communionis cum Ipso. Vita, quam Iesus nobis largitur, nostrae terrestris exsistentiae pretium non minuit, sed eam assumit atque ad ipsius novissimam sortem conducit: « Ego sum resurrectio et vita omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in aeternum » *(Io* 11, 25-26).

« De manu viri fratris eius requiram animam hominis » (Gn* 9, 5); *veneratio et amor erga vitam omnium

39. Hominis vita a Deo profluit, ipsius est donum, eius imago et vestigium, eius vitalis spiritus participatio. *Huius* itaque *vitae Deus est unus dominus:* homo de ea pro suo lubitu decernere non potest. Ipse Deus id confirmat iusto Noe post diluvium: « De manu hominis, de manu viri fratris eius requiram animam hominis » *(Gn* 9, 5). Textus enim biblicus in luce profert sacram vitae indolem quae Deo eiusque actione creatrice nititur: « Ad imaginem quippe Dei factus est homo » *(Gn* 9, 6).

Vita et mors hominis sunt, proinde, in manu Dei, in eius potestate: « In cuius manu anima omnis viventis et spiritus universae carnis hominis », clamat Iob (12, 10). « Dominus mortificat et vivificat, deducit ad infernum et reducit » *(1 Sam* 2, 6). Ille solus asserere potest: « Ego occidam et ego vivere faciam » *(Dt* 32, 39).

Hanc vero potestatem Deus non uti minax arbitrium exsequitur, sed tamquam *curam et benignam erga creaturas sollicitudinem.* Si verum est vitam hominis in manibus Dei esse, verum est pariter has manus benignas esse, sicut manus matris quae puerum suum excipit, nutrit eiusque curam gerit: « Vere pacatam et quietam feci animam meam; sicut ablactatus in sinu matris suae, sicut ablactatus, ita in me est anima mea» *(Ps* 131[130], 2; cfr *Is* 49, 15; 66, 12-13; *Os* 11, 4). Ita in populorum vicissitudinibus necnon in singulorum sorte Israel non conspicit fructum fortuiti casus vel caecae fortunae, sed exitum consilii amoris, quo Deus omnes vitae facultates colligit et cohibet mortis vires, quae ex peccato oriuntur: « Quoniam Deus mortem non fecit nec laetatur in perditione vivorum; creavit enim, ut essent omnia » *(Sap* 1, 13-14).

40. **Ex sacra vitae indole eius inviolabilis scatet natura,** ***inscripta inde ab exordiis in corde hominis,*** **in eius conscientia. Quaestio enim « Quid fecisti? »** ***(Gn*** 4, 10), **qua Deus Cain alloquitur, postquam hic fratrem Abelem necavit, experientiam exhibet cuiusque hominis: in conscientiae latebris ipse semper appellatur ad inviolabilem naturam vitae — sive propriae sive alienae —, uti rem quae ad eum non pertinet, quia proprietas est et donum Dei Creatoris et Patris.**

Mandatum, quod inviolabilem humanae vitae naturam respicit, resonat ***ipso in animo « decem verborum » Foederis Sinaitici*** **(cfr** ***Ex*** 34, 28). **Quod in primis vetat homicidium: « Non occides »** ***(Ex*** 20, 13); **« Insontem et iustum non occides »** ***(Ex*** 23, 7); **vetat insuper — ut patet ulterius in corpore toto iuris Israelis — quamlibet laesionem aliis illatam (cfr** ***Ex*** 21, 12-27). **Procul dubio, agnoscatur oportet in Vetere Testamento hunc animi sensum quoad aestimationem vitae quamvis ita notatum, nondum suavitatem Sermonis in Monte attingere, uti liquet ex aspectibus quibusdam iuris tum vigentis, cum haud leves poenae corporales atque adeo poena capitis sancirentur. At nuntius universus, quem Novum Testamentum ad consummationem ducere debebit, vehemens est appellatio ad venerandam inviolabilem vitae physicae et individuae incolumitatis naturam, qui nuntius ad culmen pervenit ex positivo mandato quod constringit ad curam adhibendam proximi sicut sui ipsius: « Diliges proximum tuum sicut teipsum »** ***(Lv*** 19, 18).

41. **Mandatum «Non occides», inclusum, amplificatum et prolatum positivo mandato amoris proximi, a Domino Iesu pro omni sua vi confirmatur. Iuveni di viti quaerenti: « Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam? » respondet: «Si... vis ad vitam ingredi, serva mandata »** ***(Mt*** 19, 16. 17). **Et in primis memorat « Non homicidium facies ». In Montano Sermone Iesus** ***maiorem*** **a discipulis requirit** ***iustitiam*** **quam scribarum et pharisaeorum etiam sub aspectu vitae reverendae: « Audistis quia dictum est antiquis: Non occides; qui autem occiderit, reus erit iudicio: Ego autem dico vobis: Omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio »** ***(Mt*** **5,** 21-22).

Tam verbo quam propriis gestis Iesus positivas postea ostendit condiciones huius mandati de inviolabili vitae natura. Hae

vim iam suam exserebant tempore Veteris Testamenti, cum corpus iuris promittendas ac tuendas curaret condiciones eorum qui vitam gerebant languentem et minis vexatam, et qui sunt: advena, vidua, orphanus, infirmus, pauper universim, vita ipsa ante nativitatem (cfr *Ex* 21, 22; 22, 20-26). Hae condiciones cum Iesu novum assequuntur vigorem et impulsum, et sua plana amplitudine eminent et altitudine; decurrunt enim a cura vitae fratris adhibenda (sive familiaris, sive conci vis, sive advenae qui terram Israelis incolit) usque ad extraneum in se excipiendum, quin immo ad inimicum diligendum.

Extrarius talis non erit coram eo qui proximus effici debet cuiuslibet hominis necessitate laborantis, usque ad sponsionem vitae eius in se suscipiendam, uti eloquenti vehementique sermone Parabola boni Samaritani nos edocet (cfr *Lc* 10, 25-37). Inimicus quoque talis desinit esse coram eo qui debet illum diligere (cfr *Mt* 5, 38-48; *Lc* 6, 27-35), eiusque « bono » servire (cfr *Lc* 6, 27. 33. 35), prompto animo et grato sensu (cfr *Lc* 6, 34-35) eius vitae necessitatibus sub veniens. Amoris huius culmen oratio est pro inimico, per quam concordia constituitur cum providenti Dei amore: « Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros et orate pro persequentibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est, quia solem suum oriri facit super malos et bonos et pluit super iustos et iniustos » *{Mt* 5, 44-45; cfr *Lc* 6, 28. 35).

Ita mandatum Dei ad hominis vitam tuendam detegit partem suam altiorem penitus insitam in officio singulas personas earumque vitam venerandi et amandi. Haec est doctrina quam apostolus Paulus, verba Iesu quadam resonantia iterans (cfr *Mt* 19, 17-18), christianis urbis Romae tradit: «Nam: Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo recapitulatio : *Diliges proximum tuum tamquam teipsum.* Dilectio proximo malum non operatur; plenitudo ergo legis est dilectio » *(Rom* 13, 9-10).

« Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam » (Gn 1, 28): *hominis de vita officia*

42. Vitam tueri et provehere, eandem venerari et amare est officium quoddam singulis hominibus a Deo concreditum, cum

Deus vocat eum, vividam veluti sui effigiem, ad mundi dominatum participandum quem ipse occupat: « Benedixitque illis Deus et ait illis: "Crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus, quae moventur super terram"» *(Gn* 1, .28).

Biblica verba amplitudinem altitudinemque dominatus quem Deus homini tribuit, in lumine locant. Agitur in primis *de orbis terrarum singulorumque viventium dominatu,* quemadmodum Sapientiae liber commemorat: « Deus patrum meorum et Domine misericordiae, ... sapientia tua constituisti hominem, ut dominaretur creaturis, quae a te factae sunt, et disponeret orbem terrarum in sanctitate et iustitia » (9, 1.2-3). Psalmista quoque hominis dominatum tamquam gloriae honorisque signum a Creatore praestitorum extollit: « Constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius, oves et boves universas, insuper et pecora campi, volucres caeli et pisces maris, quaecumque perambulant semitas maris » *(Ps* 8, 7-9).

Ad mundi hortum colendum tutandumque vocatus (cfr *Gn* 2, 15) homo peculiare quidem officium *de vitae loco* suscipere debet, scilicet de universo mundo quem Deus commodavit ut illius personali dignitati eiusque vitae inserviret, spectatis non modo iis qui nunc sunt, verum et qui postea nascentur. Agitur quippe *de oecologica quaestione* — quae hinc diversarum animalium specierum naturales sedes multiplicesque vitae formas servandas complectitur, illinc ipsam « humanam oecologiam »[28] — et quae in bibliorum sacrorum paginis clara et ethica ratione tantopere significatur, ut vita, quaevis vita, observanter colatur. Reapse « dominium a Creatore homini datum ... non est absolutum, nec potest utendi et abutendi arbitrium vocari, vel ex commodo res disponendi. Modus, quem inde a principio ipse Creator homini imposuit quique symbolica ratione exprimitur per interdictionem comedendi de ligno (cfr *Gn* 2, 16-17), satis clare ostendit in universitate naturae visibilis ... nos legibus esse subiectos, non solum biologicis, verum etiam et moralibus, quae impune violari nequeunt ».[29]

[28] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 38: *AAS* 83 (1991), 840-841.

[29] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 34: *AAS* 80 (1988), 560.

43. Homo quodammodo Dei dominatus fit particeps. Hoc quidem *peculiari responsalitate* revelatur, quae ei committitur *quod attinet ad vitam proprie humanam.* Quod officium in vita donanda suum fastigium attingit *per generationem,* quam vir mulierque in matrimonio dant, sicut commemorat Concilium Vaticanum II: « Ipse Deus qui dixit: non est bonum hominem esse solum *(Gn* 2, 18) et qui hominem ab initio masculum et feminam fecit *(Mt* 19, 4), volens ei participationem specialem quandam in sui ipsius opere creativo communicare, viro et mulieri benedixit dicens: crescite et multiplicamini *(Gn* 1, 28) ».[30]

De « participatione speciali quadam » viri mulierisque in Dei « opere creativo » loquens, Concilium collustrare vult quemadmodum generatus filius pianissime sit humanus religiosusque eventus, quippe qui secum coniuges ferat et complectatur formantes « carnem unam » *(Gn* 2, 24), et ipsum simul Deum qui praesens fit. Sicut in *Litteris familiis datis* scripsimus, « cum e conubiali duorum coitu novus nascitur homo, secum in mundum peculiarem omnino adfert imaginem similitudinemque cum Deo ipso: *in generationis biologia personae genealogia inscribitur.* Adfirmantes vero coniuges uti parentes cum Deo Conditore operari in concipiendo generando que novo homine, non unas tantum repetimus biologiae leges; inculcare potius contendimus *in humana paternitate ac maternitate Deum ipsum adesse* aliter atque contingat in reliquis cunctis generationibus "in terra". Solo enim a Deo illa cooriri potest "imago et similitudo" quae hominis est propria, perinde ac factum est in ipsa creatione. Generatio enim est creationis propagatio ».[31]

Hoc prompte conspicueque docet sacer textus, gaudenter inducens laetantem clamorem mulieris « matris cunctorum viventium » *(Gn* 3, 20). Dei operationis sibi conscia, Heva effatur: «Acquisivi virum per Dominum» *(Gn* 4, 1). In pariendo igitur, per vitae communicationem ex parentibus in liberos, per immortalis animae creationem[32] ipsius Dei imago et similitudo transmittitur. Mentem hanc significat « libri generationis Adam » ex-

[30] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 50.

[31] Litterae Familiis datae *Gratissimam sane* (2 Februarii 1994), 9: *AAS* 86 (1994), 878; cfr Pius PP. XII, Litt. Encycl. *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 574

[32] « Animas enim a Deo immediate creari catholica fides nos retinere iubet »: Pius PP. XII, Litt. Encycl. *Humani generis* (12 Augusti 1950): *AAS* 42 (1950), 575.

ordium: « In die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creavit eos et benedixit illis; et vocavit nomen eorum Adam in die, quo creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis et genuit ad similitudinem et imaginem suam vocavitque nomen eius Seth » *(Gn* 5, 1-3). Hoc ipso in munere cum Deo cooperandi qui suam imaginem novae creaturae transmittit, coniugum splendet excellentia, propensorum « ad cooperandum cum amore Creatoris atque Salvatoris, qui per eos Suam familiam in dies dilatat et ditat ».[33] Hoc sub lumine Amphilochius episcopus extulit « honorabile connubium, quod donum omne terrenum superat », et existimatur « naturae conditor, pictor divinae imaginis ».[34]

Sic vir mulierque matrimonio iugati divinae operae adsociantur: per generationis actum Dei donum accipitur et nova vita in futurum tempus ingreditur.

At praeter peculiares parentum partes, *omnium est vitam suscipere ac tueri, quod praesertim vitam eam respicere debet quae in debilioribus versatur condicionibus.* Ipse Christus hoc nos admonet, postulans ut in fratribus quibuslibet vexatis aerumnis ametur et iuvetur: in esurientibus scilicet, sitientibus, hospitibus, nudis, aegrotis, vinculo detentis ... Quidquid factum est uni ex his, ipsi Christo factum est (cfr *Mt* 25, 31-46).

« Quia tu formasti renes meos » (Ps **139[138], 13):** *parvuli nondum nati dignitas*

44. Magno in discrimine versatur humana vita cum ingreditur in mundum cumque ex hoc saeculo excedit ut in aeternitatis portum transeat. Saepius offendimus in Sacris Litteris — praesertim quod attinet ad exsistentiam cui morbo vel senectute insidiatur — hortamenta ad curam adhibendam reverentiamque. Ubi non inducuntur hortamenta perspicua ad humanam vitam colendam inde a primo eius ortu, nominatim vitam nondum editam vitamque ad exitum suum properantem, liquido sane explicatur propterea quod ipsa occasione laedendi, aggre-

[33] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 50; cfr IOANNES PAULUS II, Adhort. Ap. post-synodalis *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 28: *AAS* 74 (1982), 114.

[34] *Orationes,* II, 1: *GGSG* 3, 39.

diendi prorsusve negandi vitam his sub condicionibus plane abhorret a religiosa culturalique populi Dei mente.

In Vetere Testamento sterilitas velut exitium quoddam reicitur, suboles vero numerosa iudicatur Dei beneficium: « Ecce hereditas Domini filii, merces fructus ventris » (*Ps* 127[126], 3; cfr *Ps* 128[127], 3-4). Momentum habet hac in opinione etiam conscientia cuius vi Israel se censet Foederis populum, ad se amplificandum vocatum secundum promissionem Abraham factam: « Suspice caelum et numera Stellas, si potes ... sic erit semen tuum » (*Gn* 15, 5). Et tamen stat certa fides vitam a parentibus traditam originem suam invenire in Deo, sicut sane tot bibliorum testantur loci reverentia quadam et pietate loquentes de conceptione, de vita in matris gremio sese informante, de ortu deque stricta necessitudine inter exsistentiae momentum initiale atque Dei Creatoris actionem.

« Priusquam te formarem in utero, novi te et, antequam exires de vulva, sanctificavi te » (*Ier* 1, 5): *cuiuslibet hominis exsistentia, inde a suis primordiis, est in mente Dei.* Iob, ex interiore recessu doloris sui, contuetur Dei operam in mira prorsus corporis sui compositione in gremio matris: illinc fiduciae causam depromit, dum certitudinem exprimit de quodam divino consilio circa vitam suam: « Manus tuae fecerunt me et plasmaverunt me totum in circuitu; et sic repente praecipitas me? Memento, quaeso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti ? Pelle et carnibus vestisti me; ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum » (10, 8-12). Admirationis venerationisque clara verba ob Dei operam in componenda vita in gremio materno resonant etiam in Psalmis.[35]

Quomodo cogitare possumus vel unum temporis momentum huius miri processus vitae oborientis subtrahi posse sollerti amantique Creatoris operi atque hominis arbitrio remitti? Hoc profecto cogitatione non percipit septem fratrum mater, quae suam in Deum profitetur fidem, principium atque arrabonem vitae inde a sua ipsius conceptione, eodemque tempore fundamentum spei novae vitae ultra mortem: « Nescio qualiter in ute-

Conferantur, exempli gratia, Psalmi 22[21], 10-11; 71[70], 6; 139[138], 13-14.

romeo apparuistis neque ego spiritum et vitam donavi vobis et singulorum vestrorum compagem non sum ego modulata; sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem quique omnium invenit originem et spiritum et vitam vobis iterum cum misericordia reddet, sicut nunc vosmetipsos despicitis propter leges eius » *(2 Mac* 7, 22-23).

45. Novi Testamenti revelatio confirmat *non dubitatavi agnitionem dignitatis vitae inde ab eius primordiis.* Fecunditatis laus atque vitae studiosa exspectatio resonant sane in verbis quibus Elisabeth laetatur ob suam praegnationem: Dignatus est enim Dominus « auferre opprobrium meum » *(Lc* 1, 25). At acriore ratione personae dignitas inde a conceptione praedicatur in occursu Virginis Mariae et Elisabethae atque duorum parvulorum ab illis gestatorum in gremio. Iidem sane ipsi pueri patefaciunt messianicae aetatis adventum: in eorum ipso congressu agere incipit redemptrix vis praesentiae Filii Dei inter homines. « Cito — scribit sanctus Ambrosius — adventus Mariae et praesentiae dominicae beneficia declarantur ... Vocem prior Elisabeth audivit, sed Ioannes prior gratiam sensit: illa naturae ordine audivit, iste exsultavit ratione mysterii; illa Mariae, iste Domini sensit adventum, femina mulieris, puer pueri; istae gratiam loquuntur, illi intus operantur pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exsultavit infans, repleta mater est (Spiritu Sancto). Non prius mater repleta quam filius, sed cum filius esset repletus Spiritu Sancto, replevit et matrem ».[36]

« Credidi, etiam cum locutus sum: "Ego humiliatus sum nimis" » (Ps 116[115], 10): *vita in senectute et in dolore*

46. Etiam quod attinet ad extrema vitae temporis momenta, praestolari non possumus a biblica revelatione manifestam designationem hodiernae quaestionis circa reverentiam erga aetate provectos et aegrotos vel apertam condemnationem conatuum ad violenter eorum anticipandam finem: in tali nimirum versa-

[36] *Expositio Evangelii secundum Lucam,* II, 22-23: *CCL* 14, 40-41.

mur culturali religiosaque condicione quae nihil afficitur eiusmodi sollicitationibus, et quae immo, quod attinet ad maiores natu agnoscit in eorum sapientia atque experientia, amplissimum cuiusque familiae et gentis divitiarum patrimonium, quod substitui non potest.

Senectus dignitate honestatur atque veneratione insignitur **(cfr *2 Mae* 6, 23). Vir iustus non postulat ut sibi senectus eiusque pondus praecidatur; immo vero sic precatur: « Tu es exspectatio mea, Domine; Domine, spes mea a iuventute mea ... Et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me, donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quae ventura est » *(Ps* 71 [70], 5.18). Temporis messianici mira species proponitur sicut illa in qua « non erit ibi amplius ... senex, qui non impleat dies suos » *(Is* 65, 20).**

At in senectute, quomodo suscipienda est inexorabilis vitae declinatio? ***Qui habitus coram morte? Novit credens fidelis vitam suam in manibus Dei esse:*** **Domine, « tu es qui detines sortem meam » *(Ps* 16[15], 5), atque ab Eo etiam monendi necessitatem accipit: « hoc iudicium a Domino omni carni, et quid resistis beneplacito Altissimi? » *(Eccli* 41, 5-6). Sicut vitae ita et mortis non est arbiter homo; in vita sua sicut et in morte sua debet ille semetipsum omnino concredere « arbitrio Altissimi », ipsius proposito amoris.**

Etiam morbo correptus homo invitatur ut eandem colat fidem in Domino suamque renovet praecipuam fiduciam in eo qui « sanat omnes infirmitates » (cfr *Ps* 103[102], 3). Ubi quilibet salutis conspectus coram homine obserari videtur — eo usque ut eum impellat ad clamandum: « Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui » *(Ps* 102[101], 12) —, tunc quoque pius homo inconcussa fide concitatur de vivificanti Dei potentia. Non in desperationem eum impellit morbus neque ad mortem appetendam, sed ad spe repletam precationem: « Credidi, etiam cum locutus sum: "Ego humiliatus sum nimis" » *(Ps* 116 [115], 10); «Domine, Deus meus, clamavi ad te et sanasti me. Domine, eduxisti ab inferno animam meam, vivificasti me, ut non descenderem in lacum » *(Ps* 30[29], 3-4).

47. Iesu opus multaeque ab Eo patratae sanationes declarant ***quantopere Deus consulere velit etiam vitae corporali hominis.***

« Medicus carnis atque spiritus », Iesus missus est a Patre qui nuntiaret laeta mansuetis, et mederetur contritis corde (cfr *Lc* 4, 18; *Is* 61, 1). Discipulos suos deinde inter homines dimittens, eis munus quoddam commendat, cuius vi aegrotorum sanatio coniungitur cum Evangelii nuntio: « Euntes autem praedicate dicentes: appropinquavit regnum caelorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eicite » *(Mt* 10, 7-8; cfr *Mc* 6, 13; 16, 18).

Haud dubie, *corporis vita sua in terrestri condicione non est bonum absolutum* credenti homini, cum is rogari possit ut eandem ad superius bonum assequendum deserat; sicut Iesus dicit, « qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me et evangelium, salvam eam faciet » *(Mc* 8, 35). Variae sunt hac in re Novi Testamenti testificationes. Iesus haud dubitat se ipsum devovere atque ultro animam suam offert Patri (cfr *Io* 10, 17) et amicis suis (cfr *Io* 10, 15). Etiam mors Ioannis Baptistae, Domini praecursoris, terrestrem exsistentiam bonum absolutum non esse confirmat: gravior profecto est fidelitas erga Domini verbum etsi affert id vitae discrimen (cfr *Mc* 6, 17-29). Stephanus quidem, dum temporali privatur vita quia resurrectionis Domini fidelis testis, Magistri sequitur vestigia atque remissionis verba pronuntiat coram lapidatoribus suis (cfr *Act* 7, 59-60), iter interminato martyrum agmini aperiens ab Ecclesia inde ab initio excultorum.

Nullus homo tamen suo arbitratu decernere potest utrum vivere malit an mori: huius enim electionis unus absolutus arbiter est Creator, Ille scilicet in quo « vivimus et movemur et sumus » *(Act* 17, 28).

« Omnes, qui tenent eam, ad vitam » (Bar 4, 1): *a Sinai Lege ad Spiritus donum*

48. Secum fert vita in se penitus inscriptam *veritatem quandam suam.* Homini Dei donum accipienti adlaborandum est *ut vitam in hac veritate servet,* utpote quae ad ipsam eius essentiam

[37] S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Ad Ephesios,* 7, 2; *Patres Apostolici,* ed. F.X. FUNK, II, 82.

pertineat. Cum se ipse ab ea separat, semet ipsum multat abiectione infelicitateque; quam ob rem aliorum exsistentiae fit ipse minatio, cum iam freni sint soluti observantiam vitae tutelamque quacumque sub condicione confirmantes.

Vitae veritas ex Dei mandato revelatur. Domini verba definite quidem significant quae ratio vitae sit sequenda ad ipsius observandam veritatem ac protegendam dignitatem. Non peculiare tantum mandatum illud « non occides » *(Ex* 20, 13; *Dt* 5, 17) vitae praesidium in tuto collocat: *integra Domini Lex* famulatur huic tutelae, quia ipsam aperit veritatem in qua vita plenam suam adipiscitur significationem.

Nihil ergo mirum, si Dei Foedus cum populo eius tam solide illigatur vitae aspectui etiam sub corporea ratione. In ipsa veluti *vitae via* monstratur *mandatum:* « Considera quod hodie proposui in conspectu tuo vitam et bonum, et e contrario mortem et malum. Si oboediens mandatis Domini Dei tui, quae ego praecipio tibi hodie, ut diligas Dominum Deum tuum et ambules in viis eius et custodias mandata illius et praecepta atque iudicia, vives; ac multiplicabit te benedicetque tibi in terra, ad quam ingredieris possidendam » *(Dt* 30, 15-16). Quaestio pertinet non ad terram Canaan tantum adque populi Israel salutem, sed etiam ad orbem terrarum aetatis nostrae futurique saeculi et ad totius generis humani conservationem. Etenim omnino fieri non potest ut authentica plenaque perstet vita dum ipsa a bono seiungi tur; bonum vero, ex parte sua, ex ipsa rei natura postulat Domini mandata, id est « legem vitae » *(Eccli,* 17, 9). Bonum agendum non superponitur vitae tamquam pondus ei iniunctum, quia ipsa vitae ratio est prorsus bonum, atque vita tantum per bonum impletum aedificatur.

Legis summa hominis vitam plane servat. Hoc sane illustrat difficultatem exsequendi mandatum « non occides » quotiescumque cetera « verba viva » *(Act* 7, 38) non implentur, quibus hoc mandatum coniungitur. Extra hunc conspectum mandatum fit simplex officium externum, cuius fines cito explorabuntur, tenuationes vel exceptiones quaerentur. Tantum iis qui sese aperiunt ad veritatis plenitudinem de Deo, de homine deque historia, effatum « non occides » resplendet tamquam bonum pro homine, cunctis eius modis rationibusque prae oculis habitis. Hoc sub prospectu percipere possumus perfectionem veritatis quae

continetur in sententia libri Deuteronomii, quae ab Iesu repetitur in responsione sub primae temptationis finem: « Non in solo pane vivat homo, sed in omni verbo, quod egreditur de ore Domini » (8, 3; cfr *M t* 4, 4).

Domini verbum auscultans secundum dignitatem iustitiamque vivit homo; Dei Legem colens vitae felicitatisque fructus ferre potest: « Omnes, qui tenent eam, ad vitam; qui autem relinquunt eam, monentur » *(Bar* 4, 1).

49. Israelitica historia patefacit quam sit *difficile servare fidelitatem erga legem vitae,* quam in hominum corde Deus inscripsit quamque Foederis populo tradidit in Sina. Ante inquisitionem descriptionum vitae alienarum proposito Dei, Prophetae nominatim conclamant firmiter Dominum unum esse verumque vitae fontem. Sic scribit Ieremias: « Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, ut foderent sibi cisternas, cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas » (2, 13). Prophetae de crimine arguunt quotquot vitam contemnunt atque personarum iura frangunt: « Contriverunt super pulverem terrae capita pauperum » *(Am* 2, 7); « Expleverunt locum istum sanguine innocentium » *(Ier* 19, 4). Ex iis Ezechiel propheta saepius ignominiae nota designavit urbem Ierusalem eamque appellavit « civitatem sanguinum » (22, 2; 24, 6.9), « civitatem effundentem sanguinem in medio sui » (22, 3).

Dum vero crimina in vitam delata incusant, Prophetae suscitare conantur in primis *novi principii exspectationem,* quae renovatum instituat cum Deo et fratribus vinculum, inéditas easdemque miras reserando facultates ad intellegendas atque exsequendas postulationes quae in *Evangelio vitae* continentur. Hoc fieri potest tantum per Dei donum, quod purificat et renovat: « Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum et spiritum novum ponam in medio vestri » *(Ez* 36, 25-26; cfr *Ier* 31, 31-34). Huius « cordis novi » virtute intellegere possumus et ad effectum deducere acriorem altioremque vitae significationem: eam scilicet esse *donum quod impletur in donatione.* Est mirus nuntius quem de vitae bono Servi Domini effigies nobis exhibet: « Si posuerit in pia-

culum animam suam, videbit semen longaevum ... Propter laborem animae eius videbit lucem » *(Is* 53, 10.11).

Ipsa in Iesu Nazareni actione impletur Lex atque per ipsius Spiritum donatur cor novum. Etenim Iesus non solvit Legem, sed eam implet (cfr *Mt* 5, 17): Lex et Prophetae constringuntur aureo praecepto reciprocae caritatis (cfr *Mt* 7, 12): in Eo Lex fit omnino « evangelium », bonus nuntius dominationis Dei in mundum, qui cunctam reducit creaturam ad origines ipsius adque primas exspectationes. *Nova* est *Lex,* « lex spiritus vitae in Christo Iesu » *(Rom* 8, 2), cuius primaria declaratio, ad Domini imitationem qui vitam dat pro amicis suis (cfr *Io* 15, 13), est *donum sui ipsius pro fratribus in caritate:* « Nos scimus quoniam transivimus de morte in vitam, quoniam diligimus fratres » *(1 Io* 3, 14). Est libertatis lex, laetitiae et beatitudinis.

« Videbunt in quem transfixerunt » (Io 19, 37): *super Crucis arborem Evangelium vitae perficitur*

50. Ad finem adducentes caput hoc, in quo Christianum circa vitam nuntium agitavimus, cum unoquoque sane vestrum morari volumus ut *contemplemur Quem transfixerunt* quique omnes ad se trahit (cfr *Io* 19, 37; 12, 32). Crucis « spectaculum » intuentes (cfr *Lc* 23, 48) detegere possumus hac in gloriosa arbore expletionem plenamque totius *Evangelii vitae* revelationem.

Primis feriae sextae in Parasceve horis postmeridianis, « tenebrae factae sunt in universa terra ... et obscuratus est sol, et velum templi scissum est medium » *(Lc* 23, 44.45). Cuiusdam magnae cosmicae perturbationis est signum, terribilis luctationis inter boni et mali vitae mortisque virtutes. Nos quoque versamur nunc in medio difficili luctamine inter « culturam mortis » ac « vitae culturam ». Eiusmodi caligine tamen Crucis splendor non supprimitur, immo clarius splendidiusque se ostentat veluti totius historiae et cuiusque humanae vitae centrum, sensum, finem.

Iesus cruci affigitur atque a terra exaltatur. Summae « impotentiae » suae tempus agit, et ipsius vita tradita prorsus videtur inimicorum suorum ludificationibus atque in manus interfectorum: ei illuditur, ipse deridetur, laeditur (cfr *Me* 15, 24-36). Attamen, haec omnia conspicatus « quia sic clamans exspirasset »,

ait Romanus centurio: « Vere homo hic Filius Dei erat » *(Mc* 15, 39). Declaratur sic extremae infirmitatis tempore Filii Dei proprietas: *ipsius gloria proditur in Cruce!*

Morte sua Iesus cuiuslibet alterius hominis illuminat vitae mortisque significationem. Antequam moriatur Iesus precatur Patrem, remissionem pro suis persecutoribus invocans (cfr *Lc* 23, 34), atque malefico, qui petit ut memoriam illius agat in regno suo, respondet: « Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso » *(Lc* 23, 43). Post eius mortem « monumenta aperta sunt et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt » *(Mt* 27, 52). Salus quam Iesus operatus est vitae et resurrectionis est donatio. In vita sua salutem largitus est Iesus etiam benefaciendo et sanando omnes (cfr *Act* 10, 38): miracula vero, sanationes ipsaeque a morte ad vitam revocationes alterius salutis erant signum, quae quidem e peccatorum remissione consistit, videlicet hominis liberatione ab infirmitate maxima, atque in eius promotione ad ipsam Dei vitam.

Renovatur in cruce ac plena sua decretoriaque impletur perfectione serpentis portentum a Moyse sublatae in deserto (cfr *Io* 3, 14-15; *Nm* 21, 8-9). Hodie etiam, intuens in Eum quem transfixerunt, quilibet homo, in cuius exsistentiam impendent minationes, in spem incidit certam inveniendi liberationem ac redemptionem.

51. Alius tamen quidam emergit definitus eventus, qui ob tutum Nostrum captat Nostramque ardentem excitat considerationem. « Cum ergo accepisset acetum, Iesus dixit: Consummatum est! Et inclinato capite tradidit spiritum » *(Io* 19, 30). Miles autem Romanus « lancea latus eius aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua » *(Io* 19, 34).

Iam omnia ad perfectam pervenerant impletionem. « Tradere spiritum » designat Iesu mortem similem cuiuslibet alterius hominis, simulque indicare videtur etiam « Spiritus donum », quo is nos a morte redimit nosque ad novam aperit vitam.

Ipsius Dei vitae particeps fit homo. Agitur de vita quae, per Ecclesiae sacramenta — quorum imagines sunt sanguis et aqua a Christi latere scaturientes — continenter Dei filiis tribuitur, qui hoc modo Novi Foederis populus constituuntur. *« Populus vitae » oritur atque effunditur a Cruce, quae est vitae fons.*

Crucis contemplatio ad primas sic nos adducit origines eorum quae evenerunt. Ingrediens in mundum dixit Iesus: « Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam » (cfr *Heb* 10, 9), Patri in omnibus factus est oboediens, atque « cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos » *(Io* 13, 1), pro illis totum se ipsum tradens.

Qui « non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » *(Mc* 10, 45), amoris fastigium in Cruce adsequitur. « Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam quis ponat pro amicis suis » *(Io* 15, 13). Mortuus est pro nobis, cum adhuc peccatores essemus (cfr *Rom* 5, 8).

Hac ratione renuntiat ille *vitam suum consequi centrum, suam significationem suamque plenitudinem in sui ipsius donatione.*

Iam vero meditatio fit laus et gratiarum actio, et eodem tempore nos concitat ut Iesum imitemur eiusque sequamur vestigia (cfr *1 Pe* 2, 21).

Etiam nos invitamur ad vitam pro fratribus tradendam, complentes hoc modo in veritatis plenitudine nostrae exsistentiae sensum atque sortem.

Hoc facere possumus quia Tu, Domine, exemplum dedisti nobis pariterque nobis largitus es Spiritus tui robur. Hoc facere poterimus si cotidie, Tecum et sicut Tu, oboediemus Patri eiusque implebimus voluntatem.

Nobis ideo concede ut corde docili et magno animo audiamus omne verbum quod ex ore Dei procedit: hoc modo didicerimus non solum « non occidere » vitam hominis, sed eam insuper colere, amare, provehere.

CAPUT III

NON HOMICIDIUM FACIES

DEI LEX SACRA

« Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata » (Mt 19, 17): *Evangelium et mandatum*

52. « Et ecce unus accedens ait illi: "Magister, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam?" » *(Mt* 19, 16). Cui respondit Iesus: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata » *(Mt* 19, 17). De vita loquitur Magister aeterna, sive de ipsius vitae Dei communicatione. Quam quidem ad vitam acceditur Domini custodiendis praeceptis, inter quae et illud est: « Non homicidium facies ». Hoc primum Decalogi praeceptum adulescenti illi commemoravit Iesus, percontanti scilicet quae sibi necesse esset implere mandata: « Iesus autem dixit: "Non homicidium facies; non adulterabis, non facies furtum..." » *(Mt* 19, 18).

Numquam ab eius amore seiungitur mandatum Dei:* ad hominis incrementum gaudiumque semper est donum. Efficit tale munus partem pernecessariam ac rationem indissolubilem Evangelii, immo vero sese id exhibet veluti « eu-angelion » seu bonam laetamque nuntiationem. Magnum pariter Dei est donum *Evangelium vitae* simulque obligans hominem officium. Admirationem in persona libera gignit et poscit ut auscultetur, adservetur atque acri officiorum cuiusque conscientia aestimetur: vitam ipsi tribuens, *postulat* Deus ab homine ut illam diligat vereatur provehat. Hac via *transit donum in mandatum mandatumque ipsum est donum.

Viventis Dei imago destinatur homo a suo Conditore velut rex et dominus. Scribit sanctus Gregorius Nyssenus: « Praestantissimus ille rerum artifex naturam nostram condidit velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum ... Praeterea hominem naturae divinae, cuius omnia parent imperio, imaginem esse, nihil esse putandum est aliud, quam regium ei decus in ipsa creatione tributum esse ... Rex appellatur; ita et hominis natura sic condita ut reliquorum creatorum domina esset propter eam, qua regem universitatis huius refert, similitudi-

nem, imago quasi viva erecta est, cum qua et dignitas et nomen archetypi communicaretur ».[38] Vocatus olim ut ferax esset ac multiplicaretur, ut terram subiceret rebusque infra hominem dominaretur (cfr *Gn* 1, 28), homo rex quidem exstat et non tantum orbis dominus, verum in primisque sui ipsius,[39] ac quodam modo vitae illius quae ei est donata quamque traducere potest genitali actu ex amore divini que consilii observatione impleto. Eius tamen haud est *dominatio* absoluta sed *ministerialis,* utpote quae unicum vere referat et infinitum Dei dominatum. Quocirca exsequatur eam oportet homo *sapienter et amanter,* dum sapientiam communicat amoremque Dei immensum. Id quod denique fit secundum oboeditionem sacrae ipsius Legi: quae libera quidem oboedientia est ac laeta (cfr *Ps* 119[118]), nata et nutrita ex conscientia qua intellegitur Domini mandata donum esse gratiae homini semper et in eius dumtaxat commoditatem concredita, in dignitatis cuiusque tutelam necnon felicitatis prosecutionem.

Quem ad modum ceteris coram rebus, multo etiam magis homo coram vita ipsa non interminatus est dominus nec arbiter indisputabilis; at praebet sese « ministrum consilii a Creatore initi »,[40] unde incomparabilis eius exsistit praestantia.

Perinde ac thesaurus homini commendatur vita non amittendus, velut talentum argenti fructuose collocandum. De ea namque Domino ratio est homini reddenda (cfr *Mt* 25, 14-30; *Lc* 19, 12-27).

« De manu viri fratris eius requiram animam hominis » (Gn 9, 5): *sacra est hominis vita atque inviolabilis*

53. « Humana vita pro re sacra habenda est quippe quae inde a suo exordio Creatoris Dei actionem postulet ac semper peculiari necessitudine cum Creatore, unico fine suo, perstet conexa. Solus Deus vitae Dominus est ab exordio usque ad exitum: nemo, in nullis rerum adiunctis, sibi vindicare potest ius mortem

[38] *De hominis opificio,* 4: *PG* 44, 136.

[39] Cfr S. IOANNES DAMASCENUS, *De fide orthodoxa,* 2, 12: *PG* 94, 920; locus laudatur in S. THOMAE AQUINATIS *Summa Theologiae,* I-II, Prol.

[40] PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Humanae vitae* (25 Iulii 1968), 13: *AAS* 60 (1968), 489.

humanae creaturae innocenti directe afferendi ». Praecipuam iis vocibus doctrinam revelationis divinae proponit Instructio *Donum vitae* de sacra vitae humanae inviolabilique indole.

Praeceptum enim homini « non occides » tradunt *Litterae Sacrae* veluti mandatum divinum *(Ex* 20, 13; *Dt* 5, 17). Illud profecto — haud secus ac superius iam inculcavimus — inest in Decalogo ipso, in intima nempe Foederis parte quod cum electo suo populo pepigit Dominus; verum iam ante in pristino reperiebatur Dei Foedere cum hominibus inito post purificatoriam diluvii castigationem, quam latius diffusa scelera ac violentiae evocaverant (cfr *Gn* 9, 5-6).

Vitae hominis Dominus sese principem esse Deus adseverat, quem suam ad imaginem similitudinemque finxit (cfr *Gn* 1, 26-28). Sacram ideo atque inviolabilem indolem prae se vita fert humana, in qua tamquam vocis imago repetitur ipsa Conditoris inviolabilitas. Hanc ipsam ob causam severam se Deus iudicem praestabit omnis violationis mandati: « non occides », quod in tota subest sociali hominum consortione. Is namque « goel » exsistit, id est innocentis defensor (cfr *Gn* 4, 9-15; *Is* 41, 14; *Ier* 50, 34; *Ps* 19[18], 15). Hoc igitur etiam modo non gaudere se testatur Deus de perditione vivorum (cfr *Sap* 1, 13). Solus inde laetari potest Satanás: ipsius namque ex invidia orbem est mors ingressa (cfr *Sap* 2, 24); qui « homicida fuit ab initio », aequabiliter « mendax est et pater eius » *(Io* 8, 44): deceptum semel hominem ad peccatum deinceps perducit mortemque, quae ei quaedam metae ostentantur vitaeque fructus.

54. Prae se fert explicite vim valde negantem mandatum « non homicidium facies »; limitem enim indicat extremum quem nefas transgredí est. Implicite tamen ad mentem omnino affirmantem perducit, quod spectat ad plenam vitae observationem, dum suadet ut eam quis promoveat et in via procedat amoris qui se donat, qui alios accipit iisque servit. Populus quoque Foederis, quamvis tarditate quadam et inconstantia, progredientem maturitatem expertus est hanc ad sententiam, cum ad magnam

[41] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de observantia erga vitam humanam nascentem deque procreationis dignitate tuenda *Donum vitae* (22 Februarii 1987), Introductio, 5: *AAS* 80 (1988), 76-77; cfr *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* n. 2258.

sese compararet Iesu Christi nuntiationem: proximi scilicet amorem mandatum simile esse amoris Dei: « In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetae » (cfr *Mt* 22, 36-40). « Non occides ... et si quod est aliud mandatum — ait sanctus Paulus — in hoc verbo recapitulatur: "Diliges proximum tuum tamquam teipsum" » *(Rom* 13, 9; cfr *Gal* 5, 14). Suscepta autem plenumque ad effectum deducta in Foedere Novo norma: « non occides » uti pernecessaria condicio remanet ut quis « ad vitam ingrediatur» (cfr *Mt* 19, 16-19). Secundum eandem hanc mentem, imperiosum quiddam sonat apostoli Ioannis vox: « Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est, et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam aeternam in semetipso manentem » *(1 Io* 3, 15).

Suis primis ab exordiis *viva Ecclesiae Traditio* — perinde ac *Didachè,* vetustissimum christianum extra Biblia scriptum, testificatur — iterat graviter mandatum « non occides »: «Duae viae sunt, altera vitae et altera mortis, sed multum interest inter duas vias ... Secundum autem mandatum doctrinae: Non occides ... non interficies fetum in abortione neque interimes infantem natum ... Mortis vero via haec est: ... non miserentur inopis, non laborant de afflicto, non cognoscentes Creatorem suum, liberorum interemptores, in abortione corrumpentes creaturam Dei, aversantes egenum, opprimentes afflictum, divitum advocati, pauperum iniqui iudices, omnibus peccatis inquinati: liberemini, filii, ab his omnibus ».[42]

Ecclesiae Traditio dein progrediens per aetates unanimi consensu absolutam vim perpetuamque docuit illius praecepti: « Non homicidium facies ». Constat porro primis saeculis gravissima inter flagitia esse recensitum homicidium una cum apostasia et adulterio, publicamque paenitentiam postulatam esse valde onerosam ac longam prius quam paenitenti homicidae venia concederentur et accessio denuo in ecclesialem communionem.

55. Gignere stuporem non debet haec res: occidere enim hominem, in quo nempe Dei adsit imago, insignis gravitatis est fa-

[42] *Didachè,* I, 1; II, 1-2; V, 1.3: *Patres Apostolici,* ed. F.X. FUNK, I, 2-3, 6-9, 14-17; cfr *Epistula Pseudo-Barnabae,* XIX, 5: *l.m.,* 90-93.

cinus. *Vitae solus Deus est dominus/* Semper nihilo minus, datis multiplicibus crebroque acerbis casibus quos singulorum hominum ipsiusque societatis vita adfert, christifideles rem ponderantes adsequi studuerunt pleniorem et altiorem intellectum eorum quae Dei mandatum prohibet praescribit que.[43] Adiuncta enim sunt, in quibus bona per Dei Legem exposita inter se contendere videantur, vel etiam palam pugnare. Exsistit, verbi causa, *defensio legitima,* ubi propriae vitae tutandae ius officiumque non laedendae alterius difficulter revera simul componi posse videntur. Certissime intrinsecum vitae bonum atque officium erga se sicut et in alios gerendi amoris, verum ius sui ipsius defendendi constituunt. Idem dein imperiosum amoris mandatum erga alios, in Vetere Testamento pronuntiatum et a Iesu Christo corroboratimi, pro concesso sumit quandam adversus se ipsum caritatem veluti comparationis terminum: « Diliges proximum tuum *tamquam teipsum » (Me* 12, 31). Ius ideo sui tutandi repudiare nemo potest ex exiguo vitae suive ipsius amore, verum ob heroicum dumtaxat amorem, qui eundem sui amorem ampliat ac transformat secundum evangelicarum beatitudinum adiectionem (cfr *Mt* 5, 38-48) in extremo sese offerendi proposito cuius summum est ipse Dominus Iesus exemplar.

Aliunde vero « legitima defensio potest esse non solum ius, sed grave officium ei, qui vitam aliorum, familiae et communitatis civilis bonum commune praestare debet ».[44] Infeliciter autem evenit ut cum prohiberi necesse est adgredientem ne noceat nonnumquam sit ei inferenda mors. Eo in casu mortis exitus adsignandus est eidem ipsi reo, qui sua vi se obiecerit morti, etiamsi non sit moraliter culpabilis ob impeditum rationis usum.[45]

56. Hoc in rerum prospectu de *poena capitali* oritur quaestio, super qua simul in Ecclesia simul in civili societate invalescit eorum opinatio qui circumscribi valde eius usum velint quin etiam funditus tolli. Ponderanda quaestio est ad talis iustitiae poenalis regulam, quae dignitati hominis magis usque respondeat ideo-

[43] Cfr *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* nn. 2263-2269; cfr etiam *Catechismus Concilii Tridentini* III, 327-332

[44] *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* n. 2265.

[45] Cfr S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* II-II, q. 64, a. 7; S. ALPHONSUS MARIA DE' LIGUORI, *Theologia Moralis,* 1. III, tr. 4, c. 1, dub. 3.

que, tandem, Dei consilio de homine ac societate. Re quidem vera, quam societas infligit « poena eo imprimis spectat, ut inordinato culpa illato occurratur ».[46] Ultricem publica auctoritas se gerere debet violatorum tum in singulis tum in societate iurium per iniunctam reo congruam culpae expiationem, ut repetere ei liceat suae libertatis usum. Id ita consequitur quoque auctoritas ut publicus ordo singulorumque muniatur tutela, dum incitamentum reis subditur adiumentumque ut corrigant sese ac redimant.[47]

Patet tamen omnia ut haec impetrentur proposita, *modum et genus poenae* diligenter omnino aestimanda esse decernendaque neque ad exstinguendum extremo consilio reum descendere licere nisi absoluta instante necessitate, cum videlicet aliter prorsus non potest defendi societas. Atqui hodie, propter convenientiorem institutionis poenalis temperationem, admodum raro huius modi intercidunt casus, si qui omnino iam reapse accidunt.

Quidquid id est, valet etiamnum in novo *Catholicae Ecclesiae Catechismo* significatum principium, ex quo: « Si instrumenta incruenta sufficiunt ad vitas humanas defendendas ab aggressore et ad ordinem publicum tuendum simulque personarum securitatem, auctoritas his utatur instrumentis, utpote quae melius respondeant concretis boni communis condicionibus et sint dignitati personae humanae magis consentanea ».[48]

57. Si vero tanta danda est opera vitae omni reverendae, etiam cuiusque sontis et iniuste adgredientis, virtutem prae se fert absolutam mandatum: « non occides », quotiens ad *innocentem hominem* refertur. Quod magis etiam valet, si de imbecillo et indefenso homine est sermo, cui postrema reponitur defensio contra alienum arbitratum ac dominatum in sola vi infinita praecepti Dei.

Etenim humanae innocentis vitae plena inviolabilitas moralem continet veritatem luculenter in sacris Litteris traditam, repetitam constanter in Ecclesiae Traditione atque eius Magisterio unanimiter propositam. Quae nempe consensio manifestus est

[46] *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* n. 2266.
[47] Cfr *ibid.*
[48] N. 2267.

fructus illius « supernaturalis sensus fidei » qui, a Spiritu Sancto excitatus ac sustentatus, Dei Populum ab errore arcet, cum « universalem suum consensum de rebus fidei et morum exhibet ».[49]

Coram igitur conspectu progredientis imminutionis intra conscientias hominum et societatem sensuum absolutae et gravis inhonestatis moralis, quam secum directa omnis innocentis humanae vitae exstinctio importat, praesertim sub eiusdem principium ac finem, *Ecclesiae Magisterium* suas gemina vit pro sacra inviolabilique humanae vitae natura tuenda intercessiones. Cui pontificum Romanorum Magisterio, valde quidem instanti, semper adiunctum est etiam episcoporum magisterium per complura et copiosa documenta doctrinalia ac pastoralia quae tum Episcopales Conferentiae ediderant tum singuli Episcopi. Neque vehemens defuit suaque brevitate efficax Concilii Vaticani II edictum.[50]

Quapropter Nos auctoritate usi Petro eiusque Successoribus a Christo collata, coniuncti cum Ecclesiae catholicae Episcopis, *confirmamus directam voluntariamque hominis innocentis interfectionem graviter inhonestam esse semper.* Doctrina haec, cuius innituntur radices illa in non scripta lege quam, praeeunte rationis lumine, quivis homo suo reperit in animo (cfr *Rom* 2, 14-15), inculcatur denuo Sacris in Litteris, Ecclesiae Traditione commendatur atque ordinario et universali Magisterio explanatur.[51] Deliberatum consilium spoliandi innocuum hominem sua vita semper morali iudicio malum est, nec potest licitum haberi umquam nec uti finis neque ut via ad bonum propositum. Gravis namque inoboedientia est morali legi, immo ipsi Deo eius auctori ac vindici; primariae praeterea virtuti iustitiae contradicit et caritatis. « Declarandum est neminem nihilque ullo modo sincere posse ut vivens humanum innocens occidatur, sive sit fetus vel embryon, sive infans vel adultus, sive senex, sive morbo insanabili affectus, sive in mortis agone constitutus. Praeterea nemini licet mortiferam hanc actionem petere sibi aut alii, qui sit ipsius responsalitati commissus, immo in eadem ne consentire quidem

[49] CONC. OECUM. VAT. II, Const„ dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 12.
[50] Cfr Const, dogm. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 27.
[51] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const.. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 25.

potest explicite vel implicite. Nec auctoritas ulla potest eam legitime iniungere vel permittere ».[52]

Hoc in vitae iure omnis innocens homo ceteris cunctis est omnino par. Illa aequalitas fundamentum est cuiuslibet verae necessitudinis socialis, quae, ut talis reapse sit, haud potest quin veritati ipsi innitatur aequitatique, dum agnoscit unumquemque virum et feminam unamquamque tamquam personam non ut rem de qua quidlibet decerni liceat. Moralem sic ante regulam quae directam vetat hominis innocentis occisionem, « *non dantur privilegia neque exceptiones:* mundi esse dominum vel miserrimum omnium in terra nihil refert: prae moralibus postulatis omnes sumus omnino aequales ».[53]

«Imperfectum adhuc me viderunt oculi tui» (Ps 139[138], 16)*: abominandum flagitium abortus*

58. Omnia inter ea scelera quae patrare homo contra vitam potest, notas quasdam prae se fert procuratus abortus quibus improbus insignite ac detestabilis evadit. Illum describit Concilium Vaticanum II, perinde atque infanticidium, « crimen nefandum ».[54]

Hodie tamen multorum hominum in conscientia ipsa eius gravitatis perceptio paulatim est ob tecta. Quod in animis, in moribus, in legibus ipsis accipitur abortus, luculentum est documentum periculosissimi cuiusdam discriminis moralium sensuum, unde difficilius usque fit inter bonum discernere ac malum, etiam cum fundamentale agitur ad vitam ius. Hoc dato adeo gravi rerum statu, opus est nunc magis quam alias umquam animosa voluntate spectandi ipsam veritatem atque *res proprio nomine vocitandi,* ut compromissis alicuius commoditatis non cedatur neque invitamento ad sese decipiendum. De eadem re imperiosum etiamnum resonat Prophetae probrum: « Vae, qui dicunt malum bonum et bonum malum, ponentes tenebras in lucem et

[52] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. de euthanasia *Iura et bona* (5 Maii 1980), II: *AAS* 72 (1980), 546.

[53] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 96: *AAS* 85 (1993), 1209.

[54] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 51 : « Abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina ».

lucem in tenebras » *(Is* 5, 20). Omnino in abortu ambiguae voces late iam disséminâtae percipiuntur, sicut est illa « graviditatis interruptae », cuius abscondere est veram illius naturam atque apud vulgus imminuere pondus. Hic fortasse linguae usus idem simul signum est conscientiarum perturbatarum. Attamen rerum veritatem nullum evertere valet vocabulum: abortus procuratus *quacumque peragitur via, deliberata est ac directa hominis occisio primordiali eius vitae tempore quod inter conceptionem decurrit et parturitionem.*

Procurati ideo abortus gravitas moralis tunc quidem omni sua elucet in veritate, cum intellegitur hic agi de homicidio ac nominatim cum propria perspiciuntur adiuncta quibus illud circumdatur. Destruitur enim homo vitam modo ingrediens, quo videlicet haud potest quidquam prorsus concipi magis *innocens:* numquam iudicari potest adgressor tantoque minus adgressor iniustus! *Imbecillis* est atque inermis, adeo quidem ut minima etiam illa privetur sese defendendi ratione, quam habet implorans gemitus ac fletus nati modo infantis. *Committitur usque quaque* tutelae curaeque ipsius a qua in utero gestatur. At interdum nihilominus ea ipsa, mater nempe, statuit et petit eius exstinctionem, immo exsequitur eam quoque.

Constat nonnumquam consilium agendi abortus adferre matri ipsi dolorem acerrimum animique tumultum, quandoquidem voluntas abigendi conceptionis fructum non ex causis oritur solum egoismi cuiusdam aut commodi, sed inde potius quod alia magni momenti bona servare cupit, qualia sunt ipsa eius valetudo vel digna vitae condicio reliquis familiae sodalibus. Metuuntur subinde in nascituro aliquae adfectiones vitae, quae idcirco suadeant praestare eum omnino non nasci. Verumtamen *non possunt* hae similesque rationes, quantumvis ponderosae sint et acerbae, voluntariam hominis insontis necationem *umquam purgare.*

59. Praeter matrem alii item crebrius de morte infantis nondum enati decernunt. Culpari in primis potest pater infantis, non tum solum cum ad abortum aperte mulierem compellit, verum cum oblique etiam tali favet eius consilio, deserendo illam ante graviditatis difficultates: [55] sic mortali vulnere percutitur fa-

[55] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 14: *AAS* 80 (1988), 1686.

milia suaque in natura uti communitatis ex amore violatur atque sua in vocatione ut « vitae sacrarium » sit. Nec impulsiones eas taceri decet quae ampliore e familiari cognatione importentur necnon ab amicis. Subicitur haud raro femina adeo vehementibus sollicitationibus ut animo sese cogi iam sentiat ad abortum accipiendum: talibus quidem in casibus nihil dubitatur quin illos praesertim premat morale officium a quibus recta obliquave via in abortum est propulsa. Responsales etiam medici ipsi esse possunt atque valetudinis curatores, cum in mortis ministerium suam peritiam destinant idcirco comparatam ut vitam provehat.

Officio quodam similiter legum latores implicantur a quibus rogatae lataeque sunt leges pro abortu, tum, quatenus res ab iis pendet, administratores institutionum sanitatis adhibitarum ad exsequendos abortus. Non minor universim obligatio simul eos tangit qui adiuvant ut mentis habitus pro licentia sexuali ac maternitatis contemptus dispergantur, atque simul qui praestare debuerunt — et id facere omiserunt — rationes validas familiares socialesque ad familias sustentandas, potissimum frequentiores aut peculiaribus adflictas nummorum educationisque difficultatibus. Neque conivendum est illa in conspirationis iunctura eo usque pertingente ut instituta complectatur internationalia et opera fundata et sodalicia, quae certa via et ratione nituntur ut per orbem abortus sanciatur ac differatur. Hoc porro pacto excedit fines officii hominum singulorum abortus et detrimenta singulis illata, induitque sibi speciem insigniter socialem: gravissimum enim *vulnus* est societati ipsi inilictum eiusque humano cultui ab iis nempe qui illius esse potius debent aedificatores ac protectores. Perinde ac scripsimus in *Litteris familiis datis,* « occurrimus hic ingenti minationi adversus vitam: non a singulis modo hominibus verum universa a civilitate ».[56] Obversatur ante oculos nempe quam definire licet « *peccati structuram »* *contra nondum enatam hominis vitam.*

60. Abortum tamen sunt qui defendant fructum adfirmantes conceptionis, saltem ad certum usque quendam dierum numerum, nondum iudicari posse personalem vitam humanam. At re-

[56] N. 21: *AAS* 86 (1994), 920.

vera « simul atque ovum fecundatum est, iam inchoata est vita, quae neque patris neque matris est, verum novi viventis humani, qui propter se ipsum crescit. Is numquam humanus fiet, nisi iam tunc talis fuit. Scientia genetica recentioris temporis praeclare confirmat has res, quae manifesto semper patuerunt ... Ipsa videlicet demonstravit iam a primo momento adesse fixam structuram seu programma geneticum huius viventis: hominem nempe, et quidem hunc hominem individuum, omnibus suis motis propriis praefinitisque iam ornatum. Ab ipsa fecundatione iniit mirificus cursus cuiusdam vitae humanae, cuius singulae potentes facultates tempus poscunt, ut recte ordinentur atque ad agendum praeparentur ».[57] Quamquam spiritalis anima praesens comprobari nullius potest experimenti indicio, eadem tamen scientiarum consectaria de humano embryone « pretiosa suppeditant elementa, ex quibus rationis ope dignosci potest personam iam adesse praesentem inde ab hac prima vitae humanae significatione: cur igitur vivens creatura humana non esset etiam persona humana? ».[58]

Tantum est praeterea rei momentum ut, habita officiorum moralium ratione, sola probabilitas ipsa de praesentia alicuius personae prohibeat pianissime quoslibet actus ad germen humanum exstinguendum intentos. Quam omnino ob rem, ultra doctorum disceptationes ipsasque philosophorum adfirmationes quarum numquam explicate se particeps praebuit Magisterium, docuit semper Ecclesia etiamque nunc docet fructui humanae generationis, iam inde a primo illius exsistentiae momento, omnem sine ulla condicione reverentiam esse tribuendam quae moraliter enti humano debeatur tota in eius summa unitateque corporali ac spiritali: « *Creatura humana ut persona observanda atque tractanda est inde ab eius conceptione,* ac propterea inde ab illo temporis momento ipsius agnoscenda sunt iura personae, quorum primum recensetur ius inviolabile ad vitam, quo unaquaeque creatura humana innocens gaudet ».[59]

[57] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, *Declaratio de abortu procurato* (18 Novembris 1974), 12-13: *AAS* 66 (1974), 738.

[58] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instr, de observantia erga vitam humanam nascentem deque procreationis dignitate tuenda *Donum vitae* (22 Februarii 1987), I, 1: *AAS* 80 (1988), 78-79.

[59] *Ibidem, l.m.,* 79.

61. *Litterarum Sacrarum* **loci, ubi de voluntario abortu numquam est sermo et propterea directis propriisque vocabulis abortus haud reicitur, talem tamen tantamque hominis ipsius exprimunt materno in sinu venerationem, ut tamquam necessariam conclusionem postulent ut erga illum etiam prorogetur Dei mandatum: « Non homicidium facies ».**

Quovis enim suae exsistentiae tempore sacra est hominis vita atque inviolabilis, iis quoque in primordiis quae ortum ipsius antecedunt. Pertinet iam matris e visceribus homo ad Deum, qui introspicit eum et cognoscit, qui illum conformat suisque plasmat manibus, qui intuetur eum dum exile adhuc germen et informe est, quique in ipso posteri temporis adultum dispicit, cuius numerati iam sunt dies et cuius est iam studium inscriptum in «libro vitae» (cfr ***Ps*** **139[138], 1.13-16). Ibidem quoque, cum materno versatur in gremio, est homo obiectum maxime quidem personale amantissimae ac paternae Dei providentiae, haud secus ac complures Bibliorum testificantur loci.**[60]

Prout effert probe ***Declaratio*** **de hoc argumento a Congregatione pro Doctrina Fidei edita,**[61] **consona est atque illustris a principio ad nostros usque dies** ***christiana Traditio,*** **quae tenet ipsum abortum veluti morale quiddam unice inordinatum. Ex quo enim intra Graecum Romanumque orbem coeperat christiana communitas versari, ubi abortus infanticidiique iam late invaluerat consuetudo, radicitus tum suis doctrinis tum moribus adversabatur istius societatis institutis, uti superius iam eluxit in commemorata** ***Doctrina Duodecim Apostolorum.***[62] **Graecos autem inter ecclesiasticos scriptores Athenagoras admonet christianos aestimare homicidas feminas quae medicamentis ad abortum utantur, quoniam « fetum etiam in utero animal esse ac ideo Deo curae esse ».**[63] **Apud Latinos affirmat Tertullianus: « Homicidii fe-**

[60] Sic Ieremias propheta: « Et factum est verbum Domini ad me dicens: "Priusquam te formarem in utero, novi te et, antequam exires de vulva, sanctificavi te et prophetam gentibus dedi te" » (1, 4-5). Psalmista, ex parte sua sic ad Dominum se vertit: « Super te innixus sum ex utero, de ventre matris meae tu es susceptor meus » *(Ps* 71[70], 6; cfr *Is* 46, 3; *Iob* 10, 8-12; *Ps* 22[21], 10-11). Etiam evangelista Lucas - in mira illa narratione occursationis duarum matrum, Elizabeth et Mariae, duorumque filiorum, Ioannis Baptistae atque Iesu, adhuc in materno gremio abditorum (cfr 1, 39-45) - in luce ponit Pueri adventum animadvertere puerum atque laetari.

[61] Cfr *Declaratio de abortu procurato* (18 Novembris 1974): *AAS* 66 (1974), 740-747.

[62] « Non interficies foetum in abortione neque interimes infantem natum »: V, 2, *Patres Apostolici,* ed. F.X. FUNK, I, 17.

[63] *Libellus pro christianis,* 35: *PG* 6, 969.

stinatio est prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam an nascentem disturbet. Homo est et qui est futurus ».[64]

Per suum duorum annorum milium spatium eadem haec inculcata est doctrina assidue ab Ecclesiae Patribus eiusque Pastoribus et Doctoribus. Neque philosophorum doctorumque hominum disputationes de ipso animae spiritalis infusae momento vel minimam attulerunt umquam dubitationem de morali abortus repudiamone.

62. Permagna vi recentius *Pontificum Magisterium* communem hanc iteravit doctrinam. Litteris nominatim in encyclicis, quibus titulus *Casti connubii,* reiecit Pius XI speciosas abortus defensiones;[65] exclusit dein Pius XII omnem abortum directum, actum videlicet quemlibet recta tendentem ad nondum editam humanam vitam delendam, « sive accipitur ea destructio tamquam finis sive modo instrumentum ad finem »;[66] Ioannes XXIII denuo adseverat esse humanam vitam sacram « quippe quae inde a suo exordio, Creatoris actionem Dei postulet ».[67] Vehementissime, sicut iam est dictum, damnavit Concilium Vaticanum II abortum: « Vita igitur inde a conceptione maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina ».

Inde a primis iam saeculis *canonica Ecclesiae disciplina* plectit poenis illos qui sese abortus culpa polluerunt eaque ratio agendi plus minus gravibus poenis per historiae aetates est confirmata. *Codex Iuris Canonici* anno MCMXVII promulgatus excommunicationis poenam in abortum sanciebat.[69] Similiter normam persequitur eandem renovatus Iuris Canonici Codex cum statuit: « Qui abortum procurat, effectu secuto, in excommunicationem *latae sententiae* incurrit »,[70] ultro videlicet continuoque. Ferit excommunicatio eos omnes qui cognita poena scelus hoc

[64] *Apologeticum,* IX, 8: *CSEL* 69, 24.

[65] Cfr Litt. Encycl. *Casti connubii* (31 Decembris 1930), II: *AAS* 22 (1930), 562-592.

[66] Allocutio ad Coetum medico-biologicum « S. Lucas » (12 Novembris 1944): *Discorsi e radiomessaggi,* VI (1944-1945), 191; cfr Allocutio ad Coetum Catholicum Italicum Obstetricum (29 Octobris 1951), 2: *AAS* 43 (1951), 838.

[67] Litt. Encycl. *Mater et Magistra* (15 Maii 1961), 3: *AAS* 53 (1961), 447.

[68] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 51.

[69] Cfr can. 2350, 1.

[70] *Codex Iuris Canonici,* can. 1398; cfr etiam *Codex Canonum Ecclesiarum orientalium,* can. 1450, 2.

admittunt, illos simul inclusos participes sine quorum opera patrari non potuit crimen:[71] tali iterata poena notat Ecclesia ut gravissimum et periculosissimum crimen hoc, itaque eius auctorem impellit ut conversionis iter cito reperiat. Etenim illuc in Ecclesia excommunicationis spectat poena, ut gravitatis quorundam peccatorum conscii maxime reddantur homines ideoque congrua adiuvetur paenitentia et conversio.

Coram simili consensione in tralaticia doctrina disciplinaque Ecclesiae, valuit pontifex Paulus VI adseverare idem magisterium nec esse mutatum nec posse mutari.[72] Auctoritate proinde utentes Nos a Christo Beato Petro eiusque Successoribus collata, consentientes cum Episcopis qui abortum crebrius respuerunt quique in superius memorata interrogatione licet per orbem disseminati una mente tamen de hac ipsa concinuerunt doctrina — *declaramus abortum recta via procuratum, sive uti finem intentum seu ut instrumentum, semper gravem prae se ferre ordinis moralis turbationem,* quippe qui deliberata exsistat innocentis hominis occisio. Haec doctrina naturali innititur lege Deique scripto Verbo, transmittitur Ecclesiae Traditione atque ab ordinario et universali Magisterio exponitur.[73]

Nequit exinde ulla condicio, ulla finis, ulla lex in terris umquam licitum reddere actum suapte natura illicitum, cum Dei Legi adversetur in cuiusque hominis insculptae animo, ab Ecclesia praedicatae, quae potest etiam ratione agnosci.

63. Adhibeatur oportet moralis haec abortus aestimatio aequabiliter ad recentes formas *incursionum in embryones humanos* quae, quantumvis proposita in se honesta persequantur, necessario tamen eorum secum important necem. De *experimentis* agitur *super embryones* peractis, quae latius usque in biomedicae inquisitionis provincia percrebrescunt et quae aliquibus in Civitatibus lege permittuntur. Si vero « interventus in humano embryone liciti habendi sunt hac condicione, ut embryones vitam integritatemque observent, ne secumferant pericula haud proportionata sed spectent ad morbi curationem, ad salutis statum

[71] Cfr *ibidem,* can. 1329; etiam *Codex Canonum Ecclesiarum orientalium,* can. 1417.

[72] Cfr Allocutio ad Itálicos Iuris peritos Catholicos (9 Decembris 1972): *AAS* 64 (1972), 777; Litt. Encycl. *Humanae vitae* (25 Iulii 1968), 14: *AAS* 60 (1968), 490.

[73] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium, 25.*

in melius mutandum et ad ipsius singularis fetus superstitem vitam in tuto ponendam »,[74] contra est item adserendum embryonum fetuumve humanorum usurpationem tamquam obiectorum totidem periclitationis constituere sceleratam violationem eorum dignitatem ut hominum, quibus videlicet ius sit ad eandem reverentiam quae omni debeatur infanti iam nato omnique personae.

Respicit eadem moralis condemnatio etiam processum illum qui embryonibus et humanis fetibus — interdum consulto hunc ad finem per fecundationem in vitro « effectis » — abutitur veluti « biologica materia », quae praesto sit, vel ut *praebitoribus organorum aut textilium transportandorum* in quorundam morborum curationem. Re quidem vera innocentes necare creaturas humanas, etiamsi aliarum in commodum, quiddam est funditus intolerandum.

Peculiarem porro considerationem addici oportet morali aestimationi *rationum atque investigationum praenatalium* quae nempe iam ante tempus sinunt ut forte quae ipsius nascituri sint vitia deprehendantur. Etenim ob ipsam complicatam harum inquisitionum naturam, subtilior illa aestimatio minutiorque est reddenda. Quotiescumque infanti ipsi ac matri absunt nimirum magna pericula ac diriguntur eo investigationes ut praevia curatio parari vel ut nasciturus etiam tranquillo conscioque animo suscipi possit, tractationes illae morali ratione sunt honestae. Quandoquidem vero rariores hodie sanationes ante ortum effici valent, crebro quidem accidit ut medicae hae actiones alicui sententiae seu menti eugeneticae subiciantur, quae abortum selectionis accipit ne fetus enascantur variis deformitatum generibus adiecti. Turpis autem est talis mens maximeque improbanda, quoniam vitae cuiusdam utilitatem metiri dumtaxat ex « normalitatis » regulis audet atque corporis valetudine, dum viam simul in lege reserat ad infanticidii et euthanasiae approbationem.

Fortitudo ex contrario illa ac serenitas, quibus fratres tot nostri sororesque, gravibus laborantes impeditionibus, a nobis

[74] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instructio de observantia erga vitam humanam nascentem deque procreationis dignitate tuenda *Donum vitae* (22 Februarii 1987), I, 3: *AAS* 80 (1988), 80.

[75] *Charta iurium familiae* (22 Octobris 1983), art. 4b, Typographia Polyglotta Vaticana, 1983.

scilicet recepti ac dilecti, suam producunt vitam, testimonium revera singulariter reddunt efficax verorum bonorum quibus vita cuiusque definitur atque etiam difficilioribus in adiunctis cara sibi et aliis efficitur. Iis adstat Ecclesia coniugibus qui magno cum angore doloreque recipere suos consentiunt liberos impedimentis valde adflictos; aequabiliter gratissima ipsa est erga eas domos quae, per adoptionem, desertos propriis a parentibus ob impeditiones aegrotationesve accipiunt.

« Ego occidam et ego vivere faciam » (Dt 32, 39)*: euthanasiae tragoedia*

64. Altero in vitae extremo ante hominis oculos mortis obversatur arcanum. Propter magnos in re medicina factos progressus atque intra culturalia rerum adiuncta, unde transcendentia excluditur, novis quibusdam nunc notis distinguitur ipse moriendi actus. Etenim, quamdiu aestimare homines fere eatenus malunt vitam quatenus voluptatem ea gignit prosperitatemque, exstat dolor veluti haud toleranda clades, ex qua omnibus modis quis est liberandus. Mors vero, quae « absurda » iudicatur si inopinato interrumpit vitam adhuc patentem ad futura tempora experientiis pulchris repleta, « vindicata liberatio » contra evadit, cum omni significatione carere iam existimatur vita doloribus obruta ac necessario quodam fato ad maiorem etiam venturum cruciatum destinata.

Principalem porro suam cum Deo necessitudinem repudians aut oblivione oblitterans, homo semet regulam esse censet normamque sibi, dum ius simul sibi esse arbitratur ut a societate postulet certam confirmatamque facultatem ac rationem de propria vita decernendi secundum plenam ac planam sui iuris condicionem. Ita nominatim se gerit homo qui Civitates magis progressas incolit: impulsus illuc praeterea sibi videtur continua tis medicinae artis augmentis et rationibus ipsis usque perfectioribus. Per technicos modos apparatusque summe consummatus iam tales hodie se praebent scientia et medicina, ut non tantum insolubiles antehac dissolvere possint difficultates doloremque ipsum aut mitigare aut funditus exterminare, verum vitam etiam sustinere vel in debilitate extrema pertrahere, homi-

nes ipsos artificio quodam resuscitare quorum biologici processus primarii improvisos pertulerunt lapsus, intercedere ut transplantanda aliquando praesto sint organa.

Hisce in rerum adiunctis magis ac magis alliciuntur homines ad *euthanasiam,* ut *morte* videlicet *dominentur in antecessum inducenda morte* sicque suae vel alienae vitae « dulciter » imponendo finem. Re autem vera, quod rationi consentaneum atque humanum videri potest, si altius introspicitur *absurdum* deprehenditur et *inhumanum.* Aliquo consistimus coram signo maxime quidem conturbante illius « culturae mortis », quae in locis prosperitatis potissimum percrebrescit et quam mens quaedam designat ad rerum efficientiam propensa, ubi nimium onerosus et vix tolerabilis habetur numerus crescens hominum seniorum et infirmorum. Persaepe quidem a suis segregantur familiis et societate ipsa; quae nempe instituta administrantur fere unice ad leges efficientis rerum effectionis, secundum quas vita sine remedio inhabilis iam nihil prae se fert boni.

65. Clare ideo in primis ut rectum de euthanasia feratur morale iudicium, est definienda illa. Sub *nomine euthanasiae vero proprioque sensu* accipitur actio vel omissio quae suapte natura et consilio mentis mortem affert ut hoc modo omnis dolor removeatur. « Euthanasia igitur in voluntatis proposito et procedendi rationibus, quae adhibentur, continetur ».[76]

Ab ea separetur oportet consilium illud, quo quis tractationem reiciat sic dictam « *vehementiam therapeuticam* », aliquos nempe medicos interventus non amplius aegrotantis statui congruentes, quia impares iam sunt iis effectibus quos sperari liceret vel etiam quia nimis omnino ipsi aegroto eiusque familiae molesti. His enim in casibus, cum nuntiata iam instat mors nec vitari potest, licet ex conscientia « consilium inire curationibus renuntiandi, quae nonnisi precariam et doloris plenam vitae dilationem afferre valent, haud intermissis tamen ordinariis curis, quae in similibus casibus aegroto debentur ».[77] Officium certissime adest morale ut quis se curet curetque se curandum; quod tamen officium metiendum est secundum concreta rerum adiun-

[76] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. de euthanasia *Iura et bona* (5 Maii 1980), II: *AAS* 72 (1980), 546.

[77] *Ibid.,* IV, *l.m., 551*

cta: in re namque nata necesse est diiudicare conveniantne therapeutica instrumenta ad manus aliquando melioris condicionis ipsis exspectationibus. Haud vero tantum valet consiliorum extraordinariorum vel nimiorum reiectio quam voluntaria mors vel euthanasia; consensum potius illa declarat cum humano statu ante mortem.[78]

Recentissima in medicina arte magis magisque emergunt sic dictae « *curae palliativae* », eo scilicet pertinentes ut extremo morbi tempore tolerabilior fiat dolor utque patienti ipsi consentaneus simul praestetur comitatus humanus. Hic inter alias quaestiones illud exsistit etiam utrum honestus sit ipse usus generum diversorum medicaminis analgesici et sedativi, quo aegrotans doloribus subtrahatur, quotiens nempe periculum eodem tempore imminet ne vita ei abscidatur. Laudandus enim si ille potest videri qui ultro suaque sponte pati consentit, repudiatis id est rationibus antidolorificis, ut lucidam sibi plene servet mentem communicetque, si quidem christifidelis est, conscio modo Domini passionem, tamen iste sese gerendi « heroicus » modus omnibus imperatus minime existimari debet. Sua iam aetate confirmaverat Pius XII dolorem opprimi medicamentis licere, etiamsi conscius exinde impediretur animus vitaque brevior ipsa evaderet, « si » — ut ait — « alia non in procinctu sunt instrumenta atque certis in adiunctis istud non prohibet quin religiosa alia compleantur et moralia officia ».[79] Etenim tunc neque cupitur mors nec quaeritur, quamquam iustis de causis eius subest periculum: voluntas ea dumtaxat est ut efficaciter deleniatur dolor, adhibitis analgesicis viis quae auxilio datae sunt medicae arti. Verumtamen « sui conscientia non destitui moribundus absque gravi causa debet »:[80] appropinquantes iam morti posse adhuc homines oportet suis moralibus satisfacere familiaribusque obligationibus atque potissimum plena cum conscientia ad decretoriam sese comparare cum Deo congressionem.

[78] Cfr *ibid.*

[79] Pius PP. XII, Allocutio ad medicorum coetum omnibus e gentibus (24 Februarii 1957), III: *AAS* 49 (1957), 147; cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. de euthanasia *Iura et bona,* III: *AAS* 72 (1980), 547-548.

[80] Pius PP. XII, Allocutio ad medicorum coetum omnibus e gentibus, *l.m.,* 145.

His rite interpositis distinctionibus, Magisterium Nos Decessorum Nostrorum[81] iterantes atque in communione cum catholicae Ecclesiae Episcopis *confirmamus euthanasiam gravem divinae Legis esse violationem,* quatenus est conscia necatio personae humanae, quae moraliter probari non potest. Haec doctrina lege naturali atque Verbo Dei scripto adnixa, Ecclesiae Traditione traducitur atque Magisterio ordinario et universali explicatur.[82]

Talis actus, secundum rerum adiuncta, propriam voluntariae mortis ac homicidii inhonestatem secum adfert.

66. Suicidium numquam moraliter est admittendum aeque ac homicidium. Ecclesia id graviter malum cum habeat usque respuit.[83] Tametsi certae animi, cultus et societatis condiciones efficere possunt ut eiusmodi facinus patretur quod radicitus absonum sit a nativa cuiusque in vitam inclinatione, minuendo vel etiam tollendo subiectivam responsalitatem, suicidium obiective consideratum graviter immoralis est actus, quandoquidem requirit ut amor sui denegetur et caritatis officia reiciantur proximum respicientia, propriam communitatem et universam societatem.[84] Intimo eius sensu spectato, illud Dei dominatum in vitam et mortem abnuit, qui in precibus sapientis veteris Israelis proclamatur: « Tu enim vitae et mortis habes potestatem, et deducís ad portas mortis et reducis » *(Sap* 16, 13; cfr *Tob* 13, 2).

Cum quis eodem animo est quo sui interemptor atque in compiendo proposito ei adest per « suicidium adiutum », quod dicitur, fit huius rei socius et nonnumquam actor ipse cuiusdam iniuriae, quae numquam comprobari potest, ne postulata quidem forte. S. Augustinus nostrae fere aetatis prope singularem

[81] Cfr Pius PP. XII, Allocutio ad medicorum coetum omnibus e gentibus (24 Februarii 1957): *AAS* 49 (1957), 129-147; Congregatio S. Officii, *Decretum de directa insontium occisione* (2 Decembris 1940): *AAS* 32 (1940), 553-554; PAULUS PP. VI, Nuntius ad Francogallicam televisionem: « Quaelibet vita est sacra » (27 Ianuarii 1971): *Insegnamenti* IX (1971), 57-58; Allocutio ad coetum «International College of Surgeons» (1 Iunii 1972): *AAS* 64 (1972), 432-436; CONC. OECUM. VAT. Il, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 27.

[82] Cfr CONC. OECUM. VAT. Il, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 25.

[83] Cfr S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei,* I, 20: *CCL* 47, 22; S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* II-II, q. 6, a. 5.

[84] Cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. de euthanasia *Iura et bona* (5 Maii 1980), I: *AAS* 72 (1980), 545; *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* nn. 2281-2283.

exprimit mentem: « Non licere alterum occidere, etiam volentem et petentem, et vivere iam non valentem et animam corporis nexibus obluctantem solvique cupientem ».[85] Quamvis non causetur euthanasia ex eo quod, sui commodi causa, quis curare recusat patientem, eadem *falsa pietas est habenda,* immo eius gravis « deformitas »: nam vera « miseratio » efficit ut cum alterius dolore homo societur, non autem eum perimit cuius aegritudo tolerari non potest. Atque multo flagitiosius videtur euthanasiae facinus, si ab iis patratur, qui — ut familiares — consanguineum leniter amanterque iuvare debent vel — ut medici — suam ipsorum propter artem, aegrotum curare debent, etiamsi in condicionibus ille insanabilibus versatur.

Euthanasiae electio gravior fit cum in *homicidium* vertitur, quod alii in quadam persona patrant quae nullo prorsus modo eam quaesivit eamque comprobavit. Summum deinceps arbitrium attingitur et iniuria, cum quidam medici vel legum latores de vita morteque decernendi sibi vindicant potestatem. Sollicitatio illa sic, quae fuit in Eden, renascitur: « Eritis sicut Deus scientes bonum et malum » (cfr *Gn* 3, 5). Sed penes Deum tantum est potestas vitam et mortem constituendi: « Ego occidam et ego vivere faciam » *(Dt* 32, 39; cfr *2 Reg* 5, 7; *1 Sam* 2, 6). Ipse dumtaxat secundum sapientiae dilectionisque consilium suam potestatem usque gerit. Cum homo, stulta quadam obsessus mente suique commodi studiosus, hanc potestatem perperam occupat, eandem necessario ad iniuriam et mortem agendas usurpât. Vita sic debilioris in dicione est praepotentis; in horriinum societate iustitiae sensus amittitur, atque mutua fiducia radicitus in discrimen adducitur, quae est fundamentum in quo inter personas sincera nititur necessitudo.

67. Omnino autem alia est *amoris sinceraeque pietatis via,* quam nostra humanitas communis infert quamque in Christo Redemptore fides, qui mortuus est et resurrexit, novis rationibus collustrat. Postulatio, quae ex hominis corde manat instantibus novissime dolore et morte, praesertim cum temptatur ut se ipse ad desperationem inclinet atque quasi in ea absumatur, requirit potissimum consuetudinem, solidarietatem, atque praesi-

[85] *Epistula* 204, 5: *CSEL* 57, 320.

dium difficultatibus obvenientibus. Auxilium postulatur ad insuper sperandum, cum omnes humanae spes praeciduntur. Sicut Concilium Vaticanum II commemoravit, « coram morte aenigma condicionis humanae maximum evadit » ipsi homini; atque is « recte instinctu cordis sui iudicat, cum totalem ruinam et definitivum exitum suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis quod in se gerit, ad solam materiam cum irreductibile sit, contra mortem insurgit ».[86]

Naturalis haec facultas morti obsistendi atque haec nascens immortalitatis spes collustrantur et complentur christiana fide, quae Christi Resuscitati victoriam participandam pollicetur ac porrigit: victoria est profecto Illius qui per mortem suam redemptricem hominem a morte vindicavit, « peccati stipendio » *(Rom* 6, 23), atque Spiritum subministravit, resurrectionis vitaeque pignus (cfr *Rom* 8, 11). Futurae immortalitatis certitudo atque *resurrectionis promissae spes* patiendi moriendique mysterio novam lucem afferunt itemque fidelibus ingens praebent robur ad Dei mysterium tenendum.

Paulus apostolus hanc novam rem verbis patefecit significantibus totam Deo deditionem quamlibet humanam condicionem complectentem. « Nemo enim nostrum sibi vivit et nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus » *(Rom* 14, 7-8). *Domino mori* propriam mortem vivere significat veluti summam Patri oboeditionem (cfr *Philp* 2, 8), dum videlicet ea suscipitur in ipsa « hora », quam is vult et eligit (cfr *Io* 13, 1), quandoquidem unus ille scit statuitque tempus definitum ex hoc mundo discedendi. *Domino vivere* agnoscere etiam significat dolorem, ut idem per se malum sit et perielitatio, semper boni fontem evadere posse. Istud fit cum suscipitur amandi gratia et amando, dum scilicet Christi passio cruci affixi participatur, Deo id donante et homine libere recipiente. Hoc modo qui in Domino passionem suam experitur, plenius ei accommodatur (cfr *Philp* 3, 10; *1 P e* 2, 21) eiusque redemptrici operae pro Ecclesia et humanitate artius sociatur.[87] Hoc Apostolus expe-

[86] Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 18.

[87] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Salvifici doloris* (11 Februarii 1984), 14-24: *AAS* 76 (1984), 214-234.

ritur, quod etiam quivis patiens sumendum vocatur: « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis et adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » *(Gol* 1, 24).

« Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » (Act o, 29): *civilis lex lexque moralis*

68. Una ex minationibus, quae hodie vitae humanae insidiantur, quemadmodum alias dictum est, eo tendit, ut *iure illae iustificentur,* quasi iura essent, quae, certis saltem exstantibus condicionibus, Natio civibus praestare debet ideoque eadem tenenda, medicis et valetudinis operariis gratuito et sicure id concedentibus.

Haud semel existimatur nondum natorum vitam aeque ac graviter imbecillorum imperfectum dumtaxat esse bonum: pro portione vel ad meram rationem cum aliis rebus comparanda est et perpendenda. Iudicatur quoque eum solum, qui re implicatur et in volvitur, convenienter haec bona ponderare posse: ideo is unus de moralitate rei eligendae decernere potest. Quocirca Civitas, ut civilis convictus socialisque concordia recte serventur, hanc electionem tueri debet, atque etiam abortum et euthanasiam permittere.

Alias dicitur lex civilis iubere non posse omnes cives vivere ad altiorem moralitatis ordinem quam ipsi noverunt et admittunt. Hac de causa mentem voluntatemque maioris civium partis semper lex patefacere debet atque iisdem, saltem quibusdam in gravissimis casibus, etiam ius abortus et euthanasiae concedere. Ceterum abortus atque euthanasiae interdictio et coërcitio his in casibus necessario — aiunt — ad actionum lege vetitarum amplificationem adducunt: quae quidem — pergunt illi — societatis respectionem vitant atque abest opportuna medicorum cura. Aliquis praeterea quaerat, lege lata quae servari re non possit, utrum significet cunctarum legum auctoritatem demum labefactari necne.

Acerrimae tandem opinationes asseverant in recentiore multiplici que societate plene suam cuique esse agnoscendam potestatem propriae vitae disponendae aeque ac nondum natorum: non

est enim legis munus ex diversis moralibus sententiis electionem ducere, eoque minus quandam iniungere opinionem prae aliis.

69. Quidquid est, in democratico cultu hodie vigente late vagatur mens, secundum quam iudiciales societatis institutiones recipere debent et persequi solummodo maioris partis opinationes, ideoque in illis eaedem fundamentum invenire quas maior pars moralem normam agnoscit et sequitur. Si autem obiectiva communisque veritas attingi re non posse existimatur, verenda civium libertas — qui in populari regimine vera potestate pollent — ex lege postulat ut singularum conscientiarum agnoscatur autonomia ideoque in normis constituendis quas utique civilis convictus necessario inducit quaevis voluntas maioris partis prorsus servetur. Hoc modo quisque publicus vir, qui in media re politica versatur, in agendo a privata conscientia negotia publica seiungere debet.

Quapropter duae dantur proclivitates, quae inter se omnino discrepare videntur. Hinc singuli sibi maximum vindicant ius moraliter eligendi atque requirunt ut Civitas nullam in se recipiat neve imponat ethicam doctrinam, sed quam amplissimam cuique praestet libertatis provinciam, exterioribus unis positis finibus non laedendi spatium quod ad ius ceterorum civium pertinet. Illinc censent, in publicis negotiis artibusque sustinendis, observantiam erga libertatem eligendi alteri servatam singulos compellere ut se sevocent a suis rationibus atque sese disponant ad inserviendum omnibus civium postulatis, quae leges agnoscunt et tuentur, uno suscepto morali iudicio ad munia explenda quod eaedem leges statuunt et decernunt. Hoc modo personae officium in civili lege reponitur, dempta conscientia morali, saltem in publicarum rerum regione.

70. Omnibus his opinationibus usque subest *relativismus ethicus,* quo hodiernus cultus magna ex parte imbuitur. Nec deest qui censeat talem relativismum popularis regiminis esse condicionem, quippe qui solus praestet tolerantiam, mutuam inter personas observantiam, maiori parti decernenti assensionem, dum morales normae, cum sint obiectivae et constringentes, ad praepotentiam et intolerantiam ducunt.

Verum de vita tuenda quaestio ipsa demonstrat quae ambiguitates et sententiae inter se pugnantes opinionibus his occultentur, gravissimis comitantibus rerum eventibus.

Verum est quosdam recensere historiam eventus in quibus facinora « veritatis » titulo sunt patrata. At crimina non minus gravia atque praecipuae veritatis negationes sunt admissa et admittuntur vel nomine « relativismi ethici ». Cum autem legatorum vel societatis maior pars de legitime vita nondum nata interimenda decernit, quamvis quaedam insint condiciones, nonne de debili homine et inermi « tyrannicum » capit consilium? Universalis conscientia merito criminibus contra humanitatem obnititur, quae nostrum aevum lamentabiliter est expertum. Numne haec desinunt esse crimina, si loco immodicorum tyrannorum populari voluntate patrantur?

Populare profecto regimen re eo efferri non potest ut vicem gerat moralitatis vel remedium fiat immoralitatis. Radicitus illud « ordinatio » quaedam est, ideoque suapte natura instrumentum non finis est existimandum. Eiusdem « moralis ». indoles non est insita, sed e congruentia cum lege morali pendet cui, sicut ceteri hominum mores, subesse debet: a finium scilicet honestate pendet, qui spectantur, et subsidiorum quae adhibentur. Si quidem hodie publice extollitur bonum popularis regiminis, id « temporum signum » opportunum est existimandum, quem ad modum Ecclesiae Magisterium saepenumero confirmavit.[88] At popularis regiminis praestantia stat deciditve una simul cum bonis quae ipsum exprimit et promovet: procul dubio praecipuae necessariaeque res cuiusque humanae personae sunt dignitas, reverentia erga eius iura sancta et non alienabilia, necnon « bonum commune » suscipiendum tamquam finis et iudicium de vita politica agenda.

His principiis subesse non possunt « maiores partes » opinionum temporariae et mobiles, sed tantum obiectiva moralis lex agnita ad quam, ut ad moralem legem in hominis corde insculptam, ipsa civilis lex referri debet. Si autem, ob omnium conscientiae miserrimam obtenebrationem, sceptica ratio in dubium prima principia quoque moralis legis devocat, ipsa democratica institutio funditus evertitur atque ad meracam machinationem redigitur, quae re diversa dissonaque commoda moderatur.[89]

[88] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus Annus* (1 Maii 1991), 46: *AAS* 83 (1991), 850; Pius PP. XII, *Radiophonicus nuntius natalicius* (24 Decembris 1944): *AAS* 37 (1945), 10-20.

[89] Cfr *Idem,* Litt, Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 97 et 99: *AAS* 85 (1993), 1209-1211.

Aliquis cogitaverit hanc etiam rationem, meliore deficiente re, propter socialem pacem esse existimandam. Quamvis veritatis quaedam ratio sit hac in aestimatione agnoscenda, difficile non est conspicere sine morali aequo praesidio ne populare quidem regimen solidam pacem praestare posse, eo magis quod pax, quae non cuiusque hominis excellentia et dignitate mensuratur neque mutuo inter homines adiumento, haud raro fallax evadit. Nam ipsis in regiminibus ubi quisque suam gerit partem, beneficia et commoda saepe pro fortioribus ordinantur, cum sint ipsi habiliores non modo ad potestatis mechanemata agenda, verum ad consensum fingendum. Hac in rerum condicione, populare regimen facile fit inane verbum.

71. Instat itaque, pro adveniente societate proque popularis regiminis salubri incremento, ut rursus detegantur humana moraliaque bona capitalia et nativa, quae ab ipsa hominum veritate manent, quaeque personae dignitatem exprimant et tueantur: bona idcirco, quae nulla persona, nulla maior pars, nulla Civitas constituere, umquam immutare vel delere potest, sed ab iis debent dumtaxat agnosci, servari et provehi.

Repetenda sunt igitur hac sub ratione *primaria capita quae necessitudinem inter legem civilem et moralem legem complectuntur,* quae nempe Ecclesia exhibet, quaeque ad praeclarum translaticiumque iuris patrimonium hominum pertinent.

Certe *legis civilis officium* aliud est et angustius ac moralis legis. Verum « in nullo vitae spatio lex civilis se substituere potest in locum conscientiae, nec normas edere, quae ipsius competentiam excedant »,[90] quae quidem in eo sita est ut rationem habeat boni communis personarum per primaria iura agnita et servata, pace retenta et publica mor alitate.[91] Legis namque civilis munus in sociali convictu ex ordine praestando consistit in vera iustitia, ut universi « quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate » *(1 Tim* 2,2). Hanc ipsam propter causam omnibus societatis participibus lex civilis de nonnullis praecipuis iuribus tutandis consulere debet, quae naturaliter ad perso-

[90] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Instr, de observantia erga vitam humanam nascentem deque procreationis dignitate tuenda *Donum vitae* (22 Februarii 1987), III: *AAS* 80 (1988), 98.

[91] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de Libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 7.

nam pertinent quaeque agnoscere servareque debet quaevis condita lex. Primum capitaleque ex omnibus ius est inviolabile vitae quo omnes homines fruuntur innoxii. Si quidem publica auctoritas nonnumquam illud abdicare potest quod prohibitum gravius infert detrimentum,[92] numquam tamen comprobare potest, veluti singulorum ius — etiamsi hi maiorem obtinerent societatis partem — aliis personis illatam plagam per eorum neglectum tam principale ius quod ad ius vitae pertinet. Quod autem ex lege abortum et euthanasiam tolerat, hoc nullo pacto cum conscientia aliorum observanda et colenda necti potest, propterea quod societas ius habet officiumque se tuendi adversus abusus qui conscientiae nomine ac sub libertatis obtentu occurrere possunt.

In Litteris encyclicis *Pacem in terris* Ioannes XXIII opportune docuit: « Verum cum nostra aetate commune bonum maxime in humanae personae servatis iuribus et officiis consistere putetur, tum praecipue in eo sint oportet curatorum rei publicae partes ut hinc iura agnoscantur, colantur, inter se componantur, defendantur, provehantur, illinc suis quisque officiis fungi possit. Etenim "inviolabilia iura tueri, hominum propria, atque curare, ut facilius quisque suis muneribus defungatur, hoc cuiusvis publicae potestatis officium est praecipuum" . Quam ob causam, si qui magistratus iura hominis vel non agnoscant vel violent, non tantum ab officio ipsi suo discedant, sed etiam quae ab ipsis sint imperata, omni obligandi vi careant ».[94]

72. Constantem persequitur Ecclesiae traditionem disciplina illa quae docet necessario debere *civilem legem convenire cum lege morali,* sicut ex Ioannis XXIII Litteris encyclicis modo memoratis rursus liquet: « Quandoquidem imperii facultas ex ordine rerum incorporalium exigitur atque a Deo manat, si forte rei publicae moderatores contra eundem ordinem atque adeo contra

[92] Cfr S. THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae,* I-II, q. 96. a. 2.

[93] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de Libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 7.

[94] Litt. Encycl. *Pacem in terris* (11 Aprilis 1963), II: *AAS* 55 (1963), 273-274; interior locus est PII PP. XII ex *Nuntio radiophonica* dato in Sollemnitate Pentecostes, die 1 mensis Iunii 1941: *AAS* 33 (1941), 200. Eodem de argumento repetuntur in adnotatione PII PP. XI Litterae Encyclicae *Mit brennender Sorge* (14 Martii 1937): *AAS* 29 (1937), 159; Litt. Encycl. *Divini Redemptoris* (19 Martii 1937), III: *AAS* 29 (1937), 79; Pius PP. XII, *Nuntius radiophonicus natalicius* (24 Decembris 1942): *AAS* 35 (1943), 9-24.

Dei voluntatem vel leges ferunt, vel aliquid praecipiunt, tunc neque latae leges, neque datae facultates civium animos obstringere possunt...; immo vero tunc auctoritas ipsa plane corruit, et foeda sequitur iniuria ».[95] Haec est sancti Thomae conspicua doctrina, qui inter alia scribit: « Lex humana intantum habet rationem, inquantum est secundum rationem rectam; et secundum hoc manifestum est quod a lege aeterna derivatur. Inquantum a ratione recedit, sic dicitur lex iniqua; et sic non habet rationem legis, sed magis violentiae cuiusdam ».[96] Tum etiam: « Unde omnis lex humanitus posita intantum habet de ratione legis, inquantum a lege naturae dirivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, iam non erit lex, sed legis corruptio ».[97]

Ante omnia profecto artiusque talis doctrina ad legem humanam refertur, quae primarium primordialeque vitae ius non agnoscit, ius dicimus quod est cuiusque hominis proprium. Sic leges, quae abortu et euthanasia homines innoxios directo interimendos comprobant, prorsus et insanabiliter discrepant inviolabili cum vitae iure, quod ad omnes homines pertinet, ideoque negant prae lege omnes homines esse aequales. Aliquis autem contra dicat minime istud referri ad euthanasiam, cum ipsa a conscio omnino subiecto postulatur. At si Natio quaedam legitime huiusmodi postulatum admittat idemque perfici sinat, lege suicidium-homicidium comprobet, adversus capitalia principia quae vitam ab omni re expeditam contingunt et omnis vitae innoxiae tutelam. Quae res efficit ut vitae observantia hebetetur et iter ad perniciosos fiduciae habitus in socialibus necessitudinibus pateat.

Leges igitur quae permittunt euthanasiam abortumque iisque favent, radicitus sunt absonae non modo a singulorum bono, verum et bono communi, atque idcirco iuridiciali carent vera vi. Etenim iuris vitae negatio, propterea quod prae se gerit personae interitum, cui inserviendi causa exsistit societas, altius quidem et sine spe bono communi perficiendo opponitur. Ex quo consequitur legem civilem iam desinere veram esse legem civilem quae moraliter obstringat, cum abortum euthanasiam ve comprobat.

[95] *Pacem in terris, l.m.,* 271.

[96] *Summa Theologiae,* I-II, q. 93, a. 3, ad 2um.

[97] *Ibid.,* I-II, q. 95, a. 2. S. Thomas memorat S. AUGUSTINUM: « Non videtur esse lex, quae iusta non fuerit », *De libero arbitrio,* I, 5, 11: *PL* 32, 1227.

73. Abortus ergo et euthanasia crimina sunt quae nulla humana lex potest rata facere. Huiusmodi leges non modo conscientiam non de vinciunt, verum *graviter nominatimque compellunt ut iisdem per conscientiae repugnantiam officiatur.* Ipsa ex Ecclesiae origine, apostolica praedicatio praecepit ut publicis magistratibus legitime constitutis parèrent christiani (cfr *Rom* 13, 1-7; *1 Pe,* 2, 13-14), eodem tamen tempore hoc firmiter monuit: « Oboedire oportet Deo magis quam hominibus » *(Act* 5, 29). In Vetere iam Foedere, quoad minas adversus vitam, insigne invenitur exemplum quo auctoritati officitur iniuriose imperanti. Pharaoni, qui cunctos modo natos necari iusserat, Hebraeorum obstetrices sunt refragatae. Eae « non fecerunt iuxta praeceptum regis Aegypti, sed conservabant mares » *(Ex* 1, 17). At sapiens huius mentis ratio est respicienda: « *Timuerunt autem obstetrices Deum» (ibidem).* Ex ipsa Deo obtemperatione — cui tribuendus est uni ille timor qui secum fert eiusdem absoluti dominatus agnitionem — vis animusque oriuntur iniquis hominum legibus reluctandi. Vis quidem et animus sunt illius qui promptus est in vincula conici vel gladio necari, pro certo illud habens: « Hic est patientia et fides sanctorum » *(Apc* 13, 10).

Si ergo de lege agitur suapte natura iniqua, ut est quae abortum permittit et euthanasiam, numquam licet eidem se accommodare, nec quisquam «potest esse particeps alicuius motus publicae opinionis qui eiusmodi legi faveat, neque potest latis suffragiis sustinere ».[98]

De conscientia nominatim agitari potest quibusdam forte evenientibus casibus, cum legatorum suffragia necessaria sunt ut strictiori legi faveatur, quae scilicet circumscribat abortuum lege admissorum numerum pro laxiore lege quae iam viget vel suffragiis probanda. Huiusmodi eventus non sunt rari. Illud enim contingit, dum orbis terrarum quibusdam in partibus leges subinde pro abortu inducuntur, suadentibus haud raro valentibus internationalibus institutis, aliis tamen in Nationibus — in illis potissimum quae iam infeliciter id genus leges sunt expertae — signa quaedam exsistunt mutatarum sententiarum. Superiore in casu, quoties vitari antiquarive non potest abortus

[98] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, *Declaratio de abortu procurato* (18 Novembris 1974), 22: *AAS* 66 (1974), 744.

lex, liquet legatum, qui palam alioquin vulgoque abortui adversetur, suffragari licite posse illis consiliis quae eiusmodi legis *damna minuere velint* et perniciosum effectum extenuare qui sive culturam sive moralitatem publicam respicit. Hac enim agendi ratione officium suum non praestat illicitae vel iniustae legi; potius vero aequus opportunusque inducitur conatus ut eius iniquae cohibeantur species.

74. Ini quae legum lationes prae hominibus probis saepe conscientiae quaestiones difficiles explicatu ponunt quae sociatam operam respiciunt, sui ipsius iure officiose confirmato, ne quis compellatur ad aliquid faciendum quod moraliter est malum. Nonnumquam id quod eligitur est acerbum, et postulare potest ut patienter alicuius ordinis artes deserantur vel ampliores praetermittantur forte e venturi gradus quorundam honorum, qui legitime affectantur. Aliis in casibus usu venire potest ut quaedam peracta per se aequi ponderis vel etiam iusta, quae in contextum quendam inseruntur legum plerarumque iniquarum, humanas servent vitas minis affectas. At contra congruus timor occurrere potest ne proclivitas ad haec agenda non modo secum scandalum ferat ac necessariam simul oppositionem extenuet vertendam in conamina contra vitam, verum pedetemptim etiam ad concedendum impellat permittentibus rationibus.

Ad hanc moralem quaestionem difficilem collustrandam principia universalia *de participatione cum malis actibus* sunt repetenda. Christiani, aeque ac omnes bonae voluntatis homines, gravi conscientiae officio concitantur ne suam operam expresse dent ad ea patranda, quae, tametsi civilibus praescriptis conceduntur, Dei Legi officiunt. Etenim, morali spectata re, non licet expresse cum malo operam sociare. Adesse consociatam operam constat cum perfectum opus, vel suapte natura vel ob speciem quam in certo quodam contextu ipsum praebet, se patefacit directo veluti actum contra vitam hominis innocentis patratum aut veluti immorale propositum cum agenti principe communicantem. Sociata haec opera numquam comprobari potest, neque sub alterius libertatis servandae obtentu, neque ratione habita legis civilis id permittentis et postulantis: actuum enim quos quisque per se agit est moralis responsalitas, de qua nemo declinare potest et de qua quisque ab ipso Deo iudicabitur (cfr *Rom* 2, 6; 14, 12).

Non modo moralis officii est proprium, verum capitalis iuris humani, participationem detrectare ad iniuriam faciendam. Nisi ita esset, persona humana actum patrare cogeretur suapte natura contrarium suae eiusdem dignitati, atque hoc modo illius ipsa libertas, cuius sensus finesque germani sunt ad verum et bonum commune versi, in discrimen penitus incideret. Itaque de principali iure agitur quod, quia tale est, lex civilis sancire debet et tueri. Has propter rationes medicis, sanitatis opificibus, valetudinariorum et nosocomiorum praesidibus, facultas danda est recusandi participationem in deliberatione praeparatione atque exsecutione huiusmodi adversus vitam facinorum. Qui conscientiae repugnantiae nomine ita se gerit tuendus est non modo ut ei caveatur in poenis dandis, verum etiam a quovis detrimento respiciente legem, animadversiones, rem familiarem artemque.

«Diliges ... proximum tuum sicut teipsum» (Lc 10, 27): *vitam « promove »*

75. Dei mandata vitae viam nos docent. *Praecepta moralia negantia,* quae scilicet nonnullos actus moraliter esse respuendos significant, pro humana libertate absoluta gaudent vi: semper et ubique vigent, sine exceptione. Ostendunt enim electionem quarundam agendi rationum omnino amori in Deum repugnare et personae humanae dignitati, quae ad eius imaginem est creata: talis igitur electio nullo bono proposito iustificatur nullaque rerum consecutione; funditus communioni inter personas obsistit, primario consilio propriam vitam ad Deum dirigendi omnino adversatur.[99]

Hoc iam sensu moralia praecepta negantia pergravem vim habent affirmantem: illud « non » quod illa sine condicione postulant limen significat quod transcendi non potest et infra quod homo liber descendere non potest, et pariter minimum quiddam indicat ab ipso homine servandum et ex quo proficisci debet ad multimodis illud « sic » dicendum, unde *quaevis provincia bonorum* magis magisque occupetur (cfr *Mt* 5, 48). Mandata, nominatim negantia moralia praecepta, initium sunt ac paene prima

[99] Cfr *Catholicae Ecclesiae Catechismus,* nn. 1753-1755; IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 81-82: *AAS* 85 (1993), 1198-1199.

statio, quae est necessaria ad iter in libertatem faciendum: « Prima est ergo libertas, carere criminibus..., sicut est homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, sacrilegium et cetera huiusmodi. Cum coeperit ea non habere homo (debet autem non habere omnis christianus homo), incipit caput erigere ad libertatem, sed ista inchoata est, non perfecta libertas ».[100]

76. Mandatum illud « Non occides » itineris cuiusdam statuit initium verae libertatis, quae nos concitat ut naviter vitam provehamus atque mores habitusque certos efficiamus ad eius servitium: ita agentes officia nostra exhibemus personis nobis demandatis atque rebus veritateque Deo animum nostrum gratum ob magnum vitae beneficium declaramus (cfr *Ps* 139[138], 13-14).

Creator concredidit hominis vitam eius responsali industriae non ut ad lubitum ea utatur, sed ut eandem prudenter custodiat eamque amabili fidelitate temperet. Foederis Deus cuiusque hominis vitam alii homini eius fratri concredidit secundum reciprocata dandi et accipiendi officia, secundum donationem sui et alterius acceptionem. In plenitudine temporis cum homo factus est atque vitam pro hominibus tradidit, Dei Filius significavit ad quam altitudinem et profundum haec mutui auxilii lex pervenire posset. Spiritus sui donatione Christus materiem novasque significationes addit legi mutuorum subsidiorum, ipsi videlicet hominis demandationi homini. Spiritus, qui in amore communionis est artifex, novam fraternitatem novamque solidarietatem inter homines constituit, quod est simulacrum mysterii mutuae donationis et acceptionis sanctissimae nempe Trinitatis. Spiritus ipse nova fit lex, quae fidelibus vim praebet eorumque concitat responsalitatem ut mutuam sui donationem et alterius acceptionem experiantur, ipsum Iesu Christi amorem participantes et quidem ad eius mensuram.

77. Nova ex hac lege etiam mandatum « non occides » fovetur et fingitur. Christiano ipsi ergo id tandem importat iussum

[100] S. AUGUSTINUS, *In Iohannis Evangelium Tractatus,* 41,10: *CCL* 36,363; cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 13: *AAS* 85 (1993), 1144.

cuiusque fratris vitam observandi, amandi, provehendi, secundum postulata et rationes dilectionis Dei in Christo: « Ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere » *(1 Io,* 3, 16).

Mandatum « non occides », etiam in eo quod flagitat observantiam amorem et vitae humanae provectionem, singulos homines vincit. Id namque in cuiusque morali conscientia personat tamquam repercussa vox quae deleri non potest, primigenii Foederis Dei cum creatura; ab omnibus agnosci potest rationis sub lumine et servari per arcanum Spiritus ministerium qui ubi vult spirat (cfr *Io* 3, 8) atque quemque attingit et complectitur hominem in hoc mundo viventem.

Amoris ideo est servitium omnibus officiose proximo praestandum, ut eius vita custodiatur et usque provehatur, maxime cum debilis est vel minis premitur. Agitur nempe de sollicitudine non modo personali verum et sociali quam omnes colere debemus, locantes tamquam fundamentum renovatae societatis vitae humanae observantiam, nulla inducta condicione.

Rogamur ut cuiusque hominis et mulieris vitam diligamus et observemus atque ut constanter animoseque operemur, ut nostra aetate, quam nimis multa mortiferorum signorum tangunt, nova vitae cultura tandem restituatur quam veritatis amorisque cultus elicit.

CAPUT IV

MIHI FECISTIS

PRO NOVO HUMANAE VITAE CULTU

« Vos autem populus Dei in acquisitionem, ut virtutes annuntietis eius » (1 P e* 2, 9): *populus vitae et pro vita

78. Recepit quidem Ecclesia Evangelium tamquam laetitiae atque salutis nuntium fontem que. Dono accepit ab Iesu, a Patre misso «evangelizare pauperibus» *(Lc* 4, 18). Per Apostolos id accepit, ab Eo missos in mundum universum *(GÎT Me* 16, 15; *Mt* 28, 19-20). Hoc ex evangelizationis opere orta, Ecclesia coti-

die in semet ipsa resonare sentit Apostoli monitorium verbum: « Vae mihi est, si non evangelizavero » *(I Cor* 9, 16). Sicut scripsit Paulus VI: *« Evangelizandi munus habendum est gratia ac vocatio Ecclesiae propria, verissimamque eius indolem exprimit.* Ecclesia evangelizandi causa exstat ».[101]

Opus quidem generale dynamicumque exstat evangelizatio, utpote quod Ecclesiam implicet in eius participatione muneris prophetici, sacerdotalis atque regalis Domini Iesu. Secum fert idcirco illa uno vinculo copulatos *nuntii modos, celebrationis atque ministerii caritatis. Actio* est *penitus ecclesialis,* in causam revocans cunctos diversos Evangelii operarios, ratione habita propriorum cuiusque charismatum proprii que ministerii.

Ita fit etiam cum agitur de *Evangelio vitae* nuntiando, quod est pars explens Evangelium quod est Iesus Christus. Huic Evangelio nos famulamur, roborati illa conscientia nos id dono recepisse nosque missos esse ut idem renuntiemus hominibus cunctis «usque ad ultimum terrae» *(Act* 1, 8). Humilem ideo gratamque fovemus conscientiam nos esse *populum vitae et pro vita,* atque hac sub ratione coram omnibus exhibemus nos.

79. *Populus vitae* sumus quia, amore suo gratuito, *Evangelium vitae* donavit nobis Deus, quo ex Evangelio commutati atque salvati sumus. « Dux vitae » (cfr *A et* 3, 15) nos recupera vit sanguine suo pretioso (cfr *1 Cor* 6, 20; 7, 23; *1 Pe* 1, 19) atque per baptismatis lavacrum compiantati sumus in eo (cfr *Rom* 6, 4-5; *Col* 2, 12), sicut palmites ab unica eadem arbore sucum trahentes fertilitatemque (cfr *Io* 15, 5). Intus renovati gratia Spiritus « qui est Dominus vitamque donat », facti sumus *populus pro vita* atque ut tales nos praebeamus invitamur.

M Utimur: servire vitae non est iactatio nobis sed munus, a conscientia oriens nos esse « populum quem Deus acquisivit ut virtutes eius annuntiet » (cfr 2 Pe 2, 9). Nostro in itinere *nos ducit sustentatque lex amoris:* amor quidem cuius fons et exemplar est Dei Filius homo factus, ipse qui « monendo vitam dedit mundo ».[102]

Mittimur velut populus. Munus serviendi vitae omnes atque singulos obstringit. Responsalitas est proprie « ecclesialis », quae

[101] Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 14: *AAS* 68 (1976), 13.
[102] Cfr *Missale Romanum,* Oratio celebrantis ante communionem.

omnium membrorum omniumque christianae communitatis partium compositam beneficamque postulat operam. Sociale tamen munus *cuiusque personae* responsalitatem non tollit neque minuit, cui sane Domini mandatum dirigitur ut « proximus fíat » cuiuscumque hominis: «Vade et tu fac similiter» *(Lc* 10, 37).

Una simul omnes munus persentimus *nuntiandi Evangelium vitae, id celebrandi* in liturgia inque tota exsistentia, *ei serviendi* variis inceptis formisque praesidii et provectus.

« Quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis » (1 Io 1, 3): *annuntiare Evangelium vitae*

80. « Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae ... annuntiamus et vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum» *(I Io I,* 1.3). *Unicum Evangelium est Iesus:* nihil aliud nobis dicendum et testificandum.

***Vere Iesu nuntius est nuntius vitae.* Ipse enim est « Verbum vitae » *(I Io* 1, 1). In eo « vita apparuit » *(I Io* 1,2); immo ipse est « vita aeterna, quae erat coram Patre et apparuit nobis » *(ibi).* Haec ipsa vita, per Spiritus donum, homini tributa est. Destinata ad vitam consummatam, « ad vitam aeternam », cuiusque etiam terrestris vita suam adipiscitur plenam significationem.**

Hoc *vitae Evangelio* illuminati, id profecto renuntiamus testificamurque eius in peculiari *inopinataque novitate,* quae id denotat: quoniam aequatur cum ipso Iesu, qui novitatis cuiusque est causa[103] atque domitor « senectutis » a peccato originem ducentis atque ad mortem vehentis,[104] hoc Evangelium omnem hominis exspectationem excedit patefacitque quas ad sublimas attollatur celsitudines per gratiae donum personae humanae dignitas. His verbis sanctus Gregorius Nyssenus eam contemplatur: « Is qui pro nihilo in rebus universis reputatus est homo, qui cinis, qui fenum, qui vanitas est, conciliatur, atque in locum filii assumitur a Deo rerum universarum. Quae gratiarum actio huic beneficio par inveniri potest? quae vox, quae sententia, quis cogitatio-

[103] Cfr S. IRENAEUS: « Omnem novitatem attulit, semetipsum afferens, qui fuerat annuntians », *Adversus haereses* IV, 34, 1: *SCh* 100/2, 846-847.

[104] Cfr S. THOMAS AQUINAS: « Peccator inveterascit, recedens a novitate Christi », *In Psalmos Davidis lectura,* 6, 5.

nis motus, quibus insuperabile beneficium celebretur? Excedit homo suam ipsius naturam, immortalis ex mortali; ex fragili atque caduco, integer et incorruptus; ex diario atque temporario, sempiternus; in summa, Deus ex homine evadens ».[105]

Grata beneficii memoria atque laetitia de hominis immensa dignitate impellunt nos ut nuntii huius omnes reddamus participes: « quod vidimus et audivimus, annuntiamus et vobis, ut et vos communionem habeatis nobiscum» *(1 Io* 1, 3). Perveniat oportet *Evangelium vitae* ad cuiusque viri mulierisque cor idemque in totius societatis intimos sensus immittatur.

81. Agitur in primis de huius Evangelii *intima parte* annuntianda. Est quidem nuntius Dei viventis et proximi, qui nos vocat ad altam communionem secum nosque ducit ad vitae aeternae certam spem; exstat illa confirmatio artissimae necessitudinis intercedentis inter humanam personam, eius vitam eiusque corporalitatem; est vitae humanae demonstratio veluti vitae cognationis, doni a Deo recepti, eius amoris fructus simulque notae; renuntiatio est singularis Iesu vinculi cum unoquoque homine, cuius vi agnoscitur in cuiusvis hominis vultu ipsius Christi vultus; significatio est « sinceri doni sui ipsius » veluti munus atque locus plenae effectionis propriae libertatis.

Eodem tamen tempore enumerandae sunt huius ipsius Evangelii *consecutiones,* quae ita summatim perstringi possunt: vita humana, Dei donum pretiosum, sacra et inviolabilis est, eaque de causa, separatim, absolute reiciuntur abortus procuratus atque euthanasia; hominis vita non modo interimenda non est, sed amatoria diligentia tuenda; significationem suam invenit vita in amore recepto atque tradito, sub cuius prospectu plenam adipiscuntur veritatem sexualitas humanaque generatio; hoc in amore dolores quoque et obitus sensum accipiunt atque quamvis maneat mysterium quo involvuntur, fieri possunt salutis eventus; erga vitam observantia postulat ut scientia atque technica ars semper in bonum hominis dirigantur inque eius integram progressionem; a tota hominum societate colenda tuenda atque provehenda est cuiusque humanae personae dignitas, quovis temporis momento atque qualibet in eius vitae condicione.

[105] *De beatitudinibus,* Oratio VII: *PG áá,* 1280.

82. Ut nos praestemus populum vitae servientem constanter audenterque hae doctrinae nobis sunt proponendae iam inde a prima Evangelii nuntiatione atque, dein, *in catechesi inque diversis praedicationis formis, in personali dialogo atque qualibet in institutoria ratione.* Praeceptorum stat munus et educatorum, catechistarum theologorumque apta ponendi in luce *anthropologicas rationes,* reverentiam cuiusvis hominis vitae constituentes atque sustinentes. Hoc modo, dum germanam *Evangelii vitae* collustramus novitatem, omnibus auxilium ministrare poterimus ad detegendum, sub rationis experientiaeque lumine, qua via christianus nuntius hominem plane illustret eiusque naturae et exsistentiae significationem; praestantes inveniemus opportunitates congressionis et dialogi etiam cum non credentibus, qui una simul conamur novam vitae culturam provehere.

Dissimilibus admodum vocibus circumsaeptos, dum sana de hominis vita doctrina a multis reicitur, ad nos etiam dirigitur Pauli supplicatio Timotheo dicta: « praedica verbum, insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra in omni longanimitate et doctrina » *(2 Tim* 4, 2). Resonet oportet adhortatio haec in corde eorum quotquot in Ecclesia altius, quamvis diversa ratione, eius participant munus veritatis « magistrae ». Resonet in primis pro nobis *Episcopis:* a nobis ante omnes flagitatur ut *Evangelii vitae* fiamus strenui nuntii; nobis pariter concreditur munus curandi integram fidelemque propagationem doctrinae his in Litteris Encyclicis iterum propositae atque recurrendi ad commodissima quaeque consilia, ut a qualibet ei contraria doctrina amoveantur christifideles. Praecipua adhibenda est cura ut in theologicis Facultatibus, in Seminariis inque diversis catholicis Institutionibus sanae doctrinae cognitio propagetur collustretur atque altius pervestigetur.[106] Pauli adhortatio pro omnibus resonet *theologis,* pro *pastoribus* et pro iis quotquot *institutioni, catechesi atque mentium formationi* operam dant: de munere sibi tributo conscii, numquam omnino in se recipiant responsalitatem adducendi in discrimen veritatem suamque propriam missionem, dum sententias referunt proprias, contrarias *Evangelio vitae* ab Ecclesiae Magisterio fideliter proposito atque explicato.

[106] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 116: *AAS* 85 (1993), 1224.

Hoc in Evangelio annuntiando, metuendus nobis non est infensus animus popularis ve offensio, atque media consilia et ambiguitas, quae nos accommodarent huius saeculi menti (cfr *Rom* 12, 2), prorsus sunt recusanda. *In mundo* esse debemus, sed non *de mundo* (cfr *Io* 15, 19; 17, 16), virtute nobis a Christo tradita, qui morte et resurrectione sua vicit mundum (cfr *Io* 16, 33).

« Confitebor tibi, quia mirabiliter plasmatus sum » (Ps **139[138], 14):** *celebrare Evangelium vitae*

83. Cum in mundum missi simus tamquam « populus pro vita », nuntius noster fieri debet etiam *vera propriaque Evangelii vitae celebratio.* Immo haec celebratio ipsa, gestuum suorum, imaginum rituumque evocativa virtute, condicio fit pretiosa atque insignita ad pulchritudinem magnitudinemque huius Evangelii transmittendas.

Ad hunc finem oportet quam primum *colantur,* in nobis atque in aliis, *obtutus ac prospectus.*[101] Ille quidem ex fide in Deum vitae oritur, qui hominem quemque mirabiliter plasmavit (cfr Ps 139[138], 14). Obtutus est eius qui vitam intuetur ipsius in altitudine, dum percipit gratuitatis pulchritudinisque eius mensuras ac pro vocationis ad libertatem adque responsalitatem. Obtutus est illius qui rebus potiri non vult, quas tamen veluti donum accipit, in ipsis Creatoris repercussum detegens omnique in persona viventem eius imaginem (cfr *Gn* 1, 27; *Ps* 8, 6). Talis obtutus in deditionem non venit quadam desperatione debilitafus coram infirmis dolentibus et vitae segregibus atque in mortis limine constitutis; his tamen in omnibus rerum condicionibus interrogari se sinit ut inveniat significationem atque, his praesertim in circumstantiis, se aperit ad detegendam in cuiusque personae vultu appellationem ad comparationem, ad dialogum et solidarietatem.

Oportet iam omnes hunc intuitum excipiant, iterum pares facti, animo sancta admiratione pleno, *homini cuique venerando et colendo,* sicut sane nos hortatus est Paulus VI quodam suo na-

[101] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 37: *AAS* 83 (1991), 840.

talicio nuntio. Eiusmodi contemplativo obtutu excitatus, novus redemptorum populus necessario se effundit *laetitiae hymnis, laudis atque gratiarum actionis pro inaestimabili vitae dono,* pro mysterio cuiusque hominis vocationis ad participandam in Christo gratiae vitam communionisque sine fine exsistentiam cum Deo Creatore et Patre.

84. *Celebrare Evangelium vitae idem est ac Deum vitae celebrare,* **Deum scilicet qui donat vitam: « Laudanda est nobis Vita aeterna, ex qua per se, et omnis vita manat; et a qua vivere in omnia quoquo modo vitam participantia, convenienter unicuique, disseminatur ... (Haec) vita divina est per se vitae vivificatrix et effectrix; et omnis vita, vitalisque motio est ex vita quae est supra omnem vitam, et omne principium omnis vitae. Ex ipsa etiam animae habent, quod non intereant, et animantia germinaque quod ultimo vitae gradu gaudeant... (Vita) dat insuper hominibus, licet compositis, vitam quae angelicam proxime attingit, et nos aversos etiam exuberantia benignitatis ad se convertit revocatque, et (quod divinius est) nos totos, animas dico et coniuncta corpora, ad perfectam et immortalem vitam translaturam se promisit: ... (est) vitalis et vitae principialis vita, et omnis vitae causa tamquam omnigena omnisque vita concipitur ac celebratur, et ut nullius indiga, ... vitae superplena ».[109]**

Nos quoque sicut Psalmista *prece cotidiana,* singulari et communi, laudamus benedicimusque Deum Patrem nostrum, qui formavit renes nostros, nos contexuit in utero matris, nosque imperfectos adhuc oculis suis vidit et amavit (cfr *Ps* 139[138], 13. 15-16), atque eximio ardentique gaudio clamamus: « Confitebor tibi, quia mirabiliter plasmatus sum; mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis » *(Ps* 139[138], 14). Ita sane, « haec mortalis vita, praeter angores suos, obscura mysteria sua, dolores suos suamque funestam fragilitatem, est eventus pulcherrimus, mirum semperque ardens ostentum, dignus qui celebretur eventus in laetitia et gloria ».[110] Homo insuper eiusque vita non celsissima inter creationis prodigia tantum apparent: dedit enim

[108] Cfr Nuntius occasione Nativitatis Domini diei festi datus, anno 1967: *AAS* 60 (1968), 40.

[109] PSEUDO-DIONYSIUS AREOPAGITA, *De divinis nominibus* 6, 1-3: *PG* 3, 856-857.

[110] PAULUS PP. VI, *Pensiero alla morte,* Istituto Paolo VI, Brescia 1988, p. 24.

homini Deus divinam fere dignitatem (cfr *Ps* 8, 6-7). Quolibet in puero nascente atque quolibet in homine vivente vel moriente gloriae Dei imaginem agnoscimus: hanc celebramus nos gloriam unoquoque in homine, Dei viventis signo, Christi Iesu imagine.

Ad stuporem expromendum vocamur gratumque animum nostrum ob vitam dono acceptam, adque *Evangelium vitae* excipiendum, fruendum communicandumque non singulari tantum vel communi prece, sed praesertim *per liturgici anni celebrationes.* Memoranda hic sunt singulariter *Sacramenta,* praesentiae vivificantisque Domini Iesu actionis salutaria signa in christiana exsistentia: homines reddunt ea vitae divinae participes, necessarium dum tribuunt spiritale robur ad explendam eius in veritate vivendi significationem et patiendi moriendique. Per veram rituum significationis patefactionem perque eorum aequam existimationem, liturgicae celebrationes, sacramentales singillatim, potestatem usque habebunt plenam enuntiandi veritatem de ortu, de vita, de dolore deque morte, eisque auxilium praebebunt ut has rerum veritates vivant tamquam paschalis mysterii Christi mortui ac resuscitati participationem.

85. In *Evangelio vitae* celebrando *aestimentur* oportet *et magnificentur gestus et signa quibus diversae traditiones consuetudinesque culturales et populares ditantur.* Sunt quidem opportunitates formaeque congressionis quibus, diversis in Civitatibus et civilibus cultus humani formis, patefiunt laetitia pro vita oriente, cuiuslibet humanae exsistentiae reverentia atque tutela, cura pro dolentibus vel ex inopia laborantibus, assiduitas aetate provectis vel morientibus praebita, communicatio doloris cum luctu confectis, immortalitatis spes desideriumque.

Hoc sub prospectu, etiam Patrum Cardinalium in Consistorio anno MCMXCI congregatorum vota excipientes, proponendam censemus unaquaque in Natione annuam *Diei vitae* celebrationem, sicut iam alicubi fit quarundam Episcopalium Conferentiarum inceptu. Paretur necesse est celebretur que eiusmodi Dies diligentem praebentibus operam singulis partibus cuiusque particularis Ecclesiae. Huius celebrationis praecipuum consilium in eo est ut in conscientiis, in familiis, in Ecclesia inque civili societate cognitio excitetur significationis atque boni vitae humanae quovis temporis momento qualibetve in condicione, dum in me-

dia mentis intentione ponitur abortus euthanasiaequè gravitas, quin ceterae neglegantur vitae formae et species, quae attento animo separatis temporibus sunt considerandae, prout historicae rerum condicionis progressus suadebit.

86. In ratione spiritalis cultus Deo grati (cfr *Boni* 12, 1), *Evangelii vitae* celebratio suam postulat effectionem praesertim in *cotidiana exsistentia,* quae in caritate erga alios agitur atque sui ipsius oblatione. Hac ratione tota nostra exsistentia fiet vera et officii conscia acceptio doni vitae atque sincera grataque laus in Deum qui nobis talem tribuit donationem. Quod iam accidit plurimis in signis donationis, modestae saepe et absconditae, quae primos exhibent actores viros et mulieres, parvulos et adultos, iuvenes et seniores, sanos et aegrotos.

Hoc in rerum contextu, humanitatis caritatisque pleno, *heroicae* oriuntur *res gestae.* Quae sunt *solleninissima Evangelii vitae celebratio,* utpote quae illud *tota sui ipsius donatione* proclament; sunt clara supremae caritatis significatio, actio scilicet ponendi vitam pro amico dilecto (cfr *Io* 15, 13); sunt mysterii Crucis participatio, qua Iesus patefacit quantum pretium habeat sibi vita cuiusque hominis atque quo modo ea in sincerae sui ipsius donationis plenitudine efficiatur. Praeter facta celebria rerum cotidianarum exstat heroica virtus, quae parvis magnisve constat beneficentiae actibus unde verus alitur vitae cultus. Quos inter plurimi ducenda est organorum donatio rationibus ethica disciplina probabilibus effecta, ut salutis vel etiam vitae ipsius opportunitas aegris praebeatur omni nonnumquam spe destitutis.

Ad eandem heroicam viam tacita pertinet testificatio fecundissima quidem atque eloquentissima « omnium matrum fortium, quae suae familiae sine condicione se dedunt, quae in dolore pariunt filios suos, quaeque expeditae sunt ad quemlibet laborem aggrediendum, ad quodlibet sacrificium obeundum, ut eis referant quidquid optimum in se custodiant ».[111] In sua missione complenda « heroicae illae matres non semper suo in ambitu au-

[111] IOANNES PAULUS PP. II, Homilia in beatificationem Isidori Bakanja, Elisabethae Canon Mora et Ioannulae Beretta Molla, 24 Aprilis 1994, in « *L'Osservatore Romano* », 25-26 Aprilis 1994, p. 5.

xilium inveniunt. Immo, civilis cultus exemplaria, praedicata saepe atque communicationis socialis instrumentis divulgata, matris condicioni non favent. Progressionis rerumque novarum nomine bona fidelitatis, castitatis sacrificii iam superatum putatur, et tamen in iis nuptarum matrumque christianarum greges eminuerunt et adhuc eminent... Gratias vobis agimus, heroicae matres, de vestra invicta caritate! Gratias vobis agimus de intrepida in Deum inque eius amorem fiducia. Gratias vobis agimus de vitae vestrae sacrificio ... Christus in Paschali mysterio vobis reddit donum quod Ei tribuistis. Ipsi enim est facultas restituendi vitam quam dono Ei pro tulistis ».[112]

« Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? » {Iac* 2, 14): *Evangelio vitae servire

87. Participatione regalis Christi muneris, fulcimentum vitaeque humanae provectus ad effectionem sunt adducenda per ***caritatis servitium,*** quod personali testificatione explicatur, per multiplicia voluntaria munera, sociali animatione atque politico officio. Haec est ***peculiaris momenti postulatio aetate nostra,*** qua « mortis cultura » tam firmiter opponitur « culturae vitae » atque saepe superior evadere videtur. Prius tamen postulatio est quaedam quae oritur ex « fide, quae per caritatem operatur » ***(Gal* 5, 6),** sicut hortatur nos Epistula Iacobi: «Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum? Si frater aut soror nudi sunt et indigent victu cotidiano, dicat autem aliquis de vobis illis: "Ite in pace, calefacimini et saturamini", non dederitis autem eis quae necessaria sunt corporis, quid proderit? Sic et fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa » **(2, 14-17).**

Est in caritatis ministerio ***habitus quidam qui nos concitare atque insignire debet:*** proximum curare nos oportet veluti personam a Deo nostro officio commissam. Tamquam Iesu discipuli, ut praestemus nos cuiusque hominis proximos (cfr ***Lc* 10, 29-37)** vocamur, peculiari utentes diligentia in pauperrimum, admodum solum atque egentissimum. Praesertim adiuvantes esurien-

[112] ***ibid.***

tem, sitientem, hospitem, nudum, infirmum, in carcere inclusum — ut sic etiam infantem nondum natum, senem dolentem vel morti propinquum — nos Christo Iesu famulamur, sicut Ille dixit: « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40). Quam ob rem fieri non potest quin rogemur et iudicemur illa sententia semper valida sancti Ioannis Chrysostomi: «Vis corpus Christi honorare? Non despicias ipsum nudum: neque hic sericis vestibus honores, foris autem frigore ac nuditate afflictum negligas ».[113]

Caritatis servitium erga vitam oportet altam induat unitatem: tolerare non potest singularum partium sententias vel discrimina, quia hominis vita sacra atque inviolabilis est in quolibet suo gradu et condicione; donum est ipsa invisibile. Agitur *de cura habenda totius vitae atque vitae omnium.* Immo, altius adhuc, agitur de itinere ad ipsas vitae caritatisque origines.

Initium prorsus ducendo ex alta in omnem virum mulieremque caritate, per saeculorum decursum orta est *insolita caritatis historia* quae in vitam ecclesialem civilemque induxit plurimas structuras ministerii vitae, quae cuiusque probi spectatoris admirationem excitant. Est historia quam, renovata proprii officii significatione, omnis christiana communitas pergat conscribere oportet multiplici pastorali socialique navitate. Hac ratione ad actum sunt adducendae modestae et efficaces compages *comitandi vitam oborientem,* peculiari modo iuxta matres quae parere atque suum filium instituere non timent etiam deficiente patris auxilio. Par adhibenda est cura erga vitam dolore affectam vel segregatione, peculiari modo senescente iam aetate.

88. Haec omnia secum ferunt constans animosumque *institutorum opus,* quod omnes et quemque sollicitet ut alter alterius onera portet (cfr *Gal 6,* 2); perpetuam quandam postulat provectionem *vocationum ad ministerium,* praesertim inter iuvenes; *propositorum consiliorumque* definitorem continet effectionem, quae firma sint atque Evangelio imbuta.

Multiplicibus profecto idonea ratione atque gravi officio *utendum est instrumentis.* Ipso in vitae ortu, *instituta pro naturalibus f ertilitatis moderandae modis* provehi debent veluti validum

[113] *In Matthaeum,* hom. 50, 3: *PG* 58, 508.

paternitati maternitatique responsali auxilium, in qua persona unaquaeque, initio facto a filio, agnoscitur et observatur per se ipsam, atque quaelibet optio excitatur et gubernatur ratione sincerae donationis sui ipsius. Etiam *familiarum et coniugum consultoria,* per suam consultationis provisionisque singularem industriam actam sub luce cuiusdam anthropologiae quae christianae adhaeret considerationi personae, coniugum et sexualitatis, pretiosum constituunt ministerium ad amoris vitaeque momentum detegendum atque ad omnem sustentandam et comitandam familiam in eius missione « vitae sacrarii ». Vitae orienti serviunt etiam *instituta vitam tuentia atque domus vel instituta ad vitae acceptionis hospitium* posita. Eorum ob navitatem, non paucae innuptae-matres atque coniuges in difficultatibus versantes rursus rationes et persuasiones inveniunt et curam adiumentumque accipiunt ut incommoda timoresque exsuperent in accipienda vita oboriente vel vix nata.

Coram vita in angustiis, in depravatione, morbo et segregatione, alia instrumenta — sicut *communitates sanandis hominibus toxico dependentibus, communitates minoribus vel mente aegris hospitium praebentes, sedes curationis et hospitalitatis pro laborantibus morbo AIDS, consociationes solidarietatis praesertim pro inhabilibus* — clara exstant significatio rerum quas caritas invenire novit ut cuique novas spei rationes atque definitas vitae condiciones exhibeat.

Sub exitum autem terrestris vitae, caritas adhuc modos quosdam peraptos invenit ut *senes,* peculiariter qui opibus suis sufficienter non sunt praediti, atque *insanabiliter aegrotantes,* de cura humana gaudere possint ac rectas responsiones accipere postulationibus suis, singulari modo anxietati suae et solitudini. Familiarum officium substitui non potest his in casibus: suum tamen validum auxilium illae reperire possunt in socialibus adiutoriis praestandis structuris et, cum necesse est, in usurpatione *curarum dolorem lenientium,* aptis adhibitis sanitatis socialisque rationis ministeriis tum in hospitiis publicis tum domi praestitis.

Iterum proprie est considerandum momentum *valetudinariorum, clinicarum* atque *curationis domorum:* eorum vera proprietas non spectat solummodo ad instituendas structuras in quibus cura agatur aegrotorum et morientium, sed praesertim ad prae-

bendos ambitus in quibus angustia, dolor atque mors agnoscuntur et explanantur in sua ipsarum humana notione proprieque christiana. Singillatim talis identitas clara et valida apparere debet *in institutis quae a religiosis diriguntur vel, quavis ratione, quae cum Ecclesia nectuntur.*

89. Hae compages atque sedes ministerii erga vitam, omniaque alia incepta praesidii causa et solidarietatis inita prout rerum adiuncta interdum suadere poterunt, incitentur oportet *a personis bénéfice praeparatis quae plane sint consciae* fortitudinis *Evangelii vitae* pro bono singulorum et societatis.

Peculiaris profecto responsalitas committitur sanitatis ministris qui sunt: medici, pharmacopolae, aegrorum ministri, cappellani, religiosi viri et mulieres, administratores atque voluntarii adiutores. Eorum ipsorum munus eos custodes vitaeque hominis cultores constituit. In culturali socialique nostrae aetatis contextu, cum est periculum ne scientia et ars medica amittant suam germanam ethicam rationem, ipsi graviter aliquando sollicitari possunt ut artifices fiant in vita adulteranda, vel etiam mortis actores. Prae eiusmodi temptatione eorum responsalitas hodie maxima facta est suamque altissimam reperit incitationem firmissimum que adiumentum in interiore necessariaque morali mensura medicae professionis, sicut iam illud semperque validum confirmavit *Hippocratis iusiurandum,* secundum quod cuique medico est adlaborandum pro absoluta vitae humanae reverentia eiusque sacra indole.

Integra cuiusque humanae vitae innocentis observantia *usum* etiam postulat *repugnantiae ex conscientia* coram abortione procurata atque euthanasia. Numquam « occidendi actio » considerari potest cura quaedam medica, ne tum quidem cum propositum solum inest obsequendi cuidam postulationi aegroti: agitur enim potius de sententia contraria professioni medicae, cuius est ardenter firmiterque vitam fovere. Investigatio etiam biomedica, provincia quidem alliciens atque nova magna beneficia promittens in commodum humani generis, repellere semper debet exercitationes, inquisitiones inductionesve quae, inviolabilem dignitatem humanam neglegentes, iam hominum ministerio non inserviunt et mutantur in rerum veritates quae, dum eos iuvare videntur, ipsos opprimunt.

90. Ad singulares peragendas partes vocantur *personae voluntarium exercentes ministerium:* validam ferunt opem in vitae adiumentum, cum professionalem nectunt facultatem cum sincera gratuitaque caritate. *Evangelium vitae* eos incitat ut merae philanthropiae sensus efferant ad caritatis Christi modum; ut cotidie récupèrent, inter fatigationes ac lassitudines, dignitatis cuiusque hominis conscientiam; ut personarum necessitates explorent, initis, si necesse fuerit, novis itineribus ubi instantius premit necessitas, cura vero et adiumentum sunt debiliora.

Tenax veritas caritatis postulat ut *Evangelio vitae* etiam per *modos incitationis socialis atque publici officii* serviatur, dum vitae momentum defenditur atque proponitur in nostra societate magis in dies implicata et multis patente opinionibus. *Singuli, familiae, coetus, associationes* habent, titulo quidem atque modo diverso, responsalitatem quandam in animatione sociali atque in conficiendis propositis culturalibus, oeconomicis, politicis et ad leges scribendas pertinentibus quae, omnium iuribus servatis atque secundum rationem consociationis popularis, operam dent ad aedificandam quandam societatem in qua cuiusque personae dignitas agnoscatur et observetur, et omnium vita defendatur et provehatur.

Eiusmodi officium peculiari ratione ad *illos spectat qui rem publicam gubernant.* Selecti ut homini atque communi bono inserviant, debent animosas pro vita perficere electiones, in ambitu praesertim *praeceptorum legibus constitutorum.* Popularibus in regiminibus, ubi leges sententiaeque secundum multorum consensionem feruntur, minui quidem potest in cuiusque conscientia eorum qui auctoritate fruuntur ipsa propriorum officiorum responsalitas. Hanc tamen deponere nemini unquam licet, maxime cum cui data est potestas legum ferendarum aut consiliorum capiendorum, unde obstringitur ut Deo suaeque conscientiae respondeat necnon omni societati de decisionibus quae forsan genuino bono communi obstiterint. Tametsi leges non unicum sunt instrumentum, quo vita humana defendatur, partes tamen magni momenti explicant, immo praegraves aliquando, in cuiusdam mentis consuetudinisque provectione. Iterum dicimus: norma quae naturalem legem violat ad vitam cuiusdam innocentis pertinentem, est iniusta ideoque legis momentum habere non potest. Quam ob rem fortiter iteramus exhortationem

Nostram ad omnes viros politicos ne promulgent leges quae, personae dignitatem neglegentes, funditus ipsam civilem eonvictionem exténuent.

Novit Ecclesia difficile esse in popularis regiminis plurium partium ambitu, ob fortium culturalium opinationum et quidem diversae propensionis instantiam, validam legalemque inducere vitae tutelam. Firmiter tamen tenet necessario in cuiusvis hominis ima conscientia moralem veritatem habere altam resonantiam, ideoque politicos viros hortatur, christianos in primis, ne animo deficiant, sed potius optiones faciant quae, ratione habita verarum opportunitatum, iustum restituant rerum ordinem vitae bono confirmando provehendoque. Hoc sub rerum prospectu prae oculis habeatur non sufficere iniquarum legum amotionem. Causae sunt removendae violationem vitae foventes, atque praesertim familiae matrumque condicioni aequum tribuendum est tutamentum: *familiaris disciplina* constituatur oportet *omnium socialium et politicarum rationum* cardo atque gubernatrix. Incepta ideo instituantur socialia et ad leges composita, quae verae libertatis tueantur condiciones in paternitatis maternitatisque optione agenda; iterum praeterea componendae sunt operum disciplinae, urbis constituendae consilia necnon domorum ministeriorumque exercendorum, ut tempora operibus familiaeque tribuenda inter se concilientur atque infantium senumque curatio reapse effici possit.

91. Pars quidem magni momenti in arte politica pro vita hodie efficitur ex *quaestionibus demographicis.* Magistratuum profecto est « consilia capere ad populi demographiam dirigendam »;[114] eiusmodi tamen consilia praesumere semper et observare debent praecipuam atque non inalienabilem responsalitatem coniugum et familiarum, neque uti possunt rationibus parum reverentibus personam eiusque capitalia iura, initio ducto ab iure ad vitam cuiusvis personae humanae innocentis. Nulla ergo morali ratione permitti potest ut, ad natorum continendum numerum, suadeantur nedum iniungantur viae quales sunt anticonceptio, sterilizatio et abortus.

Catholicae Ecclesiae Catechismus, n. 2372.

Aliae prorsus sunt viae ad quaestionem demographicam resolvendam: Res publicae variaque internationalia Instituta spectare debent in primis ad creandas condiciones oeconomicas, sociales, ad salutem pertinentes et culturales quae coniugibus permittant eligere procreationem plena libertate veraque responsalitate; oportet etiam contendant in « occasionibus corroborandis et divitiis maiore iustitia distribuendis, ut omnes aequo modo bona creata participent. Necesse est solutiones creentur per omnem orbem valentes, genuinam instaurando *oeconomiam communionis distributionisque bonorum,* tum in campo internationali tum nationali ».[115] Haec sola est via quae personarum familiarumque dignitatem servet germanumque ipsum populorum culturale patrimonium.

Amplum igitur et multiplex est erga *Evangelium vitae* ministerium. Nobis apparet illud magis magisque veluti ambitus pretiosus atque propitius ad diligentem navitatem cum fratribus aliarum Ecclesiarum et ecclesialium Communitatum promovendam secundum illud *optatum operum oecumenismi* cui Concilium Vaticanum II graviter quidem favit.[116] Exhibetur etiam opportuna provincia ad dialogum atque operam consociandam cum aliarum religionum assectatoribus cunctisque cum bonae voluntatis hominibus: *defensio atque humanae vitae provectus nullius hominis sunt monopolium, sed omnium munus et responsalitas.* Provocatio quae ob oculos versatur tertio millennio adveniente est ardua profecto: solummodo consentiens opus consociatum omnium qui momentum tribuunt vitae vitabit civilis cultus interitum cuius consecutiones neque mente fingi possunt.

« Ecce hereditas Domini filii, merces fructus ventris » (Ps 127 [126], 3): *familia « vitae sacrarium »*

92. Intra « populum vitae et pro vita », *decretoria est familiae responsalitas:* quae quidem profluit ex ipsa eius natura — prout scilicet illa est communitas vitae amorisque, matrimonio nixa — atque ex eius officio « custodiendi, revelandi et communicandi

[115] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad participes IV Conferentiae Generalis Episcopatus Americae Latinae in urbe Sancti Dominici (12 Octobris 1992), 15: *AAS* 85 (1993), 819.

[116] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *unitatis redintegratio,* 12; Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 90.

amorem ».[117] Agitur de amore ipso Dei, cuius parentes constituti sunt adiutores et fere interpretes in vita transmittenda eaque educanda secundum consilium eius uti Patris.[118] Est igitur amor qui fit gratia, acceptio, donatio: in familia quisque agnoscitur, observatur et honoratur quatenus est persona, et si quis est egentior, intentior ac vigilantior in eum est cura.

Familia provocatur per totum vitae ipsius sodalium spatium, ab oriente vita ad mortem. Ipsa est vere *« vitae sacrarium* **locus ubi vita, Dei donum, apte accipi potest et defendi contra multiplices incursiones quibus obicitur, et crescere valet prout verus humanus postulat actus ».[119] Hanc ob causam,** *decretorium atque pernecessarium* **est familiae officium in cultura / vitae contexenda.**

Familia sicut *ecclesia domestica* **vocatur ad annuntiandum, celebrandum atque adiuvandum** *Evangelium vitae.* **Illud spectat praesertim ad coniuges qui vocantur ut tramites sint vitae, fundamento posito in continenter renovata** *sensus generationis* **conscientia, quae eventus praecipuus habetur quo ostenditur** *vitam humanam idcirco dono accipi ut vicissim donetur.* **In nova vita procreanda parentes animadvertunt filium, « fructum mutuae donationis in amore, donum vicissim ambobus exstare, donum nempe ex dono profluens ».[120]**

Suam annuntiandi *Evangelium vitae* **operam familia praesertim per** *filiorum institutionem* **explet. Verbis et exemplo, in cotidianis necessitudinibus et optionibus, per gestus et clara signa, parentes filios ad veram instruunt libertatem, quae ad effectum adducitur per sinceram sui ipsius donationem, et in iis observantiam colunt alterius, iustitiae sensum, fervidam acceptionem, dialogum, promptum adiutorium, hominum mutuam necessitudinem necnon quodlibet aliud bonum ad vitam agendam**

[117] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 17: *AAS* 74 (1982), 100.

[118] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 50.

[119] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 39: *AAS* 83 (1991), 842.

[120] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad participes VII conventus Episcoporum Europae de argumento « Habitus aetate nostra erga nativitatem mortemque: provocatio quaedam ad evangelizandum » (17 Octobris 1989), 5: *Insegnamenti* XII, 2 (1989), 945. Filii exhibentur veluti donum quoddam in biblica traditione (cfr *Ps* 127(126], 3); ii sunt signum benedictionis in hominem qui ambulat in viis Domini (cfr *Ps* 128[127], 3-4).

veluti donationem. Oportet institutoria opera christianorum parentum inserviat filiorum fidei atque adiumentum fiat iis oblatum ut vocationem expleant a Deo acceptam. Pertinet porro ad institutoriam parentum industriam docere filios atque testificari verum doloris et mortis sensum: illud explere poterunt si valebunt animum intendere ad circumstantes dolores et multo prius si scierint vicinitatis excolere affectiones, adiutricis operae atque benevolentiam erga aegrotos et senes in ipso familiari ambitu.

93. Familia praeterea *Evangelium vitae celebrat prece cotidiana,* singulari ac familiari: laudat per eam et gratias agit Domino ob vitae donum atque lucem exposcit et robur ad difficultatis dolorisque vincenda discrimina, semper spem servans. At celebratio quae profert alias precis cultusque divini formas, illa est *quae in familiae cotidiana exsistentia* sese declarat, si exsistentia amore donationeque constat.

Celebratio sic mutatur in *ministerium Evangelio vitae,* quod exprimitur per *consociatam operam,* quae sane intus et circa familiam probatur veluti sollicita curiosaque animi intentio cotidianis in humilibusque et parvis actionibus. Consociatae inter familias operae declaratio significantior est quidem prompta voluntas *adoptationis* vel *tutelae* puerorum a parentibus derelictorum vel quoquo modo in gravis discriminis condicionibus versantium. Sincerus matris patrisque amor novit etiam ultra carnis sanguinisque necessitudinem aliarum familiarum excipere pueros eisque omnia necessaria tribuere, ut ipsis vita et progressio plena praestentur. Inter adoptationis formas digna prorsus quae etiam proponatur est *adoptatio e longinquo,* quae quidem anteponenda videtur quotiescumque relictio oritur dumtaxat ex condicionibus gravis paupertatis ipsius familiae. Eiusmodi enim adoptatione parentibus adiumenta praebentur necessaria ad sustentandos educandosque filios, nulla inducta necessitate eos amovendi ab ipsorum naturali ambitu.

Si intellegitur veluti « voluntas firma et constans bonum curandi commune »,[121] solidarietas postulat ut efficiatur etiam per *socialis politicaeque communicationis formas.* Servire igitur *Evange-*

[121] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987) 38: *AAS* 80 (1988), 565-566.

lio vitae postulat ut familiae, praesertim per participationem congruarum consociationum, gnavam dent operam ne leges atque Rei publicae institutiones quavis ratione ius ad vitam laedant, a conceptione ad usque naturalem mortem, immo id defendant provehant que.

94. Peculiaris habenda est ratio *de hominibus aetate provectis.* Dum enim quibusdam in culturis persona annis senior custoditur in familia actuosa cum industria, aliis vero in culturis inutile pondus habetur senex atque sibi ipsi relinquitur: hac in rerum condicione acrior fit sollicitatio decurrendi ad euthanasiam.

Senum exclusio a sociali vita vel eorum plana repudiatio ma/la sunt quae tolerari non possunt. Eorum in familia praesentia vel saltem familiae vicinitas, cum ob domiciliorum angustias aliave de causa eiusmodi praesentia haberi non possit, maximum induunt momentum in habitu constituendo alternae vicissitudinis atque locupletis communicationis inter diversas vitae aetates. Oportet ergo servetur vel instauretur ubi amissa est quaedam inter generationes « pactio », ut parentes seniores itineris sui finem attingentes filiorum benignitatem experiantur solidarietatemque quam alii erga eos vitam ingredientes significaverunt: postulat id obtemperantia mandato divino *colendi patrem matremque* (cfr *Ex* 20, 12; *Lv* 19, 3). Nec id solum. Senex enim non est solummodo habendus benevolentiae obiectum, affectionis coniunctionisque. Etiam ipse potest pretiosam operam *Evangelio vitae* conferre. Potest et debet, ob praestans patrimonium experientiae per annorum decursum acceptum, *sapientiae distributor fieri, spei et caritatis testis.*

Si quidem illud verum est quod « sors futura hominum generis e familia pendet »,[122] necesse est agnoscamus aetate nostra condiciones sociales, oeconomicas culturalesque saepe magis arduum graviusque reddere familiae officium vitae inserviendi. Oportet atque urget ut *ipsa familia adiuvetur et sustineatur* in sua explenda vocatione « sacrarii vitae », cellulae scilicet illius societatis quae vitam amet et suscipiat. Ab hominum societate Civitatibusque tribuendum est subsidium vel oeconomicum, quo

[122] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 85: *AAS* 74 (1982), 188.

accepto difficultatibus suis familiae respondere valeant humaniore ratione. Ecclesia vicissim enixe fovere debet pastoralem navitatem quae par sit ut quamque familiam incitet ut reperiat laetanterque et animose vivat suam erga *Evangelium vitae* missionem.

« Ut filii lucis ambulate » (Eph 5, 8): *ad conversionem quandam culturalem efficiendam*

95. **«Ut filii lucis ambulate ... probantes quid sit beneplacitum Domino, et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum» *(Eph* 5, 8.10-11). In aetatis nostrae statu sociali, signato gravi contentione inter « culturam vitae » et « culturam mortis », oportet *altus inducatur criticus sensus,* ut vera dignoscantur bona germanaeque necessitates.**

Quam primum inducantur necesse est *generalis conscientiarum motus moralisque communis nisus,* qui excitare valeant *validum sane opus ad vitam tuendam: omnibus nobis simul coniunctis nova exstruenda est vitae cultura:* nova, quae scilicet possit hodiernas de vita hominis inéditas quaestiones suscipere atque solvere; nova, utpote quae acriore et alacriore ratione omnium christianorum conscientiam permoveat; nova demum, quae accommodata sit ad gravem animosamque culturalem suscitandam comparationem cum omnibus. Huius culturalis conversionis necessitas coniungitur cum aetatis nostrae historica rerum condicione, at praesertim inhaeret in ipso evangelizandi munere quod proprium est Ecclesiae. Evangelium enim eo spectat « ut perficiat interiorem mutationem » et « humanitatem novam efficiat »;[123] est veluti fermentum quo pasta tota fermentatur (cfr *Mt* 13, 33), atque, qua tale, perfundere debet omnes culturas easque intus pervadere,[124] ut integram declarent de homine deque eius vita veritatem.

Initium faciendum est a *vitae cultura renovanda intra ipsas christianas communitates.* Nimis enim saepe fideles, vel qui navam gerunt operam in ecclesiali vita, seiunctionem quandam

[123] PAULUS VI, Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 18: *AAS* 68 (1976), 17.

[124] Cfr *ibidem,* 20, *l.m.* 18.

inferunt inter christianam fidem eiusque moralia circa vitam postulata, progredientes hac ratione ad moralem quendam subiectivismum adque vivendi mores qui probari non possunt. Nos ipsos igitur simili cum perspicuitate magnoque animo percontari debemus de cultura vitae quae hac aetate magis vulgata est inter singulos christianos, inter familias, coetus nostrarumque dioecesium communitates. Eadem perspicuitate eodemque consilio seligantur itinera nobis persequenda ut vitae serviamus secundum eius veritatis plenitudinem. Simul vero comparatio provehenda est acris quidem altaque cum omnibus, etiam cum non credentibus, de praecipuis vitae humanae quaestionibus, in locis ubi notiones et cogitationes enodantur sicut diversis in provinciis artium ac professionum atque ubi cuiusque hominis cotidie transigitur vita.

96. Primus fundamentalisque gressus ad hanc culturalem mutationem consistit in ***moralis conscientiae institutione*** **de immenso inviolabili que cuiusque humanae vitae bono. Maxime interest ut** ***necessarius detegatur nexus inter vitam libertatemque.*** **Bona sunt quae dividi non possunt: cum alterum laeditur, necesse est ut etiam alterum laedatur. Vera libertas non est ubi vita non colitur et diligitur; neque plena est vita nisi in libertate. Duae autem hae rerum veritates necessitudinem insitam peculiaremque continent qua indissolubili modo nectuntur: vocationem ad amorem. Hic amor, prout sincerum sui ipsius donum,[125] firmissimus est sensus vitae atque libertatis cuiusque personae.**

Haud minoris ponderis in conscientia informanda est ***nova detectio constitutivi vinculi quod libertatem cum veritate coniungit.*** **Ut haud semel confirmavimus, si libertas ab obiectiva veritate abstrahitur, iura hominis solido rationis fundamento niti nequeunt, atque hac ratione principia ponuntur quorum virtute in vita sociali sive anarchicum arbitrium singulorum sive absolutum regimen contumeliosum publicae auctoritatis constituantur.[126]**

[125] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past, De Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 24.

[126] Cfr Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 17: *AAS* 83 (1991), 814; Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 95-101: *AAS* 85 (1993), 1208-1213.

Pernecessarium itaque censetur ut homo originalem perspiciat suae condicionis evidentiam qua creaturae, quae a Deo exsistentiam et vitam tamquam donum et munus accipit: tantummodo hanc suam agnoscens innatam dependentiam in propria exsistentia, homo suam libertatem et vitam plene perficere potest simulque vitam et libertatem cuiusque alterius hominis radicitus revereri. Hic praesertim « mediam ... partem cuiuslibet culturae occupat hominis adfectus ante maximum omnium arcanum: Dei mysterium ».[127] Quoties Deus negatur, et vivitur tamquam Ille non sit vel nulla iam habetur ratio eius mandatorum, negantur facile quoque et laeduntur personae humanae dignitas eiusque vitae inviolabilitas.

97. Conscientiae formationi arte consociatur *opus institutorium,* **quod hominem iuvat ut in dies magis homo fiat, magis magisque eum in veritatem inserit, ad provectiorem vitae observationem convertit, ad aequas inter personas necessitudines format.**

Peculiarem in modum necesse est ut institutio fiat ad bonum vitae *initio sumpto ab ipsis eius radicibus.* **Inanis est spes verum humanae vitae cultum construendi, cum iuvenes auxilio privantur ad accipiendam et vivendam sexualitatem, amorem et vitam secundum authenticum eorum sensum eorumque in intima cohaerentia. Sexualitas, totius personae thesaurus, « suam demonstrat intimam significationem, dum provehit hominem ad sui donum in amore ».[128] Vulgaris sexualitatis subaestimatio inter praecipuas enumeratur causas quae ad vitae nascentis contemptionem ducunt: verus dumtaxat amor scit vitam custodire. Nemo itaque eximitur ab onere praebendi adulescentibus potissimum et iuvenibus authenticam** *educationem ad sexualitatem et ad amorem,* **ad institutionem quae** *formationem ad castitatem* **complectitur, quae maturitati personae favet eamque idoneam reddit ad « sponsalem » corporis significationem colendam.**

Munus institutionis ad vitam secumfert *formationem coniugum ad consciam officiorum procreationem.* **Quae quidem, germa-**

[127] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl. *Centesimus annus* (1 Maii 1991), 24: *AAS* 83 (1991], 822.

[128] IOANNES PAULUS PP. II, Adhort. Ap. post-synodalis *Familiaris consortio* (22 Novembris 1981), 37: *AAS* 74 (1982), 128.

na ex sua significatione, postulat ut sponsi dociles fiant vocanti Domino et veluti fideles eius consilii interpretes operentur: quod sane accidit cum coniuges propriam familiam liberaliter ad novas vitas procreandas statuunt aperire, atque sese ostendunt vere ad vitam apertos et adiutores, etiam ubi seriis de causis moralibusque praeceptis observatis ipsi animum inducant ut ad certum vel ad incertum tempus alium filium non gignant. Lex tamen moralis eos obstringit ut in quavis condicione inclinationes naturae motusque tempèrent ac leges biologicas in se ipsis inscriptas observent. Quae omnino observantia, conscio procreandi officio proveniens, *legitimum reddit usum naturalium rationum fecunditatis moderandae:* in dies perfectius usque definiuntur sub aspectu scientifico, atque finitas tribuunt facultates optionum moralibus cum principiis congruentium. Aequa existimatio consecutionum inde perceptarum ducere debet ad quasdam opiniones nimium adhuc diffusas tollendas atque ad coniuges necnon administros sanitatis et adiutores sociales monendus de momento huiusmodi accommodatae formationis. Ecclesia gratam se praebet erga eos qui sua ipsorum cum iactura atque deditione, saepe male intellecta, has vias pervestigare ac diffundere nituntur, dum simul promovent educationem ad virtutes morales, quas illarum usus implicat.

Opus institutorum neglegere non potest dolorem atque obitum. Reapse, iidem partem constituunt experimenti cuiusque personae, idcirco futtile est, non solum devium, velle eos censura afficere aut submovere. Unusquisque vero iuvandus est ad altissimum eorum mysterium in concreta arduaque veritate deligendum. Dolor quoque et aegritudo significatione quadam vescuntur et excellentia, cum sentiuntur arte coniuncta cum amore recepto et communicato. Hac de causa statuimus ut unoquoque anno celebretur *Dies Mundialis Aegrotis* dicatus, in luce ponentes « salutiferam indolem oblationis dolorum qui in communione cum Christo suscepti ad intimam pertinent redemptionis partem ».[129] Immo, neque mors est eventus a spe seiunctus: porta est exsistentiae quae reseratur versus aeternitatem, atque iis quotquot eam in Christo exigunt experientia est participationis cum eius mysterio mortis et resurrectionis.

[129] Epistula qua constituitur Dies Mundialis Aegrotis dicatus (13 Maii 1992), 2: *Insegnamenti* XV, 1 (1992), 1410.

98. Summatim dicere possumus conversionem culturalem hic exoptatam deposcere fortitudinem ab omnibus *ad novam vitae rationem suscipiendam,* quae declaratur dum sub optionum specificarum fundamento — in ambitu personali familiari sociali et internationali — defigi tur aequa bonorum mensura: *principatus exsistentiae supra possessionem, principatus personarum supra res ipsas.*[131] Haec renovata vitae ratio transitionem etiam implicat *ab animo indifferenti* ad curam erga proximum atque *ab eiusdem reiectione ad receptionem:* ceteri censendi non sunt competitores quibus sit resistendum, verum fratres et sorores quibuscum necessitudo est instituenda; per se ipsi sunt diligendi; ipsa eorum praesentia ditiores nos reddit.

A motu hoc novam vitae culturam promovendi nemo exclusum se sentiat: *unusquisque suum grave munus implendum habet.* Una cum familiarum officio, maxime necessarium est illud *docentium* et *educatorum.* In illorum praesertim est potestate si iuvenes, ad veram libertatem instituti, custodire noverint in semet ipsis necnon circum se diffundere germanas species vitae atque in cuiusque personae observantia et famulatu apud societatem domumque propriam crescere discent.

Docti quoque *ac doctae* ad novum humanae vitae cultum aedificandum conferre plurimum possunt. Peculiare sane officium decet doctos *catholicos,* quorum est navam operam explicare in praestantioribus sedibus humano cultui efformando, in orbe scholarum et apud Studiorum Universitates, in campo scientificae et technicae investigationis, in locis ad artes creandas humanioresque notiones meditandas pertinentibus. Dum eorum ingenium eorumque agendi actio claro Evangelii suco nutriuntur, ipsorum erit partes proprias conferre ad novam vitae culturam provehendam magni momenti adiumenta ferendo, quae comprobata sint et talia ut ob suam praestantiam, observationem ac benevolentiam omnium sibi comparent. Proprie hoc sub prospectu *Pontificiam Academiam pro Vita* constituimus, cuius erit peculiare officium « perscrutari, docere et

[130] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 35; PAULUS PP. VI, Litt. Encycl. *Populorum progressio* (26 Martii 1967), 15: *AAS* 59 (1967), 265.

[131] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litterae Familiis datae *Gratissimam sane* (2 Februarii 1994), 13: *AAS* 86 (1994), 892.

instruere circa praecipuas quaestiones ad biomedicinam adque iura pertinentes, quae vitam provehendam et tuendam respiciunt, quaeque potissimum cum morali christiana et Ecclesiae Magisterii praescriptis necessitudinem habent ».[132] Peculiaris opitulatio capienda est etiam ex ***Studiorum Universitatibus,*** **praesertim** ***catholicis et*** **ex** ***Sedibus, Institutis et Comitatibus pro Bioethica.***

Ingens graveque officium obstringit homines ***instrumenta communicationis socialis gerentes,*** **qui ad studium invitantur ut nuntii tanta efficacitate diffusi ad vitae culturam conferant. Excelsa tum ac sublimia vitae exempla exhibeant oportet atque positiva et aliquando heroica amoris testimonia erga hominem apto in lumine ponant; summa veneratione praestantiam sexualitatis et amoris significent, nulla interposita dubitatione circa ea quae hominis dignitatem deturpant vel despiciunt. Cum aspiciuntur hodiernae vitae eventus, omnino devitent ne in luce collocentur ea quae insinuare possint aut augere sensus vel habitus lentitudinis animi, contemptionis vel repudiationis vitae. In religiosa fidelitate veritati rerum gestarum danda, invitantur ut libertatem informationis, venerationem cuiusque personae et altum humanitatis sensum simul coniungant.**

99. In culturali conversione pro vita, ***mulieribus*** **tribuitur prorsus singulare fortasse et decretorium cogitationis et actionis spatium: ipsarum enim est promovere « novum feminismum » qui agnoscere valeat et proferre veram indolem femininam in quolibet convictus civilis gestu, quin in temptationem incurratur imitandi exemplaria « cultus nimii virilitatis », dum opera datur, ut omnino quodvis genus amoveatur discriminationis violentiae et abusus.**

Nos quoque, verba nuntii sub conclusionem Concilii Vaticani II repetentes, hac instanti invitatione mulieres alloquimur: ***« Homines cum vita reconciliate*** **».[133] Vocatae estis ad testificandam** ***significationem veri amoris,*** **illius nempe doni sui et receptionis alterius quae in coniugali societate singillatim adim-**

[132] IOANNES PAULUS PP. II, Motu proprio *Vitae mysterium* (11 Februarii 1994), 4: *AAS* 86 (1994), 386-387.

[133] *Concilii nuntii quibusdam hominum ordinibus dati* (8 Decembris 1965), *Aux femmes: AAS* 58 (1966), 13..

plentur, quae tamen velut anima cuiusque alterius relationis interpersonalis effici debent. Experientia maternitatis favet in vobis acutae perceptioni adfectus erga alterum et interea proprium vobis quoddam munus concredit: « Singularem quandam communionem cum vitae mysterio, quae in matris visceribus maturescit, in se complectitur maternitas ... Praecipuus hic modus consortionis cum novo homine, qui paulatim conformatur, ipse vicissim animi talem habitum gignit erga hominem — non tantum proprium in filium sed etiam erga hominem in universum — ut altissime iam totum exprimat mulieris ingenium ».[134] Mater enim excipit secumque fert alterum, ei modum intra se crescendi largitur, spatium tribuit illi ipsum veneratione prosequens in ipsius alteritate. Ita mulier percipit et docet humanum consortium solummodo authenticum esse cum aperitur ad receptionem alterius personae, agnitae et dilectae ob dignitatem quae illi provenit ex eo quod est persona, non vero aliis de causis, uti sunt: commoditas, robur, intellegentia, pulchritudo, valetudo. Hoc est enim praecipuum adiumentum quod Ecclesia humanumque genus a mulieribus exspectant. Haec necessaria est ad authenticam conversionem culturalem praeparatio.

Singularem cogitationem ad vos vertimus, *mulieres, quae abortum* procuravistis. Ecclesia probe novit quot condiciones ad tale consilium sumendum vos adduxerint, pariterque novit plerumque quoddam haud facile, fortasse miserandum, intercessisse propositum. Vulnus, quod animum vestrum sauciavit, forsitan nondum cicatrice est obductum. Revera, id quod tunc contigit, aliquid prorsus iniustum fuit et remanet. Attamen nolite animo deficere nec spem relinquere. Id potius percipi te quod evenit idque in eius veritate interpretamini. Quod si necdum fecistis, cor vestrum humili ac fidenti ratione ad compunctionem aperite: misericordiarum Pater vos exspectat ut veniam vobis offerat et pacem in Sacramento Reconciliationis. Infantem autem vestrum potestis Eidem Patri Eiusque misericordiae cum spe committere. Consilio, amicorum peritorumque affectu suffultae, poteritis vestro difficili testimonio inter eloquentiores iuris omnium ad vitam propugnatores recenseri. Per vestrum ad

[134] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Ap. *Mulieris dignitatem* (15 Augusti 1988), 18: *AAS* 80 (1988), 1696.

vitae tutelam munus, quod in effectum forsitan perduxistis novarum creaturarum ortu atque exercuistis receptione necnon praesidio pro hominibus magis propinquitate egentibus, artifices eritis novae rationis contuendi vitam hominis.

100. Hac in ingenti navitate novo vitae cultui provehendo, *fulcimur et confirmantur fiducia* illius qui bene novit *Evangelium vitae,* sicut Regnum Dei, crescere uberesque fructus edere (cfr *Me* 4, 26-29). Infinita est enim inaequalitas inter instrumenta, copiosa quidem et valida, quibus praeditae sunt vires foventes « culturam mortis », et instrumenta quibus fautores « culturae vitae et amoris » instruuntur. Nos tamen recte scimus in Domino nos confidere posse, apud quem nihil sit impossibile (cfr *Mt* 19, 26).

Hanc in animo nutrientes certitudinem et intima sollicitudine compulsi de cuiusque viri et mulieris condicionibus, hodie ea repetimus quae diximus familiis ardua munia exsequi nitentibus inter insidias quae illis adversantur.[135] *Summa flagitatur pro vita precatio,* quae universum mundum pervadat. Extraordinariis inceptis et cotidianis precibus, singulis ex communitatibus christianis, singulis e coetibus vel societatibus, ex singulis familiis et ex corde singulorum credentium, effundatur Deo Conditori vitaeque amanti fervida supplicatio. Ipse Iesus proprio nobis ostendit exemplo orationem et ieiunium praecipua esse arma validioraque contra tenebrarum potestates (cfr *Mt* 4, 1-11), suosque discipulos docuit quoddam demoniorum genus dumtaxat hoc modo expelli posse (cfr *Me* 9, 29). Humilitatem itaque et audaciam denuo reperiamus *orandi et ieiunandi,* ut fortitudo ex Alto proveniens deceptionis et mendacii muros corruere faciat, qui tot nostrorum fratrum sororumque oculos pravam celant indolem actionum et legum quae vitae adversantur, atque eorum corda aperiat ad consilia et proposita vitae et amoris cultu infiammata.

« Haec scribimus nos, ut gaudium nostrum sit plenum » (1 Io 1, 4): *« Evangelium vitae pro hominum civitate datur »*

101. « Haec scribimus nos, ut gaudium nostrum sit plenum » *(1 Io* 1, 4). *Evangelii vitae* revelatio data est nobis tamquam do-

[135] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Litterae Familiis datae *Gratissimam sane* (2 Februarii 1994), 5: *AAS* 86 (1994), 872.

num cum omnibus communicandum: ut omnes homines nobiscum et cum Trinitate communionem habeant (cfr *1 Io* 1, 3). Ne nos quidem pleno gaudio frui possumus si hoc Evangelium aliis non impertimus, sed illud solis pro nobis tenemus.

Evangelium vitae non tantum christianos respicit; *omnibus destinatur.* Quaestio vitam afficiens eiusque tutelam et promotionem non est privilegium dumtaxat christianorum. Etsi ex fide lumen ac robur ingens accipit, ad universas pertinet humanas mentes quae veritatem appetunt quaeque de hominum condicionibus sedulae sunt atque sollicitae. Profecto in vita aliquid sacri est et religiosi, quod tamen minime credentes unos afficit: thesaurus nempe est quo quisque rationis luce utens potest potiri quique proinde omnes necessario respicit.

Hanc ob rem, nisus noster proprius « populi vitae et pro vita » postulat ut recte intellegatur et ex animo excipiatur. Cum Ecclesia proclamat absolutam observantiam iuris ad vitam cuiusque insontis personae — a conceptione ad eius naturalem mortem — inter columnas esse quibus singulae civiles societates sustententur, ipsa « simpliciter vult *Statum humanum promovere;* Statum nempe, qui tutelam iurium fundamentalium personae humanae, praesertim infirmions, velut officium suum primarium agnoscat ».[136]

***Evangelium vitae civitati hominum favet.* Pro vita operari idem est ac conferre ad *societatis renovationem* per aedificationem boni communis. Etenim fieri nequit ut bonum commune aedificetur ita ut non agnoscatur et servetur ius ad vitam, quo omnia cetera inalienabilia hominis iura fulciuntur et explicantur. Nec firma habere potest fundamenta illa societas quae — dum bona asserit qualia sunt personarum dignitas, iustitia et pax — sibi obloquitur radicitus, cum diversissimas quidem recipiat perferatque rationes humanam neglegendi ac violandi vitam, praesertim infirmam et segregem. Reverentia una vitae praecipua necessariaque societatis bona generare et praestare valet, cuius modi democratia est et pax.**

Nam dari nequit *vera democratia,* nisi dignitas cuiusque personae agnoscitur eiusque iura vindicantur.

[136] IOANNES PAULUS PP. II, Allocutio ad participes Congressus « de vitae iure et Europa» (18 Decembris 1987): *Insegnamenti* X, 3 (1987), 1446-1447.

Ne *pax* quidem *vera* dari potest nisi *vita defenditur et promovetur,* uti ait Paulus VI: « Quodlibet delictum contra vitam commissum adgressio est contra pacem, maxime cum populorum consuetudines violantur contra vero, ubi iura hominis plane declarantur atque propalam agnoscuntur et proteguntur, pax laetus et efficax redditur ambitus socialis convictus ».[137]

« Populus vitae » laetatur quod suam industriam ita cum tot aliis participare potest, ut in dies « populus pro vita » frequentior sit atque novus amoris et solidarietatis cultus in verum civitatis hominum beneficium crescere valeat.

CONCLUSIO

102. His rite ad finem vergentibus Encyclicis Litteris Nostris oculi sua quidem sponte ad Dominum Iesum convertuntur, qui « parvulus ... natus est nobis » *(Is* 9, 5) ut « vitam » in ipso contemplemur quae « apparuit nobis » *(1 Io* 1, 2). Huius nativitatis in mysterio congressio Dei cum homine consummatur iterque Dei Filii in terris incohatur, curriculum nempe quod perficietur per vitae donum in Cruce: sua namque morte mortem is debellabit atque cunctis fiet hominibus vitae novae principium.

Pro omnibus inque omnium commodum « vitam » amplexata est Maria, Virgo Mater, quae vinculis ita suis artissimis cum *Evangelio vitae* copulatur. Annuntiationi concessa illius consensio eiusque maternitas subiacent fonti ipsi mysterii vitae quam venit Christus hominibus ut largiretur (cfr *Io* 10, 10). Quod suscepit solliciteque curavit vitam Verbi incarnati, hominis vita est erepta postremo sempiterno que mortis iudicio.

Idcirco Maria, «sicut Ecclesia, cuius forma est, mater est omnium ad vitam renascentium. Mater siquidem est Vitae qua vivunt universi; quam dum ex se genuit, nimirum omnes qui ex ea victuri sunt quodammodo regeneravit ».[138]

Ecclesia Mariae maternitatem dum contuetur sensum reperit suae propriae maternitatis modumque simul quo incitatur ut eam testetur. Eodem vero tempore materna Ecclesiae experientia latiorem reddit illam rationem sive visionem qua percipiatur

[137] Nuntius pro Die Mundiali ad pacem fovendam 1977: *AAS* 68 (1976), 711-712.
[138] BEATUS GUERRICUS DTGNY, *In Assumptione B. Mariae,* sermo I, 2: *PL* 185, 188.

experimentum Mariae tamquam ***inaestimabilis exemplaris tutelae curaeque de vita.***

« Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole » **(*Apc* 12, 1):** ***Mariae et Ecclesiae maternitas***

103. Mutua necessitudo inter Ecclesiae arcanum et Mariam luculenter profecto per « signum magnum » recluditur in Apocalypsis libro descriptum: « Signum magnum apparuit in caelo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et super caput eius corona stellarum duodecim » (*Apc* 12, 1). Quo deinde in ostento sui ipsius arcani speciem deprehendit Ecclesia: in res gestas hominum coniecta novit illa se eam transcendere, quatenus in terris « germen et initium » continet Dei Regni.[139] Idem autem mysterium impletum pleno praestantique modo conspicatur Ecclesia in Maria. Gloriosa enim ipsa mulier est in qua Dei consilium maxima potuit absolvi perfectione.

« Mulier amicta sole » — prout indicat Apocalypsis — apparuit «in utero habens» (*Apc* 12, 2). In sese orbis Salvatorem, Christum Dominum, portare se penitus sentit Ecclesia destinari - que item ut universo eum orbi donet, ad ipsam Dei regenerandis hominibus vitam. Nec tamen oblivisci valet per Mariae maternitatem hoc suum munus impletum esse, quae eum concepit peperitque qui est « Deus de Deo », « Deus verus de Deo vero ». Revera Mater Dei est Maria, ipsa *Theotokos,* cuius in maternitate vocatio ad maternitatem in summum omnino evadit a Deo in omni femina inscripta. Ita profecto Ecclesiae sese exemplar Maria commonstrat, vocata ut « nova Eva » sit, credentium mater, mater « viventium » (cfr *Gn* 3, 20).

Spiritalis autem Ecclesiae maternitas non completur — sicut probe novit etiam Ecclesia — nisi inter dolores et cruciatus « ut pariat » (*Apc* 12, 2), id est in perpetua cum mali viribus dimicatione quae orbem pererrare haud desinunt hominumque signare et notare animos, Christo ipsi resistendo: « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt » (*Io* 1, 4-5).

CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 5.

Perinde atque Ecclesia, implere Maria quoque maternitatem suam debuit in doloris signo: « Est hic ... in signum cui contradicetur ... ut revelentur ex multis cordibus cogitationes ... Et tuam ipsius animam pertransiet gladius » *(Lc* 2, 34-35). Quibus sane verbis Simeon, prima sub ipsa Salvatoris vitae exordia, Mariam alloquitur, breviter comprehenditur Iesu repudiatio et cum illo Mariae quae supra Calvariae montem suum attinget culmen. « Iuxta crucem Iesu » *(Io* 19, 25), fit Maria illius deditionis particeps quam Filius facit sui ipsius: Iesum offert, tradit illum, semel in sempiternum eum generat pro nobis. Illud « fiat » Annuntiationis die prolatum plene maturescat Crucis die, cum Mariae tempus accidit suscipiendi et pariendi veluti filium unumquemque hominem factum discipulum, in quem redimentem Filii amorem effundit: « Cum vidisset ergo Iesus matrem et discipulum, quem diligebat, dicit matri: "Mulier, ecce filius tuus" » *(Io* 19, 26).

« Draco stetit ante mulierem ... ut, cum Reperisset, filium eius devoraret » (Apc 12, 4): *vita cui mali vires insidiantur*

104. In Apocalypsis libro « signum magnum mulieris » (12, 1) comitatur «aliud signum in caelo ... draco rufus magnus» (12, 3), qui speciem prae se fert Satanae ipsius, maleficae personalis potentiae, eodemque etiam tempore summae omnium mali virtutum quae in hominum operantur historia munerique Ecclesiae adversantur.

Hic quoque illuminat Maria Credentium Communitatem: oppugnatio virium maiorum sunt reapse tacita quaedam repugnantia quae, priusquam ferit Iesu discipulos, eius obsidet Matrem. Ut Filii vitam eripiat ab iis quotquot illum veluti minitans aliquod periculum metuunt, fugere cum Iosepho et Parvulo in Aegyptum Maria debet (cfr *Mt* 2, 13-15).

Ita enim subvenit Maria Ecclesiae ut *funditus ipsa sentiat vitam semper medium obtinere locum magna in illa pugna* inter bonum et malum, inter lucem ac tenebras. Concupiscit draco devorare eum qui est « puer modo natus » *(Apc* 12, 4), figuram Christi quem generat Maria « ubi venit plenitudo temporis » *(Gal* 4, 4) quemque singulis saeculorum aetatibus exhibere

hominibus debet Ecclesia. Quodam tamen modo cuiusvis figura est hominis, omnis parvuli, atque imago cuiusvis creaturae inermis periculisque obnoxiae, quoniam — uti commeminit Concilium — « Ipse Filius Dei, incarnatione sua cum omni homine quodammodo se univit ».[140] In « carne » scilicet cuiusque hominis Christus pergit sese ostendere et nobiscum communionem coniungere, ideoque *hominis vitae repudiatio* variis suis sub formis *reapse ipsius Christi est repudiatio.* Haec tandem mirifica est ac imperiosa simul veritas quam nobis Christus aperit et eius Ecclesia iterum iterumque indefessa repetit: « Qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit » *(Mt 18,* 5); « Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni de minimis meis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40).

« Mors ultra non erit » (Apc 21, 4): *resurrectionis splendor*

105. Ab angelo ad Mariam delata nuntiatio illis vestitur vocibus spe plenis: « Ne timeas, Maria » et « non erit impossibile apud Deum omne verbum » *(Lc* 1, 30. 37). Tota enim Matris virginis vita illa intexitur certa veritate: Deum prope esse ad eam atque eam pariter sua prosequi benevolentia. Haud secus etiam Ecclesiae accidit, ut « refugium » inveniat in deserto *(Apc* 12, 6) ubi locus probationis est sed etiam declarationis Dei amoris erga proprium populum (cfr *Os* 2, 16). Vivens est Maria verbum consolationis ipsi Ecclesiae in proelio contra mortem. Ostendens nobis Filium, confirmat simul in eo mortis potestates iam esse debellatas: «Mors et vita duello conílixere mirando: dux vitae mortuus regnat vivus ».[141]

Immolatus Agnus vivit cum signis passionis in resurrectionis claritate. Unus ille dominatur historiae eventibus: aperit « signacula » (cfr *Apc* 5, 1-10) asseritque intra et ultra tempus *dominationem vitae in mortem.* In « nova Ierusalem », sive in renovato orbe ad quem hominum progreditur historia, *« mors ultra non erit,* neque luctus neque clamor neque dolor, quia prima abierunt » *(Apc* 21, 4).

[140] Const. past, de Ecclesia in mundo huius temporis *Gaudium et spes,* 22.
[141] *Missale Romanum, Sequentia* Dominicae Resurrectionis.

Populi autem instar peregrinantis, vitae videlicet populi ac pro vita, dum fidenter ad « caelum novum et terram novam » *(Apc* 21, 1) progredimur, ad ipsam simul intuitum convertimus quae nobis « signum certae spei et solacii » exsistit.[142]

O Maria,
orbis novi diluculum,
Mater viventium,
causam omnem tibimet *vitae* commendamus:
multitudinem, Mater, respice innumeram
infantium quibus interdicitur ne nascantur,
pauperum quibus vivere ipsum redditur asperum,
mulierum et virorum quibus inhumana crudeli tas infligitur,
senum atque aegrotantium quibus indifferens animus
mortem attulit pietasve fucata.
Credentes tuum in Filium effice
ut *Evangelium vitae*
candide sciant amanterque
nostrae aetatis hominibus nuntiare.
Ipsis gratiam impetrato
ut veluti novum usque donum illud *amplexentur,*
laetitiam vero ut memori mente
in vitae suae perpetuitate id *venerentur,*
pariter constantiam
ut actuosa idem tenacitate *testificentur*
unde universis cum bonae voluntatis hominibus
civilem veritatis amorisque cultum exstruere possint,
ad Dei vitae Conditoris et amatoris laudem atque gloriam.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quinto mensis Martii, in sollemnitate Annuntiationis Domini, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

[142] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 68.

SECRETARIA STATUS

RESCRIPTUM EX AUDIENTIA SSMI

quo ambitus cognitionis Officii Laboris apud Sedem Apostolicam ad Urbis Vicariatus Administrationem extenditur.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II nell'Udienza concessa al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato il giorno 23 Marzo 1995, accogliendo la proposta dell'Eminentissimo Cardinale Vicario di Roma, ha disposto che ogni vertenza lavorativa del personale assunto dal Vicariato di Roma in data successiva al 30 giugno 1989 e conseguente a provvedimenti adottati dopo tale data, sia trattata e decisa a norma di diritto dall'Ufficio del Lavoro della Sede Apostolica, « donec aliter provideatur ».

Estendendo, pertanto, la competenza dell'ULSA, al medesimo Ufficio è conferito il mandato, ai sensi dell'art. 2, I° comma del suo Statuto, di esaminare e decidere, a norma di diritto, controversie di lavoro promosse da dipendenti del Vicariato di Roma assunti in data successiva al 30 giugno 1989 ed in conseguenza di provvedimenti adottati dal medesimo Vicariato dopo tale data.

Il Santo Padre ha altresì disposto la pubblicazione del suddetto documento in *Acta Apostolicae Sedis* e che esso entri in vigore con il primo maggio 1995.

£B ANGELO card. SODANO
Segretario di Stato

In Secret. Status tab., n. 359.943 G.N.

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

ALATRINA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Raphaelae (in saec.: Sanctinae Cimatti) e Congregatione Sororum a Misericordia pro infirmis (1861-1945)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Raphaela Cimatti orta est in pago Celle apud Faventiam, in Italia, postridie nonas Iunias anno 1861. Post iuventutem familiae deditam et paroeciali apostolatui, anno 1889 Romae Congregationem Sororum a Misericordia pro Infirmis ingressa est, Pharmacopolae egregie est munere iuncta in Alatrino ac Frusinatensi valetudinariis, ubi etiam antistita fuit religiosae suae communitatis. In occultatione vitam egit et in humilitate, suam Domino consecrationem magna cum alacritate colens, atque omnia exsequens officia erga Deum ac proximum urbana caritate constantique cura, in aegrotos praesertim et pauperes, quibus carissima fuit. Plene Dei obsequens voluntati, mortem sancte obiit Alatrii die 23 mensis Iunii anno 1945.

Beatificationis et canonizationis Causa apud curiam Alatrinam inita est anno 1962 et, pridie nonas Iulias anno 1993 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servam Dei heroum in modum coluisse edixit virtutes théologales, cardinales iisque adnexas.

Nuper Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem, eiusdem Venerabilis intercessioni ascriptam. Sanatio ad puerum Laurentium Arduini pertinet, undecim natum annos, qui die mensis Maii 10 anno 1970, cum optima frueretur valetudine, est, ex improviso, aestu febris correptus atque exanthemate morbilliformi. Mensis Maii die 12 multum eius condiciones in deterius mutatae sunt; quam ob rem est in Alatrinum valetudinarium deductus cum diagnosi de encéphalite morbillos secuta. Insequenti die alia in peius mutatio apparuit. Cum veternus supervenisset, puer delatus est ad partem morborum contagiosorum Polyclinici nosocomii Romani et illinc ad partem viribus restituendis, quandoquidem respirationis ac sensorii perturbationes evenerant. Diagnosis est facta de encéphalite ex viro, convulsionibus diffusis et spirandi infirmitate. Praenuntiatus est exitus infaustus vel saltem vita superstes gravibus vexata imminutionibus psychomotoriis. Sorores a Misericordia pro Infirmis interea domorum Alatrinae ac Romanae deprecationem invocare coeperunt Matris Mariae Raphaelae Cimatti ut sanationem consequerentur pueri, cuius pater saepe ad eiusdem Servae Dei sepulcrum ierat precaturus. Quaedam religiosa,

aegroti propinqua, sub eius cervical imaginem cum memoratae Venerabilis reliquiis posuit. Die 16 mensis Maii subito e veterno puer exiit inque concitationis statum intravit, quo ne patrem quidem agnoscere potuit. Curantes putabant fore ut Laurentius per totam vitam psychice infirmus maneret. Sed die 17 mensis Maii is plene con valuit, perfecte ac stabiliter.

De sanatione, statim habita divinitus effecta, celebrata est apud curiam Alatrinam canonica inquisitio annis 1988-1989, et apud curiam Antananarivensem processus rogatorialis: quorum processuum auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum agnita decreto promulgato die 24 mensis Septembris anni 1993. Aliae probationes in praecedenti processu super virtutibus (annis 1980-1982 celebrato) collectae erant. Casus hic a Congregationis Consilio Medicorum inspectus est in Sessione diei 17 mensis Februarii anno 1994 et est diagnosis facta de « nervorum axis inflammatione paraexanthematica gravi »; prognosis declarata est « admodum suspensa quoad valetudinem »; therapia medica « idonea ac tempestiva, parte efficax »; insuper agnitum est « sanationem obtentam esse celeri in melius mutatione et sine reliquiis ». Demum, maior membrorum Consilii pars affirmavit casum illum pro scientia esse inexplicabilem. Deinde theologica facta est inspectio in Consultorum Theologorum Congressu Peculiari die 10 mensis Iunii anno 1994, atque in Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessione Ordinaria die 8 mensis Novembris subsequentis, Causae Ponente Excellentissimo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria Raphaela (in saec.: Sanctina Cimatti), e Congregatione Sororum a Misericordia Pro Infirmis, videlicet de celeri, perfecta et mansura sanatione pueri Laurentii Ar duini, a « neurassite paraesantematica grave ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

II

IANUEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Augustini Roscelli, sacerdotis dioecesani et fundatoris Instituti Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. V. (1818-1902)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Augustinus Roscelli in pago ortus est Bargone di Casarza appellato, ad Italicam dioecesim Clavarensem pertinente, die 27 mensis Iulii anno 1818. Post presbyteralem ordinationem, Genuae acceptam anno 1846, paroeciali ministerio se dedidit, deinde sacerdotem Franciscum Montebruno adiuvit in assiduitate pauperibus atque derelictis praebenda. Pro puellis formandis Congregationem condidit Sororum ab Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis^ cuius paternus ac prudens rector fuit et magister. Dolore exercitatus meritisque ornatus pie est vita defunctus Nonus Maiis anno 1902.

Sanctitatis fama, qua vivus claruit, post mortem quoque duravit; quam ob rem est beatificationis et canonizationis Causa inita et, die 21 mensis Decembris anno 1989 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servum Dei edixit heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Ex assertis miris eventibus, qui eius intercessioni tribuuntur, Causae Postulatio, unum elegit et iudicio permisit Congregationis de Causis Sanctorum, ad beatificationem eiusdem Venerabilis Servi Dei obtinendam.

Eventus ille ad Sororem Mariam Mathildem spectat (in saeculo: Helidem Dell'Amore), Instituti Sororum ab Immaculata Conceptione Beatae Mariae Virginis religiosam professam, quae die Veneris 13 mensis Iunii anno 1975, dum velum super caput figebat duasque tenebat fíbulas inter labia, harum unam imprudenter absorbuit, tria longam centimetra, nullum sentiens dolorem nullamque molestiam. Statim est in valetudinarium deducta atque radiographiae ad rem pertinentes effectae sunt, quae fibulam ostenderunt, acumine sursum vergentem, in pulmonis lacinia inferiore esse positam. Bronchioscopia peracta, bene est fibula visa, quae tamen extrahi non potuit. Cogitatum est de thoracotomia facienda, cuius exsecutio est in sequentem diem Lunae dilata. Interim aegra collocata est in positione *Trendelenburg,* ex spe fore ut fibula tantum escenderet, ut per fibroscopium extrahi posset. Simul ac Soror Maria Mathildis est in valetudinarium deducta, Antistita Generalis et Sorores sodales novendialem supplicationem inceperunt in honorem Servi Dei Augustini Roscelli, rogantes apud Deum deprecaretur ut casus concluderetur prospere. Aegra quoque preces

communicavit, quae tempore operam dederat Patris Conditoris beatificationis Causae. Die Lunae 16 mensis Iulii, in exploratione radiographica fibula non iam in sede reperta est, in qua erat antea sita, sed in regione abdominis inferiore dextera, probabiliter in caeco intestino. Nimirum ab apparatu spirabili ad digestorium inexplicabiliter transierat; quam ob rem nulla sectio necessaria fuit. Postero die ad sigma devenit. Soror, nullam ostendens doloris symptomatologiam, est ex valetudinario dimissa. Vesperi fibula est via naturali expulsa et sine ullo incommodo.

De miro illo eventu anno 1993 apud Curiam Genuensem est processus canonicus celebratus, qui est a Congregatione de Causis Sanctorum probatus per decretum postridie Nonas Octobres eodem anno promulgatum. In sessione diei 17 mensis Februarii anno 1994 Consilium Medicorum consentiente voce agnovit ex scientia inexplicabilem esse fibulae migrationem ab arteria aspera ad caecum intestinum omnino absente symptomatologia subiectiva et obiectiva. Mensis Maii die 13 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus et die 4 insequentis mensis Octobris Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Iosepho Caprio. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Augustino Roscelli, Sacerdote dioecesano et Fundatore Instituti Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. V., videlicet de sanatione Sororis Mariae Mathildis (in saec.: Helidis Dell'Amore) ab «aspirazione casuale di uno spillone che si infigge con la punta in alto di un bronco segmentato del lobo inferiore sinistro e sua emigrazione al cieco (probabilmente per vie naturali) », omnino absente symptomatologia subiectiva et obiectiva.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ffiS.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

CENTUMFOCENSIS - SANCTAE CLARAE MATANZENSIS

de finium mutatione

DECRETUM

Ad satius christifidelium spirituali saluti consulendum, Exc.mus P. D. Ferdinandus Prego Casal, Episcopus Centumfocensis-Sanctae Clarae, et Exc.mus P. D. Marianus Vivanco Valiente, Episcopus Matanzensis, unanimi consensu, ab Apostolica Sede enixe expostulaverunt ut ecclesiastici fines circumscriptionum sibi concreditarum aliquantulum immutarentur atque aptius disponerentur. Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Beniamini Stella, Archiepiscopi titularis Midilensis, in Re publica Cubana Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationem christifidelium bono profuturam, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, oblatas preces accipiendas esse censuit. Quapropter hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent, a dioecesi Centumfocensi-Sanctae Clarae separat integrum territorium, ut in praesens constitutum, Regionis vulgo nuncupatae Ciénaga de Zapata, quod ad civilem Provinciam « Matanzas » pertinet, idque dioecesi Matanzensi adnectit, mutatis, hac ratione, utriusque circumscriptionis ecclesiasticae limitibus. Statuit quoque Congregatio pro Episcopis, ut documenta et acta memorati territorii clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia, a Curia Centumfocensi-Sanctae Clarae ad Curiam Matanzensem quam primum transmittantur. Ad haec vero exsecutioni mandanda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc.mum P. D. Beniaminum Stella deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ipsi imposito ad eamdem Congregationem quam primum remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 16 mensis Ianuarii anno 1995.

EB BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

L. © S.

Su G. M. Mejia, *a secretis*

In Congr. pro Episcopis tab. n. 659/94

MARACAIBENSIS - MACHIQUESENSIS

de finium mutatione

DECRETUM

In ecclesiasticis circumscriptionibus definiendis, Concilium Vaticanum II statuit, inter alia prae oculis habenda, ut conglobationes demographicae cum civilibus officiis socialibusque institutis, quae structuram organicam populi efficiunt, in unum, quantum fieri poterit, serventur, ita ut uniuscuiusque dioecesis territorium nonnisi continuum pateat. Cum archidioecesis Maracaibensis et Vicariatus Apostolicus Machiquesensis in fragmentato territorio uterque exsisterent, Exc.mus P. D. Orianus Quilici, Archiepiscopus titularis Tablensis, in Venetiola Apostolicus Nuntius, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Ovidii Pérez Morales, Archiepiscopi Maracaibensis et Exc.mi P. D. Augustini Romualdi Alvarez Rodríguez, OFM Cap., Vicarii Apostolici Machiquesensis, ab Apostolica Sede enixe expostulavit ut ecclesiastici fines illarum circumscriptionum immutarentur ita ut territoria utriusque continua paterent. Congregatio pro Episcopis, audito Em.mo Iosepho S. R. E. Cardinali Tomko, Congregationis pro Gentium Evangelizatione Praefecto, sub cuius iurisdictione Vicariatus Machiquesensis versatur, rata petitam immutationem animarum bono cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum oblatis praecibus annuendum censuit. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, ecclesiastici fines archidioecesis Maracaibensis et Vicariatus Machiquesensis ita mutantur: Municipium « Páez », pars septemtrionalis municipii « Mara » et pagus « Gonzalo Antonio » nuncupatus, usque adhuc Vicariatui Machiquesensi pertinentes, adiunguntur Archidioecesi Maracaibensi; pars vero territorii paroeciarum civili nomine « Encontrados » et « Udón Pérez » nuncupatarum, quarum fines ad Occidentem a ripa dextera fluminum Zulia et Catacumbo usque ad Lacum « Maracaibo », et ad Orientem a finibus municipii Colón terminantur, Vicariatui Machiquesensi adnectuntur. Mandat insuper Congregatio pro Episcopis ut documenta et acta memoratorum territoriorum, clericos, fideles et bona temporalia forte respicientia, a Curia a qua ad Curiam circumscriptionis ecclesiasticae cui illa sunt aggreganda, quam primum, transmittantur. Ad clerum quod attinet, simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes

Ecclesiae illi adscripti censentur in cuius territorio ecclesiasticum detinent officium; ceteri autem sacerdotes, clerici seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium. Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis praefatum Exc. mum P. D. Orianum Quilici deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 28 mensis Ianuarii anno 1995.

EB BERNARDINUS card. GANTIN, *Praefectus*

& G. M. Mejia, *a secretis*

Loco 83 Sigilli
In Congr. pro Episcopis tab. n. 709/94

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 21 Martii 1996. — Cathedrali Ecclesiae Angliae Orientalis R. D. Petrum Smith e clero archidioecesis Southvarcensis, hactenus Seminarii Sancti Ioannis apud Wonersh rectorem.

die 22 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Hafhiae R. D. Ceslaum Kozon, hactenus eiusdem dioecesis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Irecensi, Exc.mum P. D. Ioannem Mariam Messi, O.S.M., hactenus Episcopum titularem Zucchabaritanum et Auxiliarem Archiepiscopi Aracaiuensis.

die 24 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sinus Tonitralis, Exc.mum P.D. Fridericum B. Henry, hactenus Episcopum titularem Carinolensem et Auxiliarem dioecesis Londonensis.

die 25 Martii. — Cathedrali Ecclesiae a Domina Nostra vulgo de la Altragracia in Higiiey, seu Higueyensi, Exc.mum P. D. Raimondum Benedictum de la Rosa y Carpio, hactenus Episcopum titularem Cerbalitanum et Auxiliarem archidioecesis Sancti Dominici.

die 28 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Macomadensi rusticianae, R. D. Eduardum K. Braxton, e clero archidioecesis Chicagiensis, hactenus curionem paroeciae Sanctae Catharinae et Sanctae Luciae, in oppido vulgo Oak Park, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iustin F. Rigali, Archiepiscopi Sancti Ludovici.

die 30 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Galli R. D. Ivonem Fürer, hactenus eiusdem sedis Administratorem dioecesanum.

die 31 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Cassoviensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Aloisium Tkác, hactenus Episcopum eiusdem dioecesis.

die 1 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Sedunensi R. D. Norbertum Brunner, hactenus eiusdem dioecesis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Sanctae Clarae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Ferdinandum Prego Casal, hactenus Episcopum Centumfocensem-Sanctae Clarae.

— Cathedrali Ecclesiae Centumfocensi, Exc.mum P. D. Aemilium Arangurem Echeverría, hactenus Episcopum titularem uellensem in Proconsulari et dioecesis Centumfocensem-Sanctae Clarae Auxiliarem.

die 4 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Syracusensi, R. D. Iacobum Michaelem Moynihan, e clero dioecesis Roffensis in America, secretarium generalem adiunctum societatis dictae « Catholic Near East Weifare Association ».

die 8 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Castellarne in Mauretania R. D. Theophilum Wilski, Seminarii maioris archidioecesis Gnesnensis rectorem, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Calissiensis.

die 13 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Tigensi R. P. Stanislaum Padewski, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem et curionem paroeciae S. Mariae Angelorum in urbe vulgo Winnitza, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Camenecensis Latinorum.

die 18 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Buffalensi, Exc.mum P. D. Henricum Iosephum Mansell, hactenus Episcopum titularem Marazanensem et Auxiliarem archidioecesis Neo-Eboracensis.

die 19 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Carthadensi in Columbia Exc.mum P.D. Aloisium Madrid Merlano, hactenus Episcopum Praelatum Tibuensem.

die 20 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Ianuensi Exc.mum P.D. Dionysium Tettamanzi, hactenus Archiepiscopum emeritum Anconitanum-Auximanum et Secretarium Generalem Conferentiae Episcoporum Italiae.

die 22 Aprilis. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Salvatoris in America Exc.mum P. D. Ferdinandum Sáenz Lacalle, hactenus Episcopum titularem Tabborensem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 19 Decembris 1994. — Cathedrali Ecclesiae Iasikanensi, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Accraënsis in Gana, R. D. Gabrielem Akwasi Ababio Mante, Seminarii maioris regionalis « Cape Coast » in oppido vulgo dicto Pedu Theologiae Dogmaticae ex-professorem.

— Cathedrali Ecclesiae Ketaënsi-Akatsiensi, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Accraënsis in Ganensi regione, R. D. Antonium Kwami Adanuty, hactenus Congregationis pro Gentium Evangelizatione officialem.

die 3 Februarii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Damongoënsi, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Tamalensis in Gana, R. D. Philippum Naameh, hactenus Seminarii maioris Tamalensis « St. Victor » pro-rectorem.

die 3 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Konongensi-Mamponganae, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae vulgo dictae Cape Coast in Ganensi regione, R. D. Iosephum Osei-Bonsu, Universitatis Ganensis in oppido Accraënsi Novi Testamenti professorem.

— Cathedrali Ecclesiae Obuasiensi, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae vulgo dictae Cape Coast in Gana, R. D. Thomam Kwaku Mensah, Episcoporum Ganensium Conferentiae Secretarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Osogboanae, noviter erectae, suffraganeae metropolitanae Ecclesiae Ibadanensis in Nigeria, R. D. Gabrielem 'Leke Abegunrin, hactenus paroeciae cathedralis Oyoënsis in oppido Osogbano curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Mauzuensi R. D. Iosephum Zuza, hactenus eiusdem dioecesis Vicarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Victoriae R. P. Xaverium Baronnet, S.I., hactenus Communitatis Parisiensis Societatis Iesu vulgo dictae « Paris-Diaspora » superiorem.

— Cathedrali Ecclesiae Mahengensi R. D. Agapitum Ndorobo, Fratrum dioecesanorum in urbe Dodomaensi responsabilem.

ACTA TRIBUNALIUM

TRIBUNAL ROTAE ROMANAE

PORTORICEN. seu CAGUÁN.

Nullitatis Matrimonii (Rodríguez Torres - Reyes Rivera)

Decretum concordationis dubii

Visa instantia Patronae ex officio partis actricis, audito Vinculi Defensore atque actis cunctis causae, de qua supra, perpensis infrascriptus decrevit dubium, hoc in iudicii gradu sententia definitiva definiendum, poni iuxta formulam:

«An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum discretionis iudicii in muliere ».

Cum tamen ignoretur actualis commoratio partis conventae seu d.ni Petri Reyes Rivera, ipsi hoc Decretum notificetur per edictum in *Actis Apostolicae Sedis,* ad omnes iuris effectus.

MARIUS F. POMPEDDA, *Decanus et Ponens*

Ex Cancellaria Apost. Rotae Romanae Tribunalis, die 1 mensis Aprilis, anno 1995.

In tabulario Rotae Romanae n. 16512.

Stephanus Killerman, *not. f.f.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 6 **Aprile** 1995, **S.E. il Signor** GUILLERMO JIMÉNEZ MORALES, **Ambasciatore del Messico presso la Santa Sede.**

Ha, altresì ricevuto in Udienza:

Venerdì, 31 **Marzo** 1995, **FOn.** PJETER ARBNORI **Presidente del Parlamento dell'Albania.**

Venerdì, 7 **Aprile** 1995, **S.E. il Signor** FERNANDO NARANJO VILLALOBOS, **Ministro degli Affari Esteri di Costa Rica.**

Sabato, 8 **Aprile** 1995, **S.E. il Signor** ALECOS MICHAELIDES, **Ministro degli Affari Esteri di Cipro, Presidente di turno del Consiglio d'Europa.**

Lunedì, 10 Aprile 1995, il Santo Padre ha tenuto Concistoro ordinario pubblico per la Canonizzazione dei Beati Eugenio de Mazenod, Giovanni de Dukla, Egidio Maria di San Giuseppe, Zdislava de Lemberk, Marko Krizevcanin, Stefano Pongrácz, Melchiorre Grodziecki.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

25 marzo 1995. Mons. Pio Vito Pinto, *Prelato Uditore del Tribunale della Rota Romana.*

6 aprile » S.E. mons. Lorenzo Baldisseri Arcivescovo tit. di Diocleziana, *Nunzio Apostolico in Paraguay.*

22 » » S.E. mons. Francesco Colasuonno, Arcivescovo tit. di Tronto, Nunzio Apostolico in Italia, *Nunzio Apostolico nella Repubblica di San Marino.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

22 gennaio 1995. L'Em.mo Signor Cardinale Edmund Casimir Szoka, *Presidente della Prefettura degli Affari Economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*

23 febbraio » S.E. mons. Stanislaw Gadecki, Vescovo tit. di Rubicon; mons. Pier Francesco Fumagalli; p. Jesus Hortal, S.I.; p. Jean Dujardin; p. Clemens Thoma, S.V.D.; p. William Martyn, S.A., *Consultori della Commissione per i Rapporti con l'Ebraismo presso il Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, «ad quinquennium ».*

» » » S.E. mons. Michel Louis Fitzgerald, Vescovo tit. di Nepte; p. Bernard Dupuy, O.P., Dott. Eugene Fischer, *Consultori della Commissione per i Rapporti con l'Ebraismo presso il Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, « in aliud quinquennium ».*

27 marzo » Mons. Rafíq Khoury, *Consultore della Commissione per i Rapporti con l'Ebraismo presso il Pontificio Consiglio per la Promozione dell'Unità dei Cristiani, « ad quinquennium ».*

6 aprile » L'Em.mo Signor Cardinale William W. Baum, *Penitenziere Maggiore « in aliud quinquennium ».*

10 » » Il dott. Gianluigi Marrone *Giudice del Tribunale dello Stato della Città del Vaticano.*

18 » » Mons. Vincenzo Di Mauro, *Capo Ufficio nel Pontificio Consiglio per i Laici.*

NECROLOGIO

15 marzo 1995. Mons. Barthélémy Malanga, Vescovo em. di Kamina *(Zaire).*

20 » » Mons. Michael Arattukulam, Vescovo em. di Alleppey *(India).*

28 » » Mons. Januarius P. Palathuruthy, Vescovo em. di Chanda dei Siro-Malabaresi *(India).*

3 aprile » Mons. Jeremiah Newmann, Vescovo di Limerick *(Irlanda).*

4 » » Mons. Victor Leon E. San Miguel y Erce, Vescovo tit. di Rusubbiccari.

» » » Mons. Abraham Kattumana, Arcivescovo tit. di Cebarades.

20 » » Mons. José Capmany Casamitjana, Vescovo tit. di Case mediane.

» » » Mons. Alojz Türk, Arcivescovo em. di Beograd *(Jugoslavia).*

22 » » Mons. Charles Joseph Lemaire. Vescovo tit. di Otro.

27 » » Mons. Bienvenido M. Lopez, Vescovo tit. di Muteci.

An. et vol. LXXXVII 5 Iunii 1995 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GAGNOAËNSIS

In Litoris Eburnei finibus nova Provincia ecclesiastica constituitur Gagnoaënsis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum in Litore Eburneo catholica fides haud parva cepisset incrementa, quae pastorali Episcoporum cura consociata cum alacri opera cleri loci ac missionariorum videntur posse in futurum augeri, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit nuper ut in eadem Natione novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Nos vero pro summo Apostolico, quo fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi distrahimus dioeceses Gagnoaënsem, Daloaënsem, Manensem et Sancti Petri in Litore Eburneo atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam *Gagnoaënsem,* cuius Sedes princeps erit Eccelesia Gagnoaënsis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem

Natalem Kokora-Tekry, hactenus Episcopum Gagnoaënsem, Archiepiscopum Metropolitam Gagnoaënsem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Ianuario Bolonek, Archiepiscopo titulo Madaurensi atque in Litore Eburneo Apostolico Nuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi. *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 8B Plumbi
In Secret. Status tab., n. 364.713

II

ODIENNENSIS

In Litore Eburneo nova conditur dioecesis Odiennensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aeternam provehendam salutem gregis Dominici in Litore Eburneo eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum est nuper ut in eadem Natione nova constituatur dioecesis. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii Bolonek, Archiepiscopi titulo Madaurensis atque in Litore Eburneo Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem senten-

tiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Korhogoënsi hucusque dioecesi separamus territorium districtus civilis, qui patrio sermone nuncupatur Odienné; a Manensi autem dioecesi seiungimus territorium districtus civilis Touba; a Daloaënsi denique dioecesi distrahimus territorium districtuum civilium Séguéla et Mankono; ex iisque novam condimus dioecesim *Odiennensem,* quam hoc ipso die constitutae metropolitanae Ecclesiae Korhogoënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi qui supra sunt definiti. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Odienné atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Augustini dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc quidem Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 364.714

III

KANDINA

In Benino nova dioecesis Kandina appellanda erigitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

« In apparando bismillesimo anno suas explent partes particulares Ecclesiae » *(Tertio millennio adveniente,* 25): Nos quidem de unaquaque solliciti sumus. Nunc vero, cum expostulatum sit ut dioecesis Parakuensis, in Benino, divideretur, opportunum duximus ad aeternam istius dominici gregis

salutem, ex eiusdem territorio dioecesis Parakuensis partem distrahere, scilicet districtus civiles vulgo dictos « Kandi », « Banikoara », « Gogonou », « Ségbana », « Malanville » et « Karimama », et novam ex iis dioecesim erigere. Ideo, re mature deliberata auditoque voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et Nuntii Apostolici in Benino, nec non Congregationis pro Gentium Evangelizatione, supra dictum territorium constituimus dioecesim *Kandinam* nuncupandam, eamque Metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxiam facimus. Sedem novae dioecesis in urbe vulgo « Kandi » ponimus, ecclesiam vero Deo in honorem Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo dicatam in eadem urbe exstantem ad gradum ecclesiae Cathedralis evehimus, iuribus ac privilegiis concessis quae ad eiusmodi templa spectant. Ad sacrorum alumnorum institutionem quod attinet, iuris communis serventur praescripta, prae oculis Congregationis pro Institutione Catholica habitis praeceptis. Quod autem ad novae dioecesis pertinet regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri canones praescribunt. Cum novae dioecesis constitutio ad effectum deducta erit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio officium ecclesiasticum habent, ceteri vero sacerdotes Seminariique tirones et clerici illi Sedi in cuius territorio legitimum detinent domicilium. Documenta autem et acta quae conditam dioecesim respiciunt, ad eiusdem Curiam mittantur atque ibidem in tabulario serventur. Haec autem, quae praescripsimus, committimus perficienda Venerabili Fratri Andreae Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi et Nuntio Apostolico in Benino, vel, absente eo, illi qui negotia curat Apostolicae Sedis in eadem regione, ac omnes eis tribuimus necessarias et convenientes facultates, etiam subdelegandi quemvis virum in dignitate ecclesiastica constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione sincerum actus effectae exsecutionis exemplar sedulo mittendi. Has denique Litteras Nostras firmas esse nunc et in posterum volumus, quibuslibet rebus haud quaquam obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco €8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 364.715

IV

BUAKENSIS

In Litore Eburneo constituitur nova Provincia ecclesiastica Buakensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius consuleretur Evangelizationis operi in Litoris Eburnei finibus, ubi in praesens exstat tantum Provincia ecclesiastica Abidianensis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa habitoque faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii Bolonek, Archiepiscopi titulo Madaurensis atque in eadem Natione Apostolici Nuntii, censuerunt nuper constituendam esse ibidem inter alias novam Provinciam ecclesiasticam Buakensem nomine. Nos quidem, Successores beati Petri, de totius Dominici gregis bono solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi distrahimus dioeceses Buakensem, Abenguruensem, Bondukuensem et Yamussukroënsem atque ex his efficimus Provinciam ecclesiasticam *Buakensem,* cuius Sedes princeps erit Ecclesia Buakensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Vitalem Komenan Yao, hactenus Episcopum Buakensem, Archiepiscopum Metropolitam Buakensem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus exsequenda curabit memoratus Venerabilis Frater Ianuarius Bolonek, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 364.803

V

KORHOGOËNSIS

In Litore Eburneo constituitur nova Provincia ecclesiastica Korhogoènsis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius providendum Evangelizationis operi in Litore Eburneo, Republica Continentis Africae, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa habito que faventi voto Venerabilis Fratris Ianuarii Bolonek, Archiepiscopi titulo Madaurensis atque in eadem Natione Apostolici Nuntii, proposuerunt nuper ut ibidem inter alias nova Provincia ecclesiastica constitueretur Korhogoènsis nomine. Nos quidem, gravissimo fungentes munere Supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habemus quaeque sequuntur decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi detrahimus dioeceses Korhogoënsem et Katiolaënsem atque ex his, adiuncta quoque dioecesi Odiennensi hoc ipso die condita, efficimus Provinciam ecclesiasticam *Korhogoënsem,* cuius Sedes princeps erit Ecclesia Korhogoënsis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Augustum Nobou, hactenus Episcopum Korhogoënsem, Archiepiscopum Metropolitam Korhogoënsem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus perficienda committimus memorato Venerabili Fratri Ianuario Bolonek, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco 68 Plumbi
In Secret. Status tab., n.. 364.804

VI

IALINGÖENSIS

In Nigeria nova conditur dioecesis Ialingoënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo efficacius consuleretur aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in Nigeria degentium, nuper est petitum ut in eadem Natione nova dioecesis constitueretur. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Caroli Mariae Vigano, Archiepiscopi titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolici Pronuntii, admotae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur de universi Dominici gregis bono solliciti talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Yolaënsi dioecesi separamus territorium regionis civilis patrio sermone nuncupatae « Taraba »; ex eoque novam condimus dioecesim *lalingoënsem,* quam metropolitanae Ecclesiae Iosensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Jalingo » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Augustini dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Vigano, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 63 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 366.553

VII

DAMONGOËNSIS

In Gana nova conditur dioecesis Damongoënsis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

volo? Cupio amore consumi ». Et insuper: « Volo sancta esse non pro mea gloria, sed Dei. Tota vita mea canticum sit amoris perenne animique menions, et continuum pro animarum salute et Ecclesiae necessitatibus holocaustum ».

Talibus cum opinionibus, sensibus propositisque Serva Dei iam admodum iuvenis inceperat alacriter pro hac causa se devovere, pleno sui dono Christo facto per Beatam Virginem Mariam, « viam brevem, facilem ac securam », sicut ex aliena et propria experientia didicerat. Gradatim humilis haec contemplativa in spiritus viis progressus fecit, sapienti moderatione ducta suae animae magistri, sed potissimum Spiritus Sancti, quem invocare solebat et cui se credebat, ut « coniunctim ambularent », simul ruens « clausis oculis » in sinum Providentiae suae, ut sancta fieret ad Deum omnibus viribus contendens, tamquam ad vitae suae unicum finem. Item cupivit caelum suum in terra esse « pati pro Iesu et Maria, lignum siccum fieri, in eorum ardens honorem et pro miseris peccatoribus; Cordi Christi vim facere pro Ecclesiae militantis necessitatibus eiusque Vicarii, Summi Pontificis, Ecclesia purgante non oblitterata ». Et antea, in saeculo, deinde in religione, prorsus se Deo consecravit in perfectione crescens, secundum conditoris Sancti Francisci a Paula spiritum et adhortationem, in « progrediendo de eo, quod bonum est, ad id quod melius», de virtutibus in virtutes, usque ad earum maximum gradum. Ita eius progressus, sine regressu, de bono ad melius et de eo, quod melius est ad perfectum, in via observantiae et amoris, qui sequebatur eius planum in amore ac sacrificio iter, summae simplicitati coniunctus et gaudio spiritali, praesens tempus sanctum reddebat, cum illud Domino offerret, de futuro non sollicita, sicut in Evangelio docet Iesus: «Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi: sufficit diei malitia sua » *(Mt* 6, 34). Cum a puera mox matre esset orbata, paterque in militia esset, propius crevit avos maternos. Domi et in ludo, sicut et in ecclesia atque in societate, bono cum exemplo se ostendebat, progressu scholastico, lenitate, pietate christiana ac dignitate: illa, eucharistica praesertim ac mariali, hac exoriente ex cultu mentis et cordis et ex praebito notabili probitatis et aequabilitatis testimonio. Etsi propter humanas virtutes et facultates aequalium admirationem excitaret, numquam appetere desiit praecipuum vitae suae optatum, nempe se semper solique Christo dedendi, quocum nulla humana praevisio, etsi per se bona, comparari poterat. Nihilque humanae contentiones et dissensiones potuerunt, quoad eius vitae consecratae in Ordine Monialium Minimarum electionem; et hanc secuta est diu exoptatam vocationem. In religione autem nullam attulit moram et tarditatem suae sanctificationi, se-

cundum spiritum et ascesim claustralium Minimarum propriam. Non ei difficultates defuerunt, quae praecipue ex indole et ingenio eius proficiscebantur, quasque tamen prompte coërcuit, cum Sororum sodalium aedificatione. Eius vita theologalis sublimior usque facta est in experientia fidei et caritatis invictarum, in Dei fiducia, quam per artam cum Eo familiaritatem ostendebat, adeo ut Is unicus esset amor et finis vitae eius, eius beata spes.

In virtutibus quoque moralibus verum fuit exemplar. Ad eas contendebat sancto fortissimoque fervore etsi secum alacri cum voluntate luctabatur, ita naturali suae vehementiae moderans, ut eam in pacis fontem et spiritalem vigorem supernaturalem mutaret, in actus simplicitatis ac facultatis.

Sed maximum ardorem et vim praestantissimam ostendit in se socianda cum mysterio Iesu et Mariae doloris, ratione sublimissima et salvifica, ideoque corredemptrice et piaculari — secundo — oblationis victimariae, sic efficiens ut modo et forma singularissima « se propter Christum consumeret ».

Duos ferme annos et sex menses haec passio eius duravit, amatoria simulque acerba, in infirmitate, ab ipsa a Domino postulata et de qua est prompte exaudita quamque intellexerat ab eius acceptam esse voluntate. A mense Augusto Anni Marialis 1954 ad mensem Decembrem anni 1956 concurrerunt maximae aerumnae et eximiae virtutes, ipsa plene subiecta supremo discrimini spiritali ac morali et etiam corporali purificationis mysticae-passivae corporis et spiritus, donec Deus illam ad caelum vocavit, quam se in venerat dignam.

Exemplum sanctitatis, quod ea Ecclesiae proposuit, est ad praesentia quam maxime accommodatum et imitabile, iuventuti praesertim purae ac generosae, etiam in saeculo, itemque amori Iesu et Mariae consecratis, in primis in vita contemplativa, « ut vivant Ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit » *(2 Cor* 5, 15). Ita eius perfectionis iter ex communissimis est, alacritas autem interior ex humillimis et impensissimis, cum Soror Maria a Consolatione modo certissimo ac definito et diligentissimo se vovendi atque consumendi pro Christo respondisset, id putans esse maximi momenti: quod sane, ratione sua propria, iuventus sincerior, verior et paratior ad se tradendam ex toto, intellegit et communicat.

Fama sanctitatis Sororis Mariae a Consolatione ab Immaculato Corde B. M. V., iam in vita inita, crevit potissimum biennio peculiaris eius oblationis victimariae, quoad, iam in morte, aliqui significaverunt spem olim illi altarium honorem tributum iri, optantes fore ut ea fama canonice agno-

sceretur. Re tamen vias ad hoc persequendum aperuerunt Ordo Minimorum et Monasterium Minimarum oppidi Daimiel, postquam eiusmodi fama est fines transgressa non modo eius provinciae, verum etiam eius patriae terrenae, Hispaniae nempe, et eius Ordinis religiosi.

A Sancta Sede obtento permissu, Episcopus Civitatis Regalis (olim Cluniensis), beatificationis et canonizationis Causam inchoavit per celebrationem processus cognitionalis (annis 1980-1982), cuius auctoritas probata est Congregationis de Causis Sanctorum decreto, die 19 mensis Septembris anno 1984 promulgato.

Parata Positione, disputatum est an constaret de virtutibus in gradu heroico. Die 26 mensis Aprilis anno 1994 Congressus Peculiaris est actus Consultorum Theologorum felici cum eventu. Insequentis mensis Iulii die 5 habita est Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Relatore Em.mo Cardinali D. Simone Lourdusamy; qui omnes fassi sunt Servam Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Consolatione ab Immaculato Corde B. M. V. (in saec.: Consuelo U trilla Lozano), Monialis Professae Ordinis Minimorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ffiS.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

LÜGEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Dominicae Brun Barbantini Fundatricis Congregationis Sororum Infirmis Ministrantium (1789-1868)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Maria Dominica Brun Lucae in Italia nata est die 17 mensis Ianuarii anno 1789. Salvatori Barbantini nupta, paucis post mensibus virum amisit et, quem ab eo habuit, filius prima est mortuus aetate. Postid mirabili cum cura assiduitati pauperibus aegrotisque praebendae se dedidit atque varia adiuvit religiosa Instituta, et Congregationem Sororum Infirmis Ministrantium condidit, quam prudentia, firmitudine magnoque rexit sacrificii spiritu. Sancte mortem obiit, sicut vixerat, die 22 mensis Maii anno 1868.

Sanctitatis fama, qua viva fuit ornata, post mortem etiam mansit; quam ob rem Archiepiscopus Lucensis anno 1927 Causam iniit beatificationis et canonizationis. Quae ius statuit peractis, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 26 mensis Martii anno 1994 est super virtutibus heroum in modum cultis decretum promulgatum.

Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem eiusdem Servae Dei intercessioni ascriptam. Haec sanatio ad Petrum Galmacci pertinet, annos natum 36, qui mane diei 6 mensis Maii anno 1959 fortibus continuisque stomachi doloribus laborare coepit, quibus erat vomitio coniuncta. Symptomatologia graviore facta, vespere eiusdem diei est in Viaregiense valetudinarium deductus, ubi laparotomiae exploratoriae subiectus est, ex qua diagnosis fieri potuit de pancreaticae glandulae inflammatione haemorrhagica acuta cum peritonite et gravi virium debilitationis statu. Humor exsudatus est haustus et in abdomen antibiotica immissa. Cum condicio clinica gravis esset, prognosis est facta prorsus infausta; omnes namque curantes dixerunt se pro certo habere paucas aegroto vitae horas reliquas esse; hocque familiaribus nuntiaverunt. Tum Soror quaedam Congregationis Sororum Infirmis Ministrantium, quae chirurgicae sectioni adfuerat et casum humaniter desperatum audierat esse, divinum imploravit auxilium cum fiducia per Matris Mariae Dominicae Brun Barbantini deprecationem, cuius reliquiae super moribundi lecto positae sunt. Deinde eadem religiosa, cum aliis personis, novendialem apud aegrotum supplicationem in honorem Servae Dei incepit. Vix post tres horas, id est circiter horam tertiam post mediam noe-

tem diei 7 mensis Maii ex improviso aeger ad sensum sui rediit familiaribusque bene se habere dixit. Mane medici admirati sunt eum adhuc vivere et quidem bonis in condicionibus. Die 23 mensis Maii omnino refectus valetudinarium reliquit.

De sanatione, ilico mira habita, est apud curiam Lucensem canonica inquisitio facta, anno celebrata 1981 et iure probata per decretum Congregationis de Causis Sanctorum calendis Februariis anno 1986 promulgatum.

Medicorum Consilium in sessione diei 5 mensis Maii anno 1994 una voce diagnosim edixit de « pancreaticae glandulae inflammatione acuta necrotica haemorrhagica cum peritonite et virium debilitationis statu » declaravitque sanationem celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et pro scientia inexplicabilem. Mensis Octobris die 21, eodem anno, Congressus Peculiaris actus est Consultorum Theologorum et postridie subsequentes nonas Décembres Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium atque Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Iosepho Caprio.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Maria Dominica Brun Barbantini, Fundatrice Congregationis Sororum Infirmis Ministrantium, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Petri Galmacci a «pancreatite acuta necrotico-emorragica con peritonite e stato di shock ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

ffi Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 1 Aprilis 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Nasaitensi R.D. Iosephum Mariam Punt, e clero dioecesis Ruremundensis, hactenus ibidem Vicarium episcopalem atque Capituli Cathedralis sodalem, quem deputavit Auxiliarem dioecesis Harlemensis.

die 10 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Gravelbourgensi R.P. Raimundum Roussin, Societatis Mariae sodalem.

die 12 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Biltensi R. D. Ioannem Barros Madrid, parochum paroeciae vulgo nuncupatae « San Gabriel » in urbe Sancti Iacobi in Chile, quem constituit Auxiliarem dioecesis Vallis Paradisi.

die 13 Aprilis. — Coadiutorem Em.mi P.D. Ioannis Hermanni S.R.E. Cardinalis Groër, Archiepiscopi Viennensis, Exc.mum P.D. Christophorum Schönborn, hactenus Episcopum titularem Sutrinum et Auxiliarem Viennensem.

die 3 Maii. — Cathedrali Ecclesiae luganensi Exc.mum P.D. Aemilium Bataclan, hactenus Episcopum titularem Gunelensem et Auxiliarem Caebuanum.

die 5 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Aquensi in Gallia Exc.mum P.D. Ludovicum Mariam Bille, hactenus Episcopum Valleguidonensem.

die 8 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Nicolai de los Arroyos Exc.mum P.D. Marium Aloisium Baptistam Maulión, hactenus Episcopum titularem Febianensem et Auxiliarem Rosariensem.

die 9 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cebaradesensi R.D. Michaelem Richardum Cote, e clero dioecesis Portlandensis ibique curionem paroeciae Sacri Cordis in oppido vulgo Auburn, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P.D. Iosephi Ioannis Gerry, Episcopi Portlandensis.

die 9 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Campecorensi R.D. Iosephum Aloisium Amezcua Melgoza e clero dioecesis Zamorensi in Mexico, hactenus in urbe « Tangancicuaro » paroeciae Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Clodoaldi Exc.mum P.D. Ioannem F. Kinney, hactenus Episcopum Bismarckiensem.

die 12 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Segobiensi Exc.mum P.D. Aloisium Gutiérrez Martín, hactenus Episcopum titularem Tiseditanum et Auxiliarem archidioecesis Matritensis.

— Cathedrali Ecclesiae Salmantinae Exc.mum P.D. Braulium Rodríguez Plaza, hactenus Episcopum Oxomensem-Sorianum.

die 13 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Ayacuquensi Exc.mum P.D. Ioannem Aloisium Cipriani Thorne, hactenus Episcopum titulo Turuzitanum Auxiliarem que praedictae Ecclesiae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Furnitanae maiori R.D. Hectorem Sabbatium Cardelli, hactenus curionem in civitate Rosariensi, quem constituit Auxiliarem archidioecesis Rosariensis.

die 16 Maii. — Coadiutorem Exc.mi P.D. Renati Henrici Gracida, Episcopi Corporis Christi, Exc.mum P.D. Robertum Octavium González, O.F.M., hactenus Episcopum titularem Ursonensem et Auxiliarem archidioecesis Bostoniensis.

die 17 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Brigantinensi in Brasilia R.D. Brunonem Gamberini, Seminarii dioecesani Sancti Caroli in Brasilia rectorem.

die 20 Maii. — Abbatiae territoriali SS.mae Trinitatis Cavensis R.P.D. Benedictum Mariam Salvatorem Chianetta, O.S.B.

— Cathedrali Ecclesiae Brovnsvillensi Exc.mum P.D. Raimundum Iosephum Peña, hactenus Episcopum Elpasensem.

die 24 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Capsitanae Exc.mum P.D. Adalbertum Paulum Da Silva, O.F.M. Cap., hactenus Episcopum Vianensem, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Fortalexiensis.

die 25 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Sammarinensi-Feretranae R.D. Paulum Rabitti, hactenus Pontificiae Commissionis de Bonis Culturalibus Ecclesiae Secretarium.

die 27 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Lugdunensi Exc.mum P.D. Ioannem Balland, hactenus Archiepiscopum Remensem.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 3 Martii 1995. — Archiepiscopum coadiutorem archidioecesis Lubangensis Exc.mum R.D. Zachariam Kamwenho, hactenus Episcopum Neo-Redondensem.

die 1 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Amravatensi R.D. Eduinum Colaço, e clero archidioecesis Bombayensis, hactenus in Missione vulgo Talassari nuncupata in Indica regione missionarium.

— Cathedrali Ecclesiae Hazaribaganae, noviter erectae in India, Exc.mum R.D. Carolum Soreng, S.I., hactenus Episcopum Daltonganiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Khuntiensi, noviter erectae in India, Exc.mum R.D. Stephanum M. Tiru, hactenus Episcopum Dumkaënsem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Chunaviensi R.D. Murphy Nicolaum Xavierum Pakiam, parochum paroeciae « Nativity of the Blessed Virgin Mary » nuncupatae in urbe vulgo Butterworth, quem constituit Episcopum auxiliarem archidioecesis Kuala Lumpurensis.

die 23 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Pontipolitanae R.P. Malcom Galt, Magistrum Novitiorum Congregationis S. Spiritus in urbe Portus Hispaniae, posita in insulis dictis Trinitas et Tobagum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 3 **Maggio** 1995, S. **E. il Signor** ALBERTO J. VOLLMER HERRERA, **Ambasciatore del Venezuela presso la Santa Sede.**

Ha, altresì ricevuto in Udienza:

Martedì, 2 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor** LEONID KUCHMA, **Presidente della Repubblica Ucraina.**

Giovedì, 5 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor** RAFAEL CALDERA, **Presidente della Repubblica del Venezuela.**

Giovedì, 11 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor** SYLVESTRE NTIBANTUNGANYA, **Presidente della Repubblica del Burundi.**

Giovedì, 11 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor Sleiman Tony Frangié, Ministro di Stato per la Municipalità e per i Villaggi della Repubblica del Libano.**

Venerdì, 12 **Maggio** 1995, **S. E. il signor** EL HADJ OMAR BONGO, **Presidente della Repubblica del Gabon.**

Venerdì, 19 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor** FAROUK AL SHARA'A, **Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Araba di Siria.**

Venerdì, 26 **Maggio** 1995, **S. E. il Signor** KIRO GLIGOROV, **Presidente della ex Repubblica Jugoslava di Macedonia.**

Giovedì 11 Maggio 1995 il Santo Padre ha presieduto la riunione degli Emenentissimi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

2 maggio 1995. S.E. mons. Luigi Travaglino, Arcivescovo tit. di Lettere, *Nunzio Apostolico in Nicaragua.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

21 marzo 1995. Le LL. EE. i monsignori Baltazar Porras Cardozo, Arcivescovo di Merida; Wilfrid Fox Napier, Arcivescovo di Durban; Efren Ramos Salazar, Vescovo di Chilpacingo-Chilapa; Jan Srutwa, Vescovo di Zamosc-Lubaczów; Jozef Hrdlicka, Vescovo tit. di Tunudruma; Ciriaco Scanzillo, Vescovo tit. di Bomarzo; mons. Claudio Bellinati; mons. Valerio Vigorelli; sac. Ruperto C. Santos; p. Michel Albaric, O.P.; p. Antonhy Edd, O.F.M.; p. Jean de la Theotokos Ilboudo, S.I.; p. George Kottupallil, S.D.I.; p. Michele Piccirillo, O.F.M.; p. Paul Sfeir, O.L.M.; prof. José Maria Ballester; dott. Giuseppe Basile; prof. Giorgio Feliciani; dott. Paul T.B. Kim; arch. Maria Luisa Polichetti; dott. David Ramsey; dott. Hermann Reidei; prof. Angiola Maria Romanini; prof. Francesco Sicilia, *Consultori della Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa « ad quinquennium ».*

» » » Le LL. EE. i monsignori Gilbert Aubry; Severo Aparicio Quispe; Pietro Garlato; mons. Charles Moiette; rev.do José Roberto Rodrigues Devellard; rev.do Angel Sancho Campo; rev.do Claude Turmel; p. Leonard Boyle, O.P.; p. Josef Metzler, O.M.I.; prof.ssa Maria Natalia Correia Guedes; prof. Francesco Sisinni, *Consultori della Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa « in aliud quinquennium ».*

6 aprile » Mons. Francisco Gil Hellin, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per la Famiglia « in aliud quinquennium ».*

10 » » Le LL. EE. i monsignori Joseph Galante, Vescovo di Beaumont; Jean Bonfíls, Vescovo di Viviers; p. Mariano Arroba, P.M.F.; p. Pier Giordano Cabra, F.N.; p. Flaviano Carraro, O.F.M. Cap.; p. Amedeo Cencini, F.d.C.C; p. Fabio Ciardi, O.M.I.; p. Martino Conti, O.F.M.; p. Ignatius Dekkers, C.SS.R.; mons. Peter Erdö; don Agostino Favale, S.D.B.; p. Santiago Gonzalez Silva, C.M.F.; p. Leonhard Gregotsch, M.I.; p. Rudolf Henseler, S.SS.R.; p. Czeslaw Dra_zek, S.I.; p. Jarlath Me Donagh, O.F.M. Conv.; p. Francis Morrisey, O.M.I.; p. Gabriel O'Donnell, O.P.; p. Arnaldo Pigna, O.C.D.; p. Johannes Schädle, S.C.I.; p. Tomas Spidlik, S.I.; p. Heinz-Meinholf Stamm, O.F.M.; p. Marcello Zago, O.M.I.; p. Polikárp Zakar, O. Cist.; fr. Claudino Falquetto, F.M.S.; fr. John Johnston, F.S.C.; fr. Basilio Rueda, F.M.S.; suor Car-

men Barbe, P.M.; suor Maria Grazia Bianco, M.S.; suor Lilia Capretti, S.A.C.; suor Noëlle Hausman, S.C.M.; suor Maria Ko, F.M.A.; suor Rose M. McDermott, S.S.I.; suor Enrica Rosanna, F.M.A. *Consultori della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica « ad quinquennium ».*

10 aprile 1995. P. Domingo Javier Andres Gutiérrez, C.M.F.; p. Jesus Castellano Cervera, O.C.D.; p. Velasio De Paolis, CS.; p. Michel Dortel-Claudot, S.I.; p. Benoît Duroux, O.P.; p. Francisco Javier Egaña, S.I.; p. Benito Gangoiti, O.P.; p. Gianfranco Ghirlanda, S.I.; p. Francisco Iglesias, O.F.M. Cap.; p. Joseph Pfab, C.SS.R.; don Egidio Vigano, S.D.B. *Consultori della Congregazione per gli Istituti di Vita Consacrata e le Società di Vita Apostolica « in aliud quinquennium ».*

18 » » Mons. Michel Berger, *Capo Ufficio nella Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa.*

28 » » Mons. Bernabé Nguyen Van Phuong, *Capo Ufficio nella Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

» » » Mons. Ramón Macías Alatorre, *Capo Ufficio nella Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli.*

4 maggio » P. Philip Boyce, O.C.D.; don Dario Composta, S.D.B.; p. Corrado Gneo, O.F.M. Cap.; p. Atanasio Mataníí, O.F.M.; p. Fidel González Fernández, M.C.C.I.; p. Sergio Pagano, B.; don Erich Schmid; mons. Rolando Zera, *Consultori della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*

10 » » S. E. mons. Miroslav Stefan Marusyn, Arcivescovo tit. di Cadi, *Segretario della Congregazione per le Chiese Orientali « usque ad 75um annum ».*

25 » » S. E. mons. Ennio Antonelli, Arcivescovo di Perugia - Città della Pieve, *Segretario Generale della Conferenza episcopale italiana « ad quinquennium ».*

NECROLOGIO

9 dicembre 1994. Mons. Humberto Tonna Zanotta, Vescovo em. di Florida *(Uruguay).*

17 marzo 1995. Mons. José Maria Marquez Bernal, Vescovo Prelato em. di Humahuaca *(Argentina).*

20 » » Mons. Amedeo Gonzalez Ferreiros, Vescovo tit. di Metre.

3 maggio » Mons. Bruno Torpigliani, Arcivescovo tit. di Malliana.

4 » » Mons. Julian Groblicki. Vescovo tit. di Filadelfia in Arabia.

6 » » Mons. Luigi Liverzani; Vescovo em. di Frascati *(Italia).*

7 » » Mons. Severino Mariano de Aguiar, Vescovo em. di Pesqueira *(Brasile).*

8 » » Mons. Horacio Coelho Cristino. Vescovo tit. di Drusiliana.

11 » » Mons. Francis J. Green, Vescovo em. di Tucson *(Stati Uniti d'America).*

15 » » Mons. Brigido Golasgas, Vescovo tit. di Leptimino.

21 » Card. Agnelo Rossi, del titolo della Chiesa suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.

An. et vol. LXXXMI 4 Iulii 1995 N. 7

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

A C T A I O A N N I S P A U L I P P . I I

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

KETAËNSIS-AKATSIENSIS

In Gana nova conditur dioecesis Ketaënsis-Akatsiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum, quorum interest, votis, nuper censuerunt accipiendam esse postulationem, qua antea petitum erat ut in Gana, dioecesi Ketaënsi-Hoënsi divisa, nova constitueretur Ecclesia Ketaënsis-Akatsiensis appellanda. Nos igitur uti Successores beati Petri de universo Dominico grege solliciti, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate sequentia decernimus. A Ketaënsi-Hoënsi dioecesi distrahimus territorium meridianum districtuum civilium nuncupatorum Adidome, Akatsi, Anlo, Ketu et Sogakope; ex eoque novam condimus dioecesim *Ketaënsem-Akatsiensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Accraënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea Episcopi

sedem ponimus in urbe « Akatsi » atque ibidem exstans templum titulo Christi Regis ad dignitatem ecclesiae Cathedralis evehimus dum templum Deo in honorem sancti Michaelis Archangeli dicatum et in urbe « Keta » situm ecclesiam Concathedralem iubemus haberi. Concedimus insuper ut, ob locorum huiusque temporis adiuncta, pro canonicorum capitulo consultores dioecesani ad normam iuris eligantur et adhibeantur; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad effectum adducet Venerabilis Frater Andreas Dupuy, Archiepiscopus titulo Saelesiensis atque in Gana Apostolicus Nuntius, qui, re acta, curabit documenta exaranda ac sinceris exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus haudquaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ÊB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 369.086

II

IASIKANENSIS

Nova in Gana conditur dioecesis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Progrediens usque prosperitas communitatis catholicae Ganensis non ipsi solum adfert Pastori Ecclesiae supremo omnique simul Episcoporum ibidem conferentiae gaudium honoremque, sed optimam ostendit etiam spem brevi futurum ut plures ac maiores christianae evangelizationis fructus iisdem locis percipiantur. Quo autem crescens ille christifidelium numerus propiore

quadam pastorali cura coleretur efficientiusque venturam ad vitae suae aetatem dirigeretur, suasum iam pridem est ut latioribus dioecesium divisis finibus tractabiliores passim constituerentur ecclesiasticae diciones, quarum cuique proprius praeesset vigilans praesul. Cogitamus itaque hodie dioecesim Ketaënsem-Hoënsem, cuius pars visum est ut sui iuris efficeretur communitas. Re proin diutius perpensa exceptisque undique eorum sententiis quorum intererat, haec quae subsequuntur apostolica Nostra decernimus fierique iubemus auctoritate. Septentrionalem memoratae dioecesis plagam, in praesentia nempe urbes complectentem vulgari nomine Jasikan, Kadjebi, Kete-Krachi, Nkwanta abducimus inde in novamque convertimus dioecesim posthac *Iasikanensem* rite nuncupandam, quam simul suffraganeam subdimus metropolitanae Ecclesiae Accraënsi atque iurisdictioni ipsius Congregationis pro Gentium Evangelizatione submittimus. Eius praeterea episcopalem collocamus sedem in civitate ipsa Jasikan ubi aedem sacram Deo ad honorem sancti Francisci Klaver ad gradum evehimus dignitatemque liturgicam templi Cathedralis inibi que episcopi instituimus sedem. Ob peculiaria nunc illic adiuncta temporum ac locorum permittimus ut pro canonicorum capitulo dioecesani destinentur et fructuose usurpentur consultores ad canonum normas. Reliqua mandamus ut ad amussim iisdem e sacris canonibus perficiantur atque in posterum administrentur. Nec dubitamus haec singula exsequenda commendare Venerabili Fratri Andreae Dupuy, Archiepiscopo titulo Saelesiensi et ipsi in Gana Apostolico Nuntio, onere addito ad dictam Congregationem pro Gentium Evangelizatione germanum actus exemplum completae illius exsecutionis perferendi, contrariis quibusvis rebus haudquaquam obsistentibus, firmiter sane confisi haec provida Nostra consilia evangelizationis causae eos inter homines plurimum profutura atque universo Ecclesiae Catholicae in Gana salutifero operi magis in dies auxiliatura.

Datum Romae apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quarto, Pontificatus Nostri decimo septimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n.. 399.991

III

KONONGENSIS-MAMPONGANA

Quibusdam distractis territoriis a dioecesibus Kumasiensi et Sunyaniensi, nova in Gana constituitur dioecesis, nomine Konongensis-Mampongana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam gregis salutem provehendam eiusque regimini facilius consulendum postulatum sit ab hac Apostolica Sede ut in Gana, quibusdam seiunctis territoriis a duabus circumscriptionibus ecclesiasticis, nova conderetur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, admotis precibus libenter concedendum esse putaverunt. Nos igitur, Quibus supremum creditum est munus universae Ecclesiae moderandae, eiusdem Congregationis sententiam excipientes ratamque habentes, haec statuimus et decernimus. A dioecesi Kumasiensi distrahimus territorium septentrionale districtuum civilium qui vulgo appellantur Afigya-Sekyere, Asante-Akim North, Asante-Akim South, Ejisu-Juabeng, Ejura-Sekyedumasi, Kwabre, Sekyere East, Sekyere West, et etiam a dioecesi Sunyaniensi territorium distrahimus districtuum civilium vulgo Sene et Atebubu; ex iis omnibus novam condimus dioecesim *Konongensem~Mamponganam* appellandam. Statuimus insuper ut constituta dioecesis suffraganea sit Metropolitanae Ecclesiae Litoris Capitis atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione obnoxia. Huius conditae Ecclesiae sedem ponimus in urbe vulgo Mampong, templumque ibidem exstans, Deo in honorem Sancti Pauli dicatum, ad gradum et dignitatem Ecclesiae Cathedralis evehimus. Praecipimus deinde, ut Pastor constitutae communitatis ecclesialis in suo regimine validum recipiat adiutorium, ut ibidem Collegium Consultorum, ad normam iuris communis quam primum instituatur. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensem et Apostolicum in Gana Nuntium, legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro

Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot.* ***Apost.***
Franciscus Chiaurri, *Protonot.* ***j***^*post.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 366.993

IV

OSOGBOANA

In Nigeria nova conditur dioecesis Osogboana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius provehendum spirituale bonum et efficacius consulendum simul pastorali regimini Christifidelium Nigeriae commorantium intra fines Oyoënsis dioecesis, nuper est petitum ut, eadem divisa, nova constitueretur Ecclesia nomine Osogboana. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa auditisque eorum, quorum interest, votis, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, pro summo, quo fungimur, munere de omnibus Ecclesiis particularibus solliciti, talem sententiam ratam habemus atque Nostra Apostolica potestate sequentia decernimus. Ab Oyoënsi dioecesi distrahimus territorium regionis civilis « Osun » nuncupatae, exceptis districtibus civilibus « Aiyedade, Aiyedire, Irewole, Iwo et Ola-Oluwa»; ex eoque novam condimus dioecesim *Osogboanam* appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Ibadanensi suffraganeam faci-

mus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea Episcopi sedem ponimus in urbe « Osogbo » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sancti Benedicti dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet Venerabilis Frater Carolus Maria Vigano, Archiepiscopus titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolicus Pronuntius, qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ffi ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 366 967

HOMILIAE

I

Catanae habita, ob decretos Dei servae Magdalenae Morano Beatorum caelitum honores.*

1. « Io sono la vera vite ».[1]

Gesù pronuncia queste parole il giorno prima della sua passione. Ma l'allegoria a cui ricorre si riferisce prima di tutto alla risurrezione: la vite è Cristo risorto, Vita invincibile che si dona agli altri. Per essere in grado di donare la vita, la vite deve essere potata. Il vignaiolo deve inoltre quasi « ferirla », quando intende innestarvi un nuovo tralcio. Gesù dice: Il Padre è il vignaiolo; è Lui che coltiva la vigna. La vita che è in me viene dal Padre

* Die 5 Novembris 1994.
[1] *Gv* 15, 1.

ed è vita invincibile. Se io accetto la morte lo faccio per dare ai tralci la vita che è in me, quella che mi ha dato il Padre.[2]

2. Appare chiaro, dunque, che l'allegoria, usata da Cristo prima della sua passione, è orientata in realtà verso il mistero pasquale, mistero della vita che ha vinto la morte. Questa vita è passata attraverso l'esperienza della morte, perché si manifestasse pienamente la sua potenza.

Cristo si presenta come la vite su cui deve essere innestato ciascuno di noi. La vite è pertanto l'immagine della vita eterna, l'innesto è figura della vita che si diffonde. Il Padre è il datore di quella vita che si manifesta nel Figlio e che dal Figlio è comunicata ad ogni uomo, il quale è come il tralcio, nel quale si diffonde la linfa; altrimenti esso appassisce, muore e viene gettato nel fuoco.[3]

Che cosa dunque si deve fare per non essere un tralcio secco? Bisogna rimanere in Cristo; bisogna nutrirsi continuamente della sua parola. Parola che dà la vita. Se la parola di Cristo rimane in noi, la preghiera, che nasce da essa, viene sempre esaudita: « Se rimanete in me e le mie parole rimangono in voi, chiedete quel che volete e vi sarà dato ».[4]

L'allegoria della vite e dei tralci ci svela il mistero del raccolto che Cristo offre alla sua Chiesa. Maturano nella Chiesa, come nella vigna evangelica, quanti accolgono la sua parola — e maturano alla vita in Dio, cioè alla gloria.

La gloria di Dio è l'uomo vivente, « Gloria Dei vivens homo », insegna sant'Ireneo, e aggiunge: Vita dell'uomo è la visione di Dio, « Vita hominis, visio Dei ».[5]

3. Così, mediante questa allegoria proposta alla vigìlia degli eventi pasquali, Gesù rivela pienamente il mistero della vita che è in Lui. Questo mistero è diventato fonte di vita per tanti figli e figlie di questa terra benedetta, ai quali va oggi il nostro pensiero, mentre celebriamo la memoria liturgica di tutti i Santi delle Chiese di Sicilia: il martire Euplo, la martire Agata, ricordata dalla liturgia nel Canone, il beato Cardinale Giuseppe Benedetto Dusmet, per non citarne che alcuni.

Oggi, lo stesso mistero si rivela come fonte di vita immortale per la Serva di Dio Maddalena Morano, che ho la gioia di elevare all'onore degli altari

[2] Cf. *ibid.* 15, 1-2.
[3] Cf. *ibid.* 15, 6.
[4] Cf, *ibid.* 15, 7.
[5] *Adv. haereses,* 4, 20, 7.

nella città in cui per tanti anni ha svolto la sua attività di formazione cristiana della gioventù. In tal modo la nuova Beata, che consacrò totalmente la sua vita a Cristo, potrà renderGli testimonianza di generazione in generazione. Essa viene oggi inscritta nel Libro della vita, affinché tutto il popolo di Dio, peregrinante in questa antichissima culla della cultura greca e romana, possa leggervi la verità sulla giustificazione in Cristo.

4. Facendo memoria di questi eletti testimoni del Vangelo, come non pensare anche ad altri generosi cristiani, la cui avventura spirituale fu un dono di Dio a tutta la Chiesa? Penso al Padre Allegra, un figlio della vostra terra, che tanto efficacemente ha contribuito al progresso del dialogo fra Cristo e la Cina. Penso al venerabile Capizzi e a san Nicola Politi. Penso anche a don Giuseppe Puglisi, coraggioso testimone della verità del Vangelo. Penso poi alle figure femminili, traboccanti di doni dello Spirito, di Lucia Mangano e Giuseppina Faro: in loro il dialogo d'amore del Signore con la sua Chiesa ha toccato vertici di commovente bellezza.

In comunione spirituale con tutti questi Grandi della vostra terra, saluto con affetto la Chiesa di Catania che, alle soglie del nuovo millennio, attingendo all'esperienza e all'intercessione dei suoi Santi, vuole offrire alla Città il tesoro che porta racchiuso nei vasi d'argilla della sua umanità.

Saluto, in particolare, il vostro Arcivescovo, mons. Luigi Bommarito, che ringrazio per le calde parole poc'anzi rivoltemi, descrivendo la ricchezza e gli impegni della Comunità ecclesiale. Con lui saluto il Cardinale Pappalardo e tutti i Vescovi siciliani presenti a questa celebrazione, con uno speciale, affettuoso pensiero per mons. Ignazio Cannavo, Arcivescovo di Messina-Lipari-Santa Lucia del Mela, che ricorda il 50° anniversario della sua Ordinazione sacerdotale. Con gioia accolgo tutti i sacerdoti che oggi concelebrano questa Eucaristia. Accolgo i Religiosi, come anche le Religiose che sempre sono la maggioranza. Accolgo con gioia i laici dell'intera diocesi catanese. *Christifideles laici,* vi saluto, vi vedo con grande gioia in questa grandissima assemblea. Uno speciale saluto porgo all'intera famiglia salesiana, incominciando dai Cardinali salesiani: Castillo Lara, Stickler, Javierre Ortas. Poi il Rettore Maggiore dei Salesiani, e naturalmente la Superiora Generale delle Suore di Maria Ausiliatrice. Un saluto particolare rivolgo alle Autorità civili, amministrative e politiche, che hanno collaborato alla realizzazione di questa mia Visita in Sicilia. Sono molto grato per la preparazione, per tutto quello che si è fatto, due volte. Una volta ad aprile, la seconda volta in novembre. Un saluto cordiale va pure agli ammalati, agli anziani ed a quanti,

non potendo essere presenti, sono uniti a noi spiritualmente mediante la radio e la televisione.

All'inizio del nuovo anno accademico, desidero indirizzare un cordiale pensiero a tutti coloro che operano nel mondo della cultura, in particolare ai docenti, ai ricercatori e agli studenti dell'Università degli Studi di Catania, come pure a quelli dello Studio teologico San Paolo e dell'Istituto Superiore di Scienze Religiose San Luca. Auspico per tutti un generoso impegno di servizio alla verità, in atteggiamento di dialogo rispettoso ed aperto tra scienza e fede.

Carissimi fratelli e sorelle! La vostra antica Chiesa, che ha recentemente ricordato i 900 anni di apertura al culto della sua Cattedrale, è chiamata dalle odierne circostanze a servire la rinascita della Città mobilitando le energie che il Signore costantemente le rinnova, per una instancabile operosità a servizio del bene.

5. Proprio in questa prospettiva ha operato suor Maddalena Morano! Ella, la «maestra nata», era venuta da Torino, la città di Don Bosco, con il suo spiccato talento pedagogico e il suo amore per Dio e per il prossimo. Suor Maddalena dispiegò in quest'isola, a favore della vostra gente, un'intensa e feconda attività spirituale ed educativa. Per lunghi anni si fece una di voi, diventando modello di fedele servizio a Dio e ai fratelli. Guardate a Lei, carissimi fedeli, per meglio realizzare quel progetto apostolico e missionario che la Chiesa catanese, in tutte le sue componenti, è tesa a promuovere, ascoltando la voce dello Spirito ed operando in un comune sforzo di diligente discernimento dei « segni dei tempi ».

Lo scoraggiamento e l'amarezza per vicende sconcertanti e opprimenti sono sentimenti umani comprensibili, ma non devono spegnere il coraggio cristiano dell'impegno nel bene, « costi quel che costi », come diceva Madre Maddalena Morano da oggi Beata.

Carissimi fratelli e sorelle di Catania! Voi avete un patrimonio di fede cristiana e di carità operosa che risale ai primi tempi del cristianesimo: testimonianze certe della presenza di una comunità cristiana in Catania ci sono date a partire dai primi secoli. In questa nostra epoca, caratterizzata da una drammatica crisi di valori umani e da una sofferta ansia per l'Assoluto, a voi è domandato di realizzare un programma serio e impegnativo di approfondimento dottrinale, di coerenza di vita, di perseveranza nell'esercizio della carità.

Vi sia di incitamento Madre Morano, che, animata da profondo anelito di amore e di santità, per tanti anni percorse serena e intrepida le strade della vostra Città e della regione. La sostenevano nel suo impegno gli insegnamenti e gli esempi di san Giovanni Bosco e di santa Maria Domenica Mazzarello. Guardando il mare, ella diceva: « Vedi come è grande, immenso il mare? Più grande, immensa è la bontà di Dio! ». E con un semplice ma incisivo paragone così illustrava il cammino verso la santità: « Si sale l'alta montagna della perfezione con la costante mortificazione. Anche le alte case sono fatte di piccole pietre sovrapposte le une alle altre ».

Le sue esortazioni illuminano, confortano, incoraggiano: « Pensate come avrebbe pensato Gesù. Pregate come avrebbe pregato Gesù. Agite come avrebbe agito Gesù ». Così Madre Maddalena diceva e così viveva, ripetendo a se stessa: « Chiedi la grazia di portare in pace ogni giorno la tua croce ».

6. La nostra sorella, la beata Maddalena Morano, vive in Dio e Dio vive in lei per sempre. « Ti ho amato di amore eterno », afferma il Signore per bocca del profeta Geremia (31, 3). La nuova Beata ha sperimentato in se stessa la verità di questa parola divina e, dopo le prove della vita, rende ora testimonianza dell'avveramento della promessa di Dio al suo popolo: « Essi erano partiti nel pianto, io li riporterò tra le consolazioni; li condurrò a fiumi d'acqua per una strada diritta in cui non inciamperanno; perché io sono un padre per Israele» (31, 9).

La beata Maddalena Morano, insieme con i Beati e i Santi di questa terra di Sicilia e con tutta la « grande folla » dei Santi del cielo, vive ormai « tra le consolazioni » che Iddio riserva ai suoi fedeli, a quanti si sono sforzati di vivere nella fede e di operare secondo carità.

Proprio questo la nuova Beata ha cercato di fare nel corso di tutta la sua vita, amando « non soltanto a parole o con la lingua, ma con i fatti e nella verità ».[6] Il suo amore è divenuto così testimonianza costante di fedele corrispondenza a Dio che è Amore. Ella risplende oggi davanti a noi come luminoso esempio di una solidarietà fattiva che ha saputo unire il Nord ed il Sud dell'Italia.

E adesso la nuova Beata intercede per noi, intercede per la Chiesa. Grande è la potenza dell'intercessione dei Santi! Maddalena ha compiuto la volontà di Dio ed ha lasciato a noi la testimonianza delle opere gradite a Dio.

[6] *1 Qv* 3, 18.

7. Sii felice, Sicilia, sii felice, Catania, patria di Sant'Agata e di molti altri Santi e Beati; patria d'adozione della beata Maddalena Morano!

« Esultino i fedeli nella gloria, sorgano lieti dai loro giacigli. Le lodi di Dio sulla loro bocca: questa è la gloria per tutti i suoi fedeli» (Sal. resp.). Sii felice Sicilia. Sii felice, nonostante tutte le difficoltà e sofferenze che devi portare in questi nostri giorni. Sii felice, sii riconoscente a Dio per questi tesori della santità, della cultura. Tutti questi tesori che sono tuoi rappresentano una sorgente di gioia, di riconoscenza a Dio. Tu sei ricca, con tante tue povertà. Sei ricca e devi essere convinta di questa tua ricchezza. E direi orgogliosa di questa tua ricchezza.

La gloria di Dio risplende in questa illustre Chiesa catanese. Gloria di Dio sono coloro che qui L'hanno cercato con tutto il cuore, e L'hanno trovato. Essi vivono ora in eterno nella sua gloria. Alla loro intercessione noi ci affidiamo.

Amen!

II

Occasione oblata sollemnis liturgiae beatificationis Hyacinthi Cormier et aliorum Servorum Dei.*

1. «Benedetto il Regno che viene».[1]

È Lui che viene, Cristo Gesù, il testimone fedele, il Primogenito dei morti e il Principe dei re della terra, colui che ci ama e ci ha liberati dai nostri peccati con il suo sangue.[2] E Lui che viene.

Ecco, Egli sta davanti al tribunale di Pilato. Il governatore gli domanda: « Tu sei il re dei Giudei? ».

Cristo risponde: «Il mio Regno non è di questo mondo ».[3]

Pilato insiste: « Dunque tu sei re? ».[4]

E Gesù: « Tu lo dici; io sono re. Per questo io sono nato e per questo so-

* Die 20 Novembris 1994.

[1] Cf. *Meli,* 10.

[2] Cf. *Ap 1,* 5.

[3] *Gv* 18, 36.

[4] *Ibid.* 18, 37.

no venuto nel mondo: per rendere testimonianza alla verità. Chiunque è dalla verità, ascolta la mia voce ».[5]

2. Ogni anno, in questa domenica che conclude l'intero ciclo liturgico, siamo convocati, per così dire, al cospetto di Cristo Re dell'universo. Egli non è re nel senso temporale della parola, ma regna sovrano mediante la verità alla quale ha reso testimonianza. Di questo Regno di Cristo ci parlano tutti coloro che ascoltano la sua voce. Coloro che vivono della sua verità. In particolare, con singolare eloquenza, ne parlano coloro che vivono della verità di Cristo in modo eroico.

Nell'odierna solennità la Chiesa eleva alla gloria degli altari, come beati, alcuni di questi testimoni della verità di Cristo. Essi sono:

— Hyacinthe-Marie Cormier - domenicano;

— Marie Poussepin - fondatrice della Congregazione delle Domenicane della Presentazione della Beata Vergine Maria;

— Agnès de Jésus Galand de Langeac - domenicana;

— Eugénie Joubert - della Congregazione delle Suore della Sacra Famiglia;

— Claudio Granzotto - francescano.

3. Témoin de la vérité du Christ, le père Hyacinthe-Marie Cormier l'a été à l'école de saint Dominique. Béni soit Dieu qui nous donne de réunir ce matin en une seule célébration des membres de trois branches de la grande famille dominicaine, si fortement attachée à la prédication de la Vérité!

La vérité n'est pas une notion abstraite, c'est pour nous une Personne, la personne du Christ, Roi de l'univers. Dans sa vie, le Père Cormier n'a cessé de vivre de la vérité et il l'a transmise à tous ses frères dominicains avec humilité et persévérance. N'^vait-il pas associé la vérité à la charité dans sa devise: « Caritas veritatis »? Il disait en effet que donner la vérité est « la plus belle charité ».

Dans le Père Cormier, c'est le mouvement de l'intelligence humaine, éclairée par la foi, que l'Église veut reconnaître et honorer. En effet, le fondateur de l'Université de l'Angelicum nous rappelle que Dieu nous demande d'utiliser les facultés de notre esprit, reflet du sien, pour lui rendre gloire. Homme assoiffé de vérité, il sut également se donner à ses frères comme prieur, comme provincial et comme Maître général de l'Ordre dominicain, dans le respect de ses traditions séculaires. Il guida les fils de saint Domi-

[5] *Gv* 18, 37.

nique avec sagesse et compétence pour les mener vers Dieu, pour faire d'eux de vrais enfants et de vrais témoins du Royaume.

4. A l'œuvre de l'intelligence croyante doit s'ajouter le témoignage de l'amour agissant, de la charité qui ne passera jamais et demeurera dans l'« empire éternel » annoncé par le prophète Daniel.[6] De cette charité active, Marie Poussepin fut saisie dès son enfance et elle eut à cœur de se mettre au service des plus démunis, dans le Tiers-Ordre dominicain de Dourdan, sa ville natale. Elle savait, en effet, reconnaître la vive présence du Seigneur de l'univers dans la personne des plus petits. Servir les pauvres, c'est vivre déjà la béatitude du Royaume.

Marie Poussepin voulut faire de sa vie tout entière une offrande d'amour, comme le montre le texte des Constitutions qu'elle donna aux Sœurs de charité dominicaines de la Présentation de la Vierge, fondées par elle à Sainville. Avec ses compagnes, religieuses apostoliques, elle décidait de travailler « pour l'utilité de la paroisse, pour instruire la jeunesse et servir les pauvres malades ».

vantia. In domo paterna comprehensus est pridie idus Septembres anno 1936. Cum aliis sacerdotibus aequo animo se ad martyrium praeparavit deprecando; die proximo ante mortem est peccata sua confessus; quae mors ictu manuballistae ei est illata die 22 eiusdem mensis.

11. — Iosephus Ferrer Esteve, natus in oppido *Algemesi,* in archidioecesi Valentina, die 17 mensis Februarii anno 1904. Professionem simplicem fecit anno 1920 et anno 1925 sollemnem; anno secuto est sacerdos ordinatus. Praeceptoris et magistri novitiorum muneribus est functus. Sacris Litteris et Ecclesiae Patribus studuit. Propter insignes suas virtutes ab omnibus sanctus habebatur. Die 9 mensis Decembris deprehensus est dum in parentum domo versabatur. Eodem die est manuballista ignivoma peremptus « Vivat Christus Rex » exclamans.

12. — Ioannes Agramunt Riera, postridie idus Februarias ortus anno 1907 Alzamorae, in dioecesi Dertosensi. Simplicem professionem fecit anno 1923 et sollemnem anno 1928. Biennio post sacerdotalem accepit ordinationem. In variis Ordinis ephebeis institutioni se dedidit. Religiosus pius fuit, oboediens, laetus et in virtutum exercitio aequus. Est in domo paterna deprehensus die 7 mensis Augusti anno 1936 et pyroboli ictu interfectus nocte inter diem 13 et diem 14 eiusdem mensis, postquam suis ignovit interfectoribus.

13. — Alfredus Parte Saiz, postridie calendas Iunias natus anno 1899 in oppido *Cilleruelo de Bricia,* intra fines posito archidioecesis Burgensis. Professionem simplicem fecit anno 1916 et sollemnem anno 1924. Presbyteratus Ordinem accepit anno 1928. Munere est functus procuratoris ephebei loci *Villacarriedo.* Ob suam pietatem, Regulae observantiam et indolis bonitatem religiosus exemplaris habebatur. Deprehensus est die 15 mensis Novembris anno 1936, et magna cum patientia dolores tulit custodiae, in deprecationem incumbens et in spiritalem assiduitatem praebendam sociis suis. Cum occultare noluisset se sacerdotem esse et Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum sodalem, pyroboli ictu occisus est die 27 mensis Decembris subsequentis.

Horum tredecim dignissimorum religiosorum mors ilico verum est putata martyrium, animose obitum ad proprium amorem et propriam Deo fidelitatem testificandam. Hac martyrii fama augescente volventibus annis, initae sunt beatificationis et canonizationis Causae seu declarationis martyrii totidemque instructi sunt processus ordinarii apud diversas curias ecclesiasticas. Idibus Martiis anno 1985 Congregatio de Causis Sanctorum auctoritatem et

vim harum canonicarum inquisitionum probavit et die 17 mensis Maii eiusdem anni permisit ut sex Causae in unum cogerentur ad eas inspiciendas apud idem Dicasterium. Apparata Positione, disceptatum est de dubio: an constet de martyrio eiusque causa. Prospero cum exitu calendis Iuliis anno 1994 actus est Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 22 subsequentis mensis Novembris, Causae Ponente Excellentissimo Domino Angelo Palmas, archiepiscopo titulari Vibianensi, professi sunt hos tredecim religiosos Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum veros esse martyres fidei ducendos.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servorum Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servorum Dei Dionysii Pamplona Polo et XII Sociorum, Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, anno 1936 interjectorum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

ffi Eduardus Novak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

MATRITEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Annae Mogas Fontcuberta, fundatricis congregationis Franciscanarum missionariarum a Matre Divini Pastoris (1827-1886)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Filiae meae, invicem diligite, sicut ego dilexi vos et patimini quo modo ego passa sum. Caritas, caritas vera! Amor et sacrificium! ».

Servae Dei Mariae Annae Mogas Fontcuberta spiritale hoc testamentum fuit, quae una cum adhortatione ad caritatem ac sacrificium exemplum Congregationi reliquit vitae omnino in amorem inque Domini laudem impensae, in sodalium sororum, puellularum, pauperum atque infirmorum servitium, necnon in Christi voluntatem faciendam, quem animi magnitudine et alacritate, etiam in via crucis et sacrificii, est secuta.

Mulier haec, quae multam dedit operam Evangelio disseminando atque humanae et christianae mulieris provectioni, orta est in oppido Corrò del Vali apud Granollers, in archidioecesi Barcinonensi, Idibus Ianuariis anno 1827, a Laurentio Mogas et Magdalena Fontcuberta, legitimis coniugibus satis divitibus. Postridie est baptizata et sex septem ve annorum primam accepit communionem, atque anno 1843 Confirmationem. Interea ambobus erat orbata parentibus; quam ob rem diligenter et amanter de ea educanda curam adhibuit eius matrina, quae in domo sua Barcinone illam excepit, ubi Serva Dei vitam egit nulla reprehensione dignam, voluntati Dei docilem ac religionibus et apostolatui deditam. Anno 1848 duas cognovit quondam novitias capuccinas, legibus eius temporis civilibus exclaustratas, quae, moderante p. Iosepho Tous y Soler, et ipso capuccino exclaustrato, de nova cogitabant Congregatione Tertiariarum Capuccinarum instituenda sub titulo « Divinae Pastorae », quae in puellulas pauperes formandas incumberent. Propositum est ad effectum adductum et, Vicensi Episcopo approbante, die 27 mensis Maii anno 1850 in parva urbe Ripoll est prima domus aperta.

Serva Dei, matrinae et propinquorum superata repugnantia, parvo illi coetui se iunxit et die 26 mensis Iunii eodem anno vestem induit religiosam. Aptissima habita, paulo post est communitatis antistita nominata. Subsequenti anno religiosam fecit professionem et anno 1853 est magistrae adepta diploma. Cum sollertia et sacrificii spiritu ac prudentia novo Instituto confirmando prospexit pariterque sororibus sodalibus et puellulis formandis, graves superans difficultates, quae tamen vocationum incrementum et operum in Catalonia et Castella non inhibuerunt.

Anno 1867 domicilium Matriti constituit, ut Scholam « de gratitud » dirigeret et anno 1868 ephebeum privatum, ab interposita extraneorum potestate liberum. Post improvisam p. Tous mortem (anno 1871), qui varia reliquerat problemata suspensa ad Constitutiones pertinentia, approbationem pontificiam et regimen centrale, Institutum in duas distinctas et autónomas Congregationes est divisum: unam ab Episcopo Barcinonensi approbatam, quae est denominata « Capuccinae a Matre Divini Pastoris », alteram ab Archiepiscopo Toletano approbatam, quae vocata est « Franciscanae Missionariae a Matre Divini Pastoris », cuius Serva Dei iure Conditrix habita, antistita generalis ad mortem usque fuit. Scissio ei causa fuit multi doloris; ea vero omni ope reconciliationem quaesivit et coniunctionis restaurationem. Hoc persequi nonnulli Episcopi quoque conati sunt, sed frustra.

Muneris conscia sibi a Providentia concrediti, animo forti ac sereno reformationem perfecit quam p. Tous proposuerat et vitam activam nisa est ad contemplativam accommodare, secundum primum Instituti finem, in franciscanae spiritalitatis alveo orti. Novis Constitutionibus scribendis consuluit, sororum formationem curavit et religiosas fovit vocationes itemque regulae observantiam et apostolatus navitates; prompte pastoribus Ecclesiae cooperata est et re ad societatis Hispanicae bonum contulit per christianam iuvenum formationem et assiduitatem aegrotis praebitam atque pauperibus.

Novas condidit domos in diversis Hispaniae dioecesibus ac de missione egit in Africa aperienda. Qui eam cognoverunt, magnas eius educatricis et evangelizatricis dotes admirati sunt, peritiam in Congregatione gubernanda, indefessum Dei regni studium ac vitae sanctitatem, prorsus Dei et proximi servitio traditae.

Numquam cura de aliis disiuncta fuit a constanti et laeto virtutum christianarum exercitio, quas cum perfectione coluit tum in ordinariis circumstantiis, tum in casibus difficilibus et acerbis. Erga suam consecrationem fidelis, Deum vitae suae et industriae cardinem posuit et, ut ei placeret, ad divinam voluntatem et proprii status officia exsequenda maiore usque alacritate et diligentia contendit. Quantum cuperet se totam Dei esse etiam ex scriptis spiritalibus patet, quae nobis reliquit, in quibus sic locuta est: «Due me, Domine, in iusto tuae sanctissimae voluntatis itinere et veram colere virtutem doce me. Da mihi, Deus mi, cor purum et limpidum, una cum illa recta intentione, sine qua non exsistit virtus. Progressus noster et perfectio in singulis actibus ordinariis et cotidianis bene exsequendis consistit ».

Fides lux fuit et vis vitae eius ac navitatis. Non solum firmiter in divinam revelationem credidit et in Ecclesiae magisterium, sed cotidie quae credebat explicavit aliosque tantundem facere docebat. Negotiorum et occupationum varietas non eam ab officio intimam colendi cum Domino coniunctionem avertit, deprecationem et aeternarum veritatum contemplationem.

Peculiarem nutrivit pietatem erga Sanctissimam Trinitatem, in Nativitatem, Passionem Iesu et Cor eius, necnon erga Eucharistiam, quam multo cum spiritali fructu accipiebat atque frequenter per diem adorabat et noctem. Deum omnibus viribus dilexit et, sui immemor, pro eius gloria semper cum gaudio laboravit et ardore, patienter multa quoque oppetens sacrificia.

Matris Divini Pastoris exemplum secuta, quam tenero ac filiali prosequebatur amore, humilis esse voluit ancilla Domini et indefatigabilis in eius regni aedificatione cooperatrix. Dei paternitatem credidit et pro certo habebat ab eo se plus amari, quam a patre filiam. Sic sibi persuasum habens, mire Domini misericordia ac Providentia confisa est constantemque servavit interiorem et exteriorem tranquillitatem in condicionibus quoque peculiariter difficilibus suo Instituto et Hispanicae societati. Propter Dei amorem, caritate et officiis est proximum prosecuta, praesertim sorores sodales et novitias, quas cum amabilitate, firmitudine et prudentia rexit in viis Dei, iis consilia dando, easdem confirmando, corrigendo et multimodis earum favendo humanae et christianae maturitati. Continua eis virtutum praebebat exempla, et plus bonitate vitae suae docuit, quam verbis.

Ex suae Congregationis proposito, puellulis educandis se dedidit et pauperibus aegrotisque curandis, ac omnibus maternum suum cor aperuit effecitque ut quantus esset et quam abstinens in eos amor experirentur.

In vicis, ubi suum explicabat apostolatum, « mater pauperum » appellabatur, et re vera talis fuit usque ad dierum suorum exitum. Iis ignovit, qui eam vexaverunt et difficultates genuerunt in eius Instituto.

Quam maxime virtutem exercuit prudentiae in vita spiritali, in apostolatu et in communitate gubernanda; fortitudinem in angoribus et in morbis; iustitiam erga Deum et proximum; temperantiam in terrestrium bonorum usu. Vera Sancti Francisci Asisinatis filia, humilitate fulsit, paupertate, mansuetudine, simplicitate, fervore in Dei servitio et animarum salutis studio.

Vota religiosa perfecte servavit et regulam, cui sequendae se dederat, et sodales suas adiuvit, ut plene ac laete ex sua viverent consecratione.

Etiam extremis vitae annis, cum vires deficere coeperunt propter ingravescentem morbum, firma cum voluntate constantique ardore perrexit viam perfectionis percurrere, manifestos faciens progressus in imitatione Christi.

Meritis ornata et fama sanctitatis clara, sancte obiit die 3 mensis Iulii anno 1886 in loco Fuencarral, intra provinciae Matritensis fines.

Quamvis eius virtutum eminentia viva manserit apud eius Congregationem et quotquot eam cognoverant, Causa tamen beatificationis et canonizationis nonnisi inita est anno 1949, per celebrationem processus ordinarii informativi Matritensis, qui conclusus est anno 1963, cui additus est rogatorialis Sancti Christophori de Habana (anno 1954). Horum processuum auctori-

tas et vis Congregationis de Causis Sanctorum decreto, Calendis Decembribus promulgato anno 1989, probata est.

Antea promulgata erant decreta super scriptis (anno 1965) et super Causae Introductione (anno 1977). Id temporis Officio Historico Dicasterii moderante, instrumenta collecta sunt ad Servam Dei pertinentia. Die 9 mensis Maii anno 1989 acta est Sessio Consultorum Historicorum. Apparata Positione, disceptatum est an constaret de virtutibus in gradu heroico. Die 3 mensis Iunii anno 1994 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris effectus est. Die 18 subsequentis mensis Octobris Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Excellentissimo Domino Paulino Limongi, Archiepiscopo titulari Nicaeensi in Haemimonto, agnoverunt Servam Dei Mariam Annam Mogas Fontcuberta heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Annae Mogas Fontcuberta, Fundatricis Congregationis Franciscanarum Missionariarum a Matre Divini Pastoris, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

£8 Eduardus Novak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

MASSILIEN.

Canonizationis beati Caroli Iosephi Eugenii De Mazenod, episcopi Massiliensis, fundatoris congregationis Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae (1782-1861)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Carolus Iosephus Eugenius de Mazenod Calendis Augustis ortus est anno 1782 Aquis Sextus, in Gallia. Viginti sex annorum seminarium est ingressus et anno 1811 presbyteratus accepit Ordinem. Evangelizandis pauperibus agrorum incolis missionibusque ad populum praedicandis Congregationem condidit Missionariorum Oblatorum Mariae Immaculatae, cuius diligens et prudens fuit Antistes Generalis cuiusque in Europa, in America, in Africa et in Asia incrementum fovit. Eodem tempore vicarius generalis Massiliensis fuit et deinde eiusdem dioecesis Episcopus, quam magna cum alacritate et pastorali administra vit caritate. Multum ad fidem disseminandam laboravit, ad doctrinam catholicam et Ecclesiae iura defendenda. Meritis ornatus famaque sanctitatis clarus, mortem obiit die 21 mensis Maii anno 1861.

Anno 1926 Causa inita beatificationis et canonizationis, sunt ex more processus canonici celebrati et die 19 mensis Octobris anno 1975 Summus Pontifex Paulus VI sollemnem peregit beatificationem.

Ad canonizationem obtinendam, in primis a Missionariis Oblatis Mariae Immaculatae et ab archidioecesi Massiliensi exoptatam, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem iudicandam permisit, intercessioni ascriptam eiusdem Beati et aliquot ante annis Mexicopoli patratam.

Eventus hic ad Iesum Hernández Serrano attinet, qui mense Martio anno 1987, quinquaginta quinque annorum, variis coepit perturbationibus laborare, nempe: abdominis doloribus, vomitione, aestu febrique, nimio sudore, cibi fastidio, notabili ponderis imminutione. Postquam est in valetudinarium deductus ut inspiceretur, Tomographia axialis computatoria (TAC) vulnus ostendit in fisso iecoris dextero, quod quidem laparatomia, die 4 mensis Maii eiusdem anni peracta, confirmatum est. Ex biopsi diagnosis facta est de tumore maligno, id est cholangiocarcinomate primitivo in iecore. Ex valetudinario dimissus postridie Nonas Maias, aegrotus do-

mi solum medicinis mitigatoriis curatus est, ad dolorem sedandum. Interea eius condiciones universae in peius mutatae sunt, adeo ut ad ultimum statum devenerint. Iis diebus parochus eius, Missionarius Oblatus Mariae Immaculatae, qui Unctionem Infirmorum ei ministraverat, aegrotum ac familiares hortatus est ut novendialem supplicationem agerent in honorem Beati Caroli Iosephi Eugenii de Mazenod. Precibus domi Beato adhibitis, aliqui etiam paroeciae fideles sociati sunt. Vespere diei 16 mensis Iunii decessus imminere videbatur, sed per noctem subitanea et efficacissima est salubris mutatio facta, quae perpaucis diebus perfecta evasit, cum condicionum universarum refectione, ponderis amissi recuperatione et renovatione consuetae industriae.

De mira sanatione, ilico intercessioni Beati tributa, apud Curiam Mexicopolitanam anno 1993 processus est instructus canonicus, in quo etiam sanatus et curantes testificati sunt. Idibus Octobribus eodem anno Congregatio de Causis Sanctorum decretum promulgavit de dioecesanae inquisitionis auctoritate et vi. Consilium Medicorum in sessione diei 24 mensis Martii anno 1994, uno ore affirmavit sanationem Iesu Hernández Serrano, cholangiocarcinomate correpti gravi cum corporis macie, celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et pro scientia inexplicabilem. Die mensis Iunii 10, eodem anno, Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus et die 18 mensis Octobris subsequentis Patrum Cardinalium atque Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Carolo Iosepho Eugenio de Mazenod, Episcopo Massiliensi et Fundatore Congregationis Missionariorum Oblatorum B. M.* F. *Immaculatae, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Iesu Hernández Serrano, a « colangiocarcinoma con grave deperimento organico ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

83 Eduardus Novak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

NAIROBIEN. seu DUBLINEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Edel Mariae Quinn, virginis saecularis e Legione Mariae (1907-1944)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Fidelis, se filii in modum dedens Mariae, ut Ioannes Apostolus, accipit "in sua" Matrem Christi atque in omnia inducit, quae eius propriam vitam interiorem constituunt, videlicet in suum "ego" humanum et christianum: "accepit eam in sua". Sic ergo in orbem illum ingredi studet, ubi "materna eius caritas" operatur, qua Mater Redemptoris "de fratribus Filii sui curat"; "ad quos gignendos et educandos... cooperatur", secundum mensuram doni, quae uniuscuiusque est propria, virtute Spiritus Christi » (Ioannes Paulus II, Litt. encycl. *Redemptoris mater,* 45: *AAS* LXXIX [1987] 423).

Mariae arte coniuncta, gratiae deprecatrici atque evangelizationis stellae, Edel Maria Quinn celeri gradu in via sanctitatis ambulavit, Dei voluntatem fideliter et alacriter faciens et magno cum fervore, sacrificii spiritu et gaudio operam navans evangelii lumini diffundendo atque caritatis Christi in patria sua et deinde in terra Africana.

Iuvenis haec laica, animo alte mariali apostolicoque praedita, in pago Greenane, ad comitatum Corcagiensem pertinente, prope Kanturk posito in Hibernia, postridie idus Septembres orta est anno 1907 a Carolo Quinn et Aloisia Burke Brown, qui eam secundum Dei et Ecclesiae leges educaverunt. Variis in locis pueritiam egit propter patris professionem, et ob bonitatem, indolis effusionem, morum affabilitatem atque intellegentiae vim est ubique dilecta. Anno 1916 primam Communionem accepit, quae indelebile reliquit in ea vestigium et constantem erga Missam et Eucharistiam adlectationem.

Anno 1918 sacramentum recepit Confirmationis et ab anno 1923 ad annum 1924 discipula fuit Fidelium Sociarum Iesu in collegio Uptonensi in Anglia, ubi diligenti eminuit sedulitate in muneribus cotidianis, in studiis et in corporis exercitationibus, caritate, probitate, facilitate ad quodlibet inceptum participandum aliisque serviendum. Fervidam aluit pietatem in Virginem Mariam et bonum sparsit ac iucunditatem inter aequales. Ob familiae oeconomicas difficultates fuit ei collegium relinquendum. Dublini, ubi cum suis domicilium collocaverat, apud societatem mercatoriam tamquam secretaria laboravit, superiorum sibi aestimationem concilians dotibus suis ac diligentia in suo officio exsequendo. Missa et Communio cotidianae, deprecalo, bonae lectiones animam eius nutrierunt, apertam ad magna atque Domini familiaritatis sitientem. Condicionem uxoriam recusavit, cum statuisset inter Clarissas intrare. Exspectans donec suum consultum ad effectum adduceret, anno 1928 nomen professa est in consociationem laicalem, « Legio Mariae » appellatam, quam Franciscus Duff paucos ante annos Dublini condiderat, eo consilio, ut per Mariam animas salvaret: putabat enim « si Maria diligitur, eius animarum studium communicari et ad eas iri». Edel ardenter consociationis christiana proposita est secuta nec ministrae labore nec officiis erga familiam neglectis, apostolatui se dedidit generosa cum caritate, gaudio atque perseverantia. Biennio post praesidis munus ei concreditum est Praesidii Sanctae Mariae a Refugio, quod concitavit rexitque cum peritia, prudentia plenaque assiduitate nec paucos inde carpsit fructus, praesertim in meretricibus recuperandis. Cum proximus videbatur eius ingressus inter Clarissas, graviter phthisi aegrotavit. Nonis Februariis anno 1932 in valetudinarium deducta Vicklovense, ibi duodeviginti mansit menses, omnibus mira praebens humilitatis exempla, sollicitudinis de proximo et perfecti obsequii erga voluntatem Dei. Morbi crux, cum risu semper lata, eius facta est socia inseparabilis et instrumentum quo melius se conformaret ad Christum crucifixum animasque salvaret. Valetudinario relicto operam suam apud aliam locavit mercatoriam societatem et, semper parata pro gloria Dei et Christi corporis mystici incremento laborare, tempora subcisiva denuo insumere coepit pro Legione Mariae, dum eius cum Domino coniunctio altior fiebat in dies. Interim Legio Mariae se extendere inceperat in Hiberniam et in alias mundi partes. Post brevem in Anglia apostolicam experientiam, Edel propositum est ut se in Africani conferret ut ibi consociationem institueret. Eam Dei voluntatem esse intellexit et prompte condicionem accepit. Familiam reliquit, amicos, patriam et etiam pristinam cupidinem ingrediendi mo-

nasterium. Persuasum enim sibi habebat Deo consecrationem colere se posse non in coenobio sed in mundo, contemplationem temperando cum industria missionali. Simul ac Nairobiam pervenit mense Novembri anno 1936, missionem suam inchoavit et usque ad mortem multa sua naturalia ac supernaturalia talenta in regno Dei aedificando impendit. Legionem Mariae constituit in variis ecclesiasticis circumscriptionibus Africae Mediae, Insulae Mauricianae et Africae Australis. Anno 1940-1941 immorata est in Africa Meridiana ut valetudinem curaret, phthisi affectam; deinceps Nairobiam rediit, ubi, gravibus laboribus apostolicis atque morbo consumpta, aeternitatem intravit die 12 mensis Maii anno 1944, nomen Iesu obmurmurans.

Eius vita splendidum fuerat testimonium fidelitatis erga baptismatis et confirmationis officia atque animosa navaque muneris Ecclesiae salvifici participatio, quae opera sua « efficit ut quidquid boni in corde menteque hominum vel in propriis ritibus et culturis populorum seminatum invenitur, non tantum non pereat, sed sanetur, elevetur et consummetur ad gloriam Dei, confusionem daemonis et beatitudinem hominis » (Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 17). In multis incommodis, periculis, privationibus et impedimentis Serva Dei omnibus viribus suis interfuit, etsi inops, fidei disseminandae et Legioni Mariae confirmandae in Africanis gentibus, in quibus exemplo, verbo et apostolica opera magnum excitavit spiritus missionalis auctum, cum vellet ipsos Africanos evangelizare Africanos. Christianos atque christianas cuiusvis gentis et ordinis consociationi inseruit et de omnibus sine discrimine suas adhibuit curas. Quamquam iis in locis opiniones veteres erant temere conceptae, valuit tamen apostolatu etiam mulieres implicare, siquidem « magni momenti est amplior earum participatio etiam in variis campis apostolatus Ecclesiae » (Conc. Oecum. Vat. II, De apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 9). In perfecta communione cum Ecclesia eiusque pastoribus vixit, et patientia atque amabilitate usa auxilium obtinuit episcoporum, sacerdotum, religiosarum et laicorum, qui, cum eam cognoscerent, suam non occultaverunt admirationem ob eius singularem fervorem spiritalem, inexhaustum apostolicum dynamismum et strenuum sacrificii spiritum. Cum non in hominibus, sed in Deo et in Virgine Maria suam collocasset spem, in exitibus contrariis serena fuit, in aegritudinibus laeta inque laboribus, fortis in difficultatibus, in satu verbi Dei humilis sicut et in copiosorum fructuum spiritalium perceptione. Evidens erat hanc iuvenem corpore fragili, valetudine infirma et ferrea voluntate suam haurire vim a vitali coniunctione cum Domino, qui dixit: « Qui ma-

net in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » *(Io* 15, 5). Vera Christi discipula, eum est secuta, dilexit, laudavit, imitata est totaque vita sua nuntiavit. Sacramentis, pietate eucharistica et mariali, deprecatione, contemplatione ac dolore confirmata, in sanctitatis via progressa est in dies et perfectionem adepta in Iesu imitatione atque in virtutum christianarum exercitio. Fidem vivam, firmam, inconcussam habuit et testificata est, qua impavida mansit et constans in rebus adversis, in angoribus et in calamitatibus. Deum ex toto corde et ex tota mente dilexit et, Spiritus Sancti vi ac in nomine Mariae, amoris divini ignem tulit in vicos Dublinenses inque multas Africae urbes et pagos. Sui immemor Dominum vidit in proximo eique in eodem servivit et corde suo magno ac puro omnes accepit ut redemptionis thesauros unicuique donaret. Pro certo habens se instrumentum in manibus Dei esse et Virginis Mariae, de eorum praesidio numquam dubitavit et etiam temporibus difficilioribus perfectam servavit moderationem et laetitiam. Suprema eius vitae norma eiusque magnae navitatis voluntas Dei fuit, ad quam se cum simplicitate conformavit, humilitate et perseverantia. Prudentia quoque eminuit in Ecclesiae, Legionis Mariae et animarum servitio, animo et fortitudine, temperantia in bonorum terrestrium usu, docilitate erga ecclesiasticas auctoritates, superiores et consociationis normas, aequabilitate in castitate ac paupertate colenda. Quamvis occultationis esset studiosa, fuit tamen veluti « lucerna ardens et lucens » *(Io* 5, 35) et iam in vita claruit sanctitatis fama. Huiusmodi fama post mortem ad diversas dimanavit mundi partes multique cum fiducia eius invocant preces.

Beatificationis et canonizationis causa Nairobiae inita est per celebratum processum ordinarium (annis 1963-1969), cui additi sunt septuaginta duo processus rogatoriales, quorum auctoritas agnita est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die tertio mensis Maii anno 1991 promulgato. Comparata Positione, disceptatum est an Serva Dei virtutes heroum in modum coluisset. Exitu cum prospero die 30 mensis Septembris anno 1994 Congressus Peculiaris actus est Consultorum Theologorum. Patres Cardinales postea et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei tertii decimi mensis Decembris subsequentis, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt Edel Mariam Quinn heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observa visse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proxinum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Edel Mariae Quinn, virginis saecularis e Legione Mariae, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

83 Eduardus Novak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 27 Maii 1995. — Metropolitanae Ecclesiae Caracensi Exc.mum P. D. Ignatium Antonium Velasco García, S. D. B., hactenus Episcopum titularem Utimmirensem et Vicarium Apostolicum Portus Ayacuquensis.

31 Maii 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Vicensi Caesaris R. D. Pretiosum Cantillas, sodalem Societatis Sancti Francisci Salesii, hactenus Collegii eiusdem Societatis in civitate vulgo Cebu nuncupata rectorem, quem Auxiliarem archidioecesis Cebuanae deputavit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Mizigitanae R. D. Michaelem Ernestum Putney, e clero archidioecesis Brisbanensis, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

die 3 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Caacupensi Exc.mum P. D. Catharinum Claudium Giménez Medina, hactenus Episcopum titularem Horaeensem et Auxiliarem archidioecesis Sanctissimae Assumptionis.

— Cathedrali Ecclesiae Casalensi R. D. Germanum Zacchero, hactenus Vicarium generalem dioecesis Novariensis.

die 9 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Luganensi R. D. Iosephum Torti, hactenus eiusdem sedis Administratorem dioecesanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Carinolensi R. D. Manfredum Melzer, e clero Coloniensi, curionem in urbe vulgo Waldbröhl, quem deputavit Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Metropolitanae Ecclesiae Reginatensi Exc.mum P. D. Petrum Mallon, hactenus episcopum Nelsonensem.

die 10 Iunii 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Fesseitanae R. D. Michaelem Angelum Alba Díaz, Seminarii maioris archidioecesis Monterreyensis rectorem, quem Auxiliarem archidioecesis Antequerensis constituit.

die 10 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Sanctae Rosae de Osos Exc.mum P. D. Iairum Jaramillo Monsalve, hactenus Episcopum Riviascianensem.

die 13 Iunii 1995. — Metropolitanae Ecclesiae Mexicanae Exc.mum P. D. Norbertum Rivera Carrera, hactenus Episcopum Tehuacaniensem.

die 14 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Asturicensi R. D. Camillum Lorenzo Iglesias, hactenus Seminarii maioris Auriensis rectorem.

die 17 Iunii 1995. — Metropolitanae Ecclesiae Calabocensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Helimenam de Iesu Rojo Paredes, C.I.M., hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

die 19 Iunii 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Fussalensi R. D. Nicolaum Schwerdtfeger, e clero Hildesiensi, curionem et pro-decanum in urbe vulgo Goslar, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 23 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Placentinae-Bobiensi R. D. Lucianum Monari, hactenus Seminarii magistrum spiritualem alumnorum et praesidem sacrae Theologiae interdioecesani Instituti.

— Metropolitanae Ecclesiae Toletanae Exc.mum P. D. Franciscum Alvarez Martínez, hactenus Episcopum Oriolensem-Lucentinum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Venerdì, 16 **Giugno** 1995, **S. E. il Signor** RADIN SUHARJONO, **Ambasciatore della Repubblica di Indonesia presso la Santa Sede.**

Sabato, 17 **Giugno** 1995, **S. E. la Signorina** MAUREEN ELISABETH MACGLASHAN, **Ambasciatore di Gran Bretagna presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Lunedì, 12 **Giugno** 1995, **S. E. il Signor** GUIDO DI TELLA, **Ministro degli Affari Esteri della Repubblica Argentina.**

Lunedì, 19 **Giugno, S.A.E. fra** ANDREW BERTIE, **Principe e Gran Maestro del Sovrano Ordine di Malta.**

Da sabato 20 a lunedì 22 maggio 1995 il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nella Repubblica Ceca ed in Polonia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato

27 febbraio 1995. S. E. mons. Faustin Ngabu, Vescovo di Goma, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

» » » Le LL. EE. i monsignori Francis Stafford e George Peli, *Membri della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

10 aprile » S. E. mons. Basile Moussa Daoud, Arcivescovo di Horns, Emesa dei Siri, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

IO aprile 1995 Don Angelo Amato, S. D. B., *Consultore delia Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

15 maggio » Le LL. EE. i monsignori Edoardo Davino, Vescovo di Ariano Irpino-Lacedonia ed Heinrich Mussinghoff, Vescovo di Aachen, *Membri del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica « ad quinquennium ».*

26 » » L'Em.mo Signor Cardinale Jozef Tomko, *Prefetto della Congregazione per l'Evangelizzazione dei Popoli « in aliud quinquennium ».*

29 » » S. E. mons. Giovanni Cheli, Presidente del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti, *Membro del Pontificio Consiglio « Cor Unum».*

1 giugno » Padre Luis F., Ladaria, S.I., *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

5 » » S. E. mons. Kamal Hanna Bathish, Vescovo tit. di Gerico, Presidente del Comitato Gerosolimitano; S. E. mons. Jorge Enrique Jiménez Carvajal, Vescovo di Zipaquirá, Segretario Generale del C.E.L.A.M.; rev. Aldo Giordano, Segretario Generale del Consiglio delle Conferenze Episcopali Europee; mons. Pierre Calimé, Esperto del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti; Suor Giuseppina Fragasso, Superiora Generale delle Suore Adoratrici del Sangue di Cristo, Presidente dell'Unione Internazionale delle Superiore Generali, *Membri del Comitato Centrale del Grande Giubileo dell'Anno 2000.*

12 » » Dott. Andrea Gibellini, *Consultore della Sezione Straordinaria dell'Amministrazione del Patrimonio della Sede Apostolica.*

13 » » S. E. mons. Alberto Bovone, Arcivescovo tit. di Cesarea di Numidia, *Pro-Prefetto della Congregazione delle Cause dei Santi.*

» » » S. E. mons. Tarcisio Bertone, Arcivescovo em. di Vercelli, *Segretario della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*

NEGROLOGIO

19 maggio 1995. Mons. Jaime Francisco De Nevares, Vescovo em. di Neuquén *(Argentina).*

22 » » Mons. James Holmes-Siedle, Vescovo tit. di Ard Mór.

24 » » Mons. Amilcare Pasini, Vescovo em. di Parma *(Italia).*

27 » » Mons. François Kabangu Wa Mutela, Vescovo em. di Luebo *(Zaire).*

5 giugno » Mons. Michel Vial, Vescovo em. di Nantes *(Francia).*

7	giugno	1995	Mons. Francisco Prada Carrera, Vescovo em. di Uruaçu *(Brasile).*
8	»	»	Mons. Jules Le Guerrier, Vescovo em. di Moosonee *(Canada).*
9	»	»	Mons. Nicholas Grimley, Vescovo tit. di Tuburbo minore.
10	»	»	Mons. Néophitos Edelby, Arcivescovo di Alep dei Greci Melkiti *(Siria).*

An. et vol. LXXXVH 7 Augusti 1995 N. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSISTORIA

CONSISTORIUM ORDINARIUM PUBLICUM

Feria secunda, die x mensis Aprilis, anno MCMXCV, mane, in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani, fuit *Consistorium ordinarium publicum,* cuius acta ex ordine referuntur:

I. INTRODUCTIO

Summus Pontifex, stans, signavit se signo crucis et cantavit versum *Deus, in adiutorium* ad horam Sextam inchoandam, adstantibus Patribus Cardinalibus, sacris Praesulibus, Abbatibus *olim nullius* et Romanae Curiae Praelatis quibus intimari solet, deinde praesentes certiores fecit de tractandis in Consistorio hisce verbis:

Venerabiles Fratres, opportunitatem iam singuli perpendistis beatos Eugenium de Mazenod, Ioannem de Dukla, Aegidium Mariam a Sancto Ioseph, Zdislavam de Lemberk, et Marcum Krizevcanin, Stephanum Pongrácz et Melchiorem Grodziecki in Sanctorum numero censendi et sententiam vestram per litteras

aperuistis. Unum idemque vos sentire et Canonizationi favere ostendistis.

Itaque omnes huc vos convocavi ut una simul peragamus et consilium ultimum capiamus de sanctorum caelitum honoribus iisdem Beatis decernendis.

Cum autem agatur de consilio magni momenti in vita Ecclesiae, in primis Domini laudes psallendo narremus, eius verbum fidentes audiamus, enixas effundamus preces ut ille sua gratia mentes nostras illuminet nobisque ostendat quid sibi gratum sit, qui ad incrementum Ecclesiae proficiat.

II. PERORATO) DE CANONIZATIONIS CAUSA ET PERPENSIO VOTORUM

Angelus S.R.E. cardinalis Felici, Congregationis de Causis Sanctorum Praefectus, brevem excursum habuit sive de Beatorum vita sive de Causarum processu apud eandem Congregationem habito; quo expleto Ss.mus ad cardinales, praesules et ordinarios allocutionem ad eorum vota pro canonizatione perpendenda sic habuit:

Apud Congregationem de Causis Sanctorum, ut a fratre Nostro Angelo cardinali Felici accepimus, omnia quae opus sunt ut beati Eugenius de Mazenod, Ioannes de Dukla, Aegidius Maria a Sancto Ioseph, Zdislava de Lemberk, et Marcus Krizevcanin, Stephanus Pongrácz et Melchior Grodziecki in Sanctorum numero censeantur feliciter sunt expleta.

Sed et vos, Venerabiles Fratres, antequam hoc Consistorium celebraretur iam per litteras mentem vestram singuli aperuistis et declarastis ipsos Beatos attentis praesertim nostrorum temporum adiunctis, tamquam vitae christianae et sanctitatis exemplaria Universae Ecclesiae esse proponendos.

Cum autem de re maximi momenti agatur, antequam consilium certum et definitivum capiatur et statuantur dies quibus iidem Beati in Sanctorum album adscribantur, si quis vestrum opportunum existimet aliquid addere, fidenter manifestare veut quid sentiat.

Hic Beatissimus Pater quievit aliquantulum deinde, nemine contradicente, sic peregit:

Gaudeo et laetor, Venerabiles Fratres, quod existimastis totius Ecclesiae venerationi beatos Eugenium de Mazenod, Ioannem de Dukla, Aegidium Mariam a Sancto Ioseph, Zdislavam de Lemberk et Marcum Krizevcanin, Stephanum Pongrácz et Melchiorem Grodziecki esse proponendos.

Itaque, auctoritate Dei Omnipotentis, Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, decernimus ut beatus Eugenius de Mazenod, die tertia mensis Decembris anni millesimi nongentesimi nonagesimi quinti, beatus Ioannes de Dukla, die statuendo, beatus Aegidius Maria a Sancto Ioseph, die statuendo, beata Zdislava de Lemberk die vicesima prima mensis Maii anni millesimi nongentesimi nonagesimi quinti, beati Marcus Krizevcanin, Stephanus Pongrácz et Melchior Grodziecki die secunda mensis Iulii anni millesimi nongentesimi nonagesimi quinti, in Sanctorum album referantur.

III. CONFECTIO INSTRUMENTI ACTORUM

Post precationem pro sancta Ecclesia Ss.mus benedictionem impertivit et ilico magister celebrationum domni Papae, de Eius mandato, Instrumenti confectionem sic petiit:

Protonotarii Apostolici hic praesentes humanissime rogantur ut de precibus in Consistorio actis deque Summi Pontificis allocutione ac deliberatione perhabita super sollemnibus Canonizationibus beatorum Eugenii de Mazenod, Ioannis de Dukla, Aegidii Mariae a Sancto Ioseph, Zdislavae de Lemberk et Marci Krizevcanin, Stephani Pongrácz et Melchioris Grodziecki publicum Instrumentum conficiant ad perpetuam rei memoriam.

Quod ita promiserunt se esse facturos. Deinde laude omnipotenti Deo reddita Consistorium est absolutum.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

OBUASIENSIS

Nova dioecesis conditur in Gana, Obuasiensis appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Apostolicum opus ab ipso Domino Nobis commissum summa diligentia explicare nitimur, ut eiusdem salutaria beneficia et praecepta omnia loca contingant cunctasque efficaciter gentes. Idcirco Nos res disponere properamus ut hoc facilius commodiusque eveniat. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, quorum interest audita sententia, haec statuimus et decernimus. Novam dioecesim condimus *Obuasiensem* **appellandam, meridiana parte Sedis Kumasiensis distracta, ita ut territorium districtuum civilium vulgo « Adansi East, Adansi West, Amansie East, Amansie West et Bosomtwe-Kwanwoma » nova dioecesis posthac complectatur. Hanc dioecesim Metropolitanae Ecclesiae Litoris Capitis suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Episcopalem porro sedem in urbe ponimus, quae Obuasi appellatur, et ibidem templum Sancti Thomae ad statum Cathedralis Ecclesiae attollimus. Canonicorum autem capitulum et dioecesani consultores ad iuris normas eligantur. Cetera secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Andream Dupuy, Archiepiscopum titulo Saelesiensem et in Gana Apostolicum Nuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad finem perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur, contrariis rebus minime obsistentibus quibuslibet.**

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£B Angelus **card.** Sodano
Secretarius Status

Iosephus **card.** Tomko
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 369.087

II

CAMPENSIS

In Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis nova conditur dioecesis Campensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ob amplum territorium numerumque simul fidelium suae dioecesis eorundem spirituali saluti navitate, qua cuperet, haud posset consulere, Venerabilis Frater Daniel Franciscus Walsh, sacrorum Antistes Renensis-Campensis, audita Conferentia Catholicorum Episcoporum Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, ab hac Apostolica Sede nuper petivit ut, seiuncto quodam territorio ex ipsa dioecesi, nova conderetur Ecclesia. Nos, Qui gravissimo fungimur munere Supremi Pastoris totius gregis Dominici, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Augustino Caeciaviilan, Archiepiscopo titulo Amiternino, in memorata Natione Nuntio Apostolico, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate sequentia decernimus: a dioecesi Renensi-Campensi separamus integrum territorium civilium municipiorum quae patrio sermone nuncupantur « counties » quaeque sunt: Clark, Lincoln, White Pine, Nye et Esmeralda, atque ex ita distracto territorio novam constituimus dioecesim ***Campensem,*** **iisdem circumscriptam finibus, quibus praefata municipia, simul sumpta, nunc terminantur. Quam ob rem ti-**

tuhis Campensis, dioecesi Renensi adnexus, ab eadem in posterum aufertur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe « Las Vegas » ponimus, ibique exstanti Cathedrali templo, Deo in honorem Sancti Angeli Custodis, vulgo « Guardian Angel », dicato, gradum ac dignitatem Cathedralis templi confirmamus cum omnibus propriis insignibus, privilegiis et honoribus. Praeterea dioecesim Campensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Francisci in California eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Francisci in California subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insignibus et honoribus ornatum atque oneribus et officiis adstrictum, quibus dioecesani Praesules fruuntur atque adstringuntur. Mandamus insuper ut ibidem constituatur, ad normam iuris communis, Collegium Consultorum, qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae quidem sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae eidem debent obvenire e divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda quaeque hactenus ad mensam episcopalem Renensem-Campensem pertinuerunt. In iis autem quae spectant ad Seminarii dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; suoque tempore selecti sacerdotes, sua studia completuri, Romam, si fieri potest, mittantur.

Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae sacri canones praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem clerici Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta ac documenta, quae ad novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia respiciunt, a Curia Renensi-Campensi ad Curiam Campensem quam primum transmittantur. Quae praescripsimus perficienda committimus Venerabili Fratri Augustino Cacciavillan, quem diximus, vel, absente eo, illi, qui curat negotia Apostolicae Nuntiaturae in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, eisdem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi.

Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die uno et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ® Plumbi
In Secret. Status tab., n. 369.882.

III

SANCTAE CLARAE

In Cuba nova conditur dioecesis Sanctae Clarae.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius consulendum spirituali bono atque regimini Christifidelium, Venerabilis Frater Ferdinandus Prego Casal, sacrorum Antistes Centumfocensis-Sanctae Clarae, audita Conferentia Episcoporum Catholicorum Cubae, ab hac Apostolica Sede petivit ut, duobus distractis territoriis a circumscriptione ecclesiastica sua, nova dioecesis conderetur. Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Beniamino Stella, Archiepiscopo titulo Midilensi, in memorata Natione Nuntio Apostolico, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate quae sequuntur decernimus. A Centumfocensi-Sanctae Clarae dioecesi separamus sive integrum territorium civilis provinciae patrio sermone « Villa Clara » nuncupatae sive territorium civilis provinciae « Sancti Spiritus » praeter illam partem pertinentem ad paroecias « San Francisco de Paula «et «Santísima Trinidad» in urbe «Trinidad» sitam; atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim *Sanctae Clarae* appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta territoria, simul

sumpta, in praesens terminantur: quam ob rem titulum Sanctae Clarae dioecesi Centumfocensi adnexum, ab eadem auferimus. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe «Santa Clara» ponimus, ibique exstans Coneathedrale templum, Deo in honorem Sanctae Clarae Virginis dicatum, ad gradum et dignitatem Cathedralis templi evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus.

fovit sodalitatem Immaculatae Conceptionis (quae postea facta est Filiarum Mariae) et Matrum Christianarum. Bethléem dein missa est, ubi ad illorum incolarum spiritalem progressum sua contulit industria. Interea eam gratia divina ad aliud praeparabat munus. Etenim 31 annos nata Serva Dei peculiaris atque assiduae familiaritatis cum Virgine Maria necessitudinem coepit habere, quae, sicut ipsa scripsit, « fortem in corde cupiditatem » ei incendit « multa magna faciendi quoad virtutes pro omnium bono, idque pro Eius amore »; addiditque: « Ex quo tempore amatae Matris meae honorata sum visitatione, omnem exui terrenum affectum ac fluxa omnia et sitiens facta sum difficilia ferendi, aegritudines multas et magnas. Amara facta sunt mihi dulcia et dolores beatitudines, atque deliciae solitudinis paradisus obedientiaque cordi meo meoque spiritui exsultatio. Perfecte omnes meorum antistitum iussus exsequebar et praecepta facile inenarrabilique cum amore. Mater mea in me sine meo merito virtutes infudit deditque mihi ut eas sine labore colerem ». Sicut ipsa in suis narravit scriptis, quae solum post eius mortem cognita sunt, Virgo Maria praecepit ei ut Congregationem a Rosario conderet, ex Arabibus puellis constantem. Impense animadvertit se ad tam necopinatum ac difficile negotium aptam non esse et antequam primos faceret gradus aliquamdiu exspectavit. Interim eius mysticae experientiae multiplicabantur, quibus in Sanctae Virginis imitatione et in amore Dei progrediebatur. « Ipsa mori cupiebam et meum extinguere corpus pro Dei amore, qui se ipsum exinanivit et pro me mortuus est ».

Patriarcha Latino Hierosolymitano Vincentio Bracco adhortante, cui suum aperuerat animum, moderationi spiritali se credidit sacerdotis Antonii Belloni, deinde P. Matthaei Lesciki ac demum D. Iosephi Tannous, qui prudenter et fideliter Servae Dei proposita ad effectum adduxit, Sororibus Ss.mi Rosarii institutis. Primae sodales septem fuerunt puellae, duabus inclusis Mariae Alfonsinae sororibus, quae nonnisi iis se iungere potuit anno 1883, nempe post obtentum permissum relinquendi Sorores Sancti Ioseph ab Apparitione et longum actum tempus in familia. Propter hanc moram officium antistitae ei concredi non potuit, sicut conditor statuerat, qui eam magni fecit semperque quae ab eadem dicebantur libenter accipiebat. Id in Servam Dei antistitae fastidium convertit, quae eius mysticorum donorum ignara et partium quas habuerat in Congregationis ortu, indignitatum et dolorum non paucorum ei causa fuit, quae mirabili toleravit patientia. Nova communitas, etsi inops, celeriter est aucta et anno 1889 approbationem obtinuit dioecesanam et anno 1959 pontificiam. Serva Dei cum novem sodalibus nonis

Martiis anno 1885 professionem religiosam fecit in manibus Patriarchae Hierosolymitani.

Oboedientia est destinata ad suum munus explendum tamquam praeceptrix aut antistita variis in locis: primum Ioppe, deinde in urbibus Beit-Sahour, Salt, Naplus, Zababdeh, Bethléem, Hierusalem et postremo Ain-Karem, ubi ad mortem usque mansit. Multa adiit incommoda ubique, sed cor eius plenum semper erat pacis ac laetitiae. In sua communitate et in populo magna effulsit humilitate, studio silentii, occultationis et sacrificii. Mulier prudens ac modesta, gratias quas a Virgine Maria acceperat nemini patefecit, itemque nemini quae pro institutione Congregationis fecerat. Simplex Soror esse voluit et apparere talisque est a sodalibus ducta, quarum aliquae eam multimodis despexerunt. Quamvis simplex esset, omnibus patebat eam summa cura, perseverantia ac fidelitate suam colere consecrationem et magnopere diligentem esse in oboedientia voluntati Dei, in observantia Regulae, in apostolatu et in virtutum christianarum exercitio. Fides, caritas et spes vitae eius lumen fuerunt ac vis, quae in itinere ad sanctitatem illam sustinuit. Coniunctionem cum Domino aluit per deprecationem, fervidam religionem in Eucharistiam et crebra Rosarii recitatione, cuius mysteria non solum ei argumentum fuerunt meditationis, verum etiam via ad penitus sentiendam familiaritatem cum Maria et in Christi imitatione progrediendum. Se ipsam abnegavit, Evangelio adhaesit et exemplum Iesu est diligenter secuta, praecipue in servitio animarum, in Dei regni aedificatione, in cruce accipienda atque in paupertate explicanda. Dolorem « signum benignitatis Dei» putabat, et inopiam rerum materialium rationem apostolatus: «Magna erat consolatio nostra in nostra paupertate immensa et hanc paupertatis tolerantiam pro peccantibus et votum paupertatis violantibus offerebamus ».

Maxime est Providentiae confisa necnon deprecationis efficaciae et saepe, deprecante Virgine Maria, a Domino obtinuit singulares gratias quae animis ad Deum eiusque Matrem ducendis profuerunt. Amor in Deum fons fuit eius gaudii interioris, eius exterioris tranquillitatis, fortitudinis et patientiae in difficultatibus, amabilitatis erga omnes, perseverantiae in proximorum servitio, quos alacriter et benevole fidem et doctrinam christianam docuit, Dei leges et Ecclesiae, pietatem erga Rosarii Reginam. Pauperes dilexit, aegros, orphanos, dolentes et, digna divini Magistri discipula, semper prompte omnibus ignovit, quotquot eam aegritudinibus affecerunt.

Sancte, ut vixerat, obiit die 25 mensis Martii anno 1927, dum cum aliquibus Sororibus Rosarium recitabat.

Fama sanctitatis, qua viva claruerat, post eius mortem multum est aucta, etiam ob commentarios diurnos qui, usque ad illud tempus secreti, in notitiam venerunt. Causa inita beatificationis et canonizationis, apud curiam patriarchalem Hierosolymitanam annis 1986-1987 processus ordinarius est celebratus, cuius auctoritas probata est per decretum Congregationis de Causis Sanctorum, nonis Iuliis promulgatum anno 1987. Apparata Positione, disputatum est an constaret de virtutibus heroicis. Prospero cum exitu, postridie idus Iunias anno 1994 Congressus Peculiaris est actus Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 22 sequentis mensis Novembris, Causae Ponente Achille Silvestrini, professi sunt Servam Dei Mariam Alfonsinam Danil Ghattas heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas servavisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Alfonsinae Danil Ghattas, Confundatricis et religiosae professae Congregationis Sororum Ss.mi Rosarii de Hierusalem, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

NEAPOLITANA

Canonizationis Beati Aegidii Mariae a Sancto Ioseph (in saec.: Francisci Pontillo), laici professi Ordinis fratrum minorum « Alcantarinorum » (1729-1812)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Aegidius Maria a Sancto Ioseph (in saeculo: Franciscus Pontillo) Tarenti, in Italia, ortus est, die 16 mensis Novembris anno 1729, ab humilibus parentibus. Viginti quinque annorum inter Fratres Minores Alcantarinos Provinciae Franciscanae Lyciensis ingressus est. Facta religiosa professione, eum Antistites ad diversos miserunt Ordinis conventus, donec anno 1759 est Neapolim missus, ubi sine intermissione ad mortem usque mansit. Cum humilitate, sacrificii spiritu et exquisita caritate est muneribus functus coqui, ianitoris, stipis rogatoris. Ex exemplari Franciscano maxima cum fidelitate vixit simplicitateque mirabili. In aegros peculiariter diligens fuit, in derelictos ac pauperes, et praeclaris virtutibus omnes aedificavit. Etiam vivus insignis fuit sanctitatis et miraculorum fama, quae post mortem eius duravit: haec autem die 7 mensis Februarii evenit, anno 1812.

Paucis post annis apud Curiam Neapolitanam beatificationis et canonizationis Causa est inchoata. Iis peractis, quae iuridicae eius temporis normae statuebant, de virtutibus heroum in modum exercitis (anno 1868) deque duobus miraculis (anno 1886) decreta promulgata sunt. Nonis Februariis anno 1888 Summus Pontifex Leo XIII sollemnem peregit beatificationem.

Ad canonizationem obtinendam nuper Causae Postulatio iudicio Congregationis de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem permisit, eiusdem Beati intercessioni tributam, quae Tarenti facta est mense Octobri anno 1937. Sanatio pertinet ad dominam Angelam Mignogna, viginti quinque annos natam, Sancti Pugliése nuptam, quae mense post secundum partum (die 3 mensis Iulii anno 1937) crebris fortibusque haemorrhagiis laborare coepit, quapropter ter est passa uteri rasuram. In valetudinario Tarentino, quo deducta est, de praesentia tumoris maligni in utero est diagnosis facta. Hysteroctomiae fere universae est igitur subiecta simulque ovariosalpingectomiae utriusque lateris. Inter sectionem animadversum est tumorem membra quoque circumiacentia corripuisse. Post brevem salubrem mutationem varia apparuerunt vitia, nempe: haematoma in cavea iliaca dextera, thrombophlebites in artu inferiore sinistro, pleuritis sudatoria sinistra. Insuper vulnus curationis pus eiciebat graveolens. Has ob causas fortemque anhaemiam

aegrota magis magisque ingravescebat. Medicorum prognosis prorsus erat infausta. Interea, religioso Franciscano adhortante, aegrae propinqui et amici beatum Aegidium Mariam a Sancto Ioseph pro Angelae sanatione implorare coeperunt, cuius condiciones in deterius versae sunt usque ad statum extremum. Hinc familiares eam domum referre statuerunt decessum exspectantes. Vespere ante sanationem ab aliquibus est medicis visitata, qui mortem iam imminere dixerunt. Sed ea nocte aegrota, quae veternosa erat, Beato Aegidio aut sommato aut viso, improviso atque inopinato ex morboso exiit sopore sanatamque se sensit. Eius condiciones universae celeriter meliores factae sunt. Postero mane curantes Angelam miro modo mortem certam effugisse reppererunt.

De sanatione, statim Beati Aegidii intercessioni attributa, annis 1989-1990 processus canonicus est instructus apud Curiam Tarentinam, ipsius sanatae testimonio audito. Decretum de inquisitionis dioecesanae auctoritate et vi a Congregatione de Causis Sanctorum proditum est postridie Calendas Octobres anno 1992. Medicorum Consilium, in sessione diei 27 mensis Ianuarii anno 1994 edixit una voce sanationem illam celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et ex scientia inexplicabilem. Die 13 mensis Maii eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris, et die 18 insequentis mensis Octobris Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, archiepiscopo Calaritano. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Aegidio Maria a Sancto Ioseph (in saec.: Francisco Pontillo), Laico professo Ordinis Fratrum Minorum « Alcantarinorum », videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Angelae Mignogna, a « coriocarcinoma uterino con metrorragie recidivanti, trattato con isterectomia subtotale e annessiectomia bilaterale; gravi complicazioni post-operatorie all'apparato respiratorio, al fegato, al cervello e tromboflebite all'arto inferiore sinistro ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ₥ s.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

PREMISLIEN. LATINORUM

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Ioannis Adalberti Balicki, sacerdotis dioecesani (1869-1948)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Ecclesia, saeculorum decursu de suorum sacerdotum formatione semper sollicita fuit et ad hunc finem adipiscendum, inde a Concilio Tridentino «Numinis instinctu ducta, Seminaria esse ubicumque gentium instituenda decernit, in quibus singulari cura sacri ordinis alumni educentur» (Pius XI, Litt. Enc. *Ad catholici sacerdotii,* III: *AAS* 28 [1936] 37).

Sed ut seminaria id consequi possint, ad quod instituta sunt, oportet educatores vere muneri suo pares sint. Summus Pontifex Pius XI ita episcopos adhortatus est: «Sacris eiusmodi conlegiis sacerdotes tribuite maxima virtute ornatos; neque gravemini eos a muneribus abstrahere, specie quidem maioris ponderis, quae tamen cum hac capitali re, cuius partes nulla alia susceperit, comparari nequeunt. Aliunde etiam eos exquirite, ubicumque ad pernobile hoc institutum aptos idoneosque inveniatis. Eiusmodi sunto, ut sacerdotales virtutes exemplo vel magis quam alloquio doceant; atque ita doctrinam impertiant, ut fortem, virilem et apostolicum animum in sacrorum alumnis effingant. Eorum opera, pietas, castimonia, morum studiorumque disciplina in Seminario efflorescant; atque instituendi iuvenes et in praesens adversus vitiorum illecebras et in posterum contra ea quae ingruant, gravioris momenti discrimina — quibus quidem obsistant oportet "ut omnes faciant salvos" — sedulo praemuniantur» *(ib.,* 37-38).

Eiusmodi sentiendi rationes saepe sunt a Romanis Pontificibus confirmatae, ab aliis Ecclesiae pastoribus et a Concilio Vaticano II: «Cum alumnorum institutio et a sapientibus legibus et maxime quidem ab idoneis educatoribus pendeat, Seminariorum moderatores et magistri ex optimis viris

seligantur atque solida doctrina, congrua experientia pastorali et peculiari institutione spirituali et paedagogica diligenter praeparentur » (Decr. de inst. sacerd. *Optatam totius,* 5).

In educatorum numerum, qui peritia eminuerunt, ardore et vitae sanctitate haud dubie referendus est Servus Dei Ioannes Adalbertus Balicki qui, multis ornatus facultatibus et excellentibus sacerdotalibus virtutibus, efficaciter ad formationem contulit alumnorum Seminarii Premisliensis Latinorum et ad illud institutum id reddendum, quod nuper Ioannes Paulus II scripsit: Seminarium « priusquam locus sit vel spatium materiale, spatium est spirituale, per vitae itinerarium, vel atmosphera quaedam, quae provehit et tuetur integrum formationis processum; id quidem ita ut qui a Deo ad sacerdotium vocatur, evadere possit, per sacramentum Ordinis, viva Christi, Ecclesiae Capitis et Pastoris, imago » (Adhort. Apost. post-Synod. *Pastores dabo vobis,* 42: *AAS* 84 [1992] 730).

Dignissimus hic sacerdos in loco Staromiescie, hodie Reso viae vico, ortus est die 25 mensis Ianuarii anno 1869, a Niceta Balicki et Catharina Seterlack, legitimis coniugibus, qui in paupertate vivebant et in Dei legis observantia, labori dediti atque octo filiorum suorum educationi. Servus Dei baptismum accepit postridie quam natus est in ecclesia paroeciali ritus Latini, etsi pater ritus erat Graeci catholici. Inter gymnasii studia, quae laudabiliter Ressoviae peregit, vocationem ad sacerdotium animadvertit, qua re, examine subito baccalaureatus, anno 1888 Seminarium Premisliense Latinorum ingressus est. Postea patefecit: « Multum intus in me luctatus sum, ut intellegerem an haec vocatio esset vera, siquidem conscius eram magnam esse rem sacerdotem fieri. Cogitabam an vere sacerdos sanctus futurus essem ». Iam tum ad sanctitatem intentus, primas superavit difficultates et sereno, prompto ac perseveranti animo diligenter in studia theologica incubuit, in disciplinae observantiam inque virtutes adipiscendas. Die 20 mensis Iulii anno 1892 est sacerdos ordinatus et paulo post destinatus est senis parochi Polnae cooperator, ubi studio pastorali eminuit, deprecationis atque continentiae spiritu, calliditate in catechismo docendo et in praedicatione, Paenitentiae sacramentum administrandi cura et erga pauperes caritate. Eiusmodi apostolatus, qui vix annum duravit, ei existimationem et affectum communitatis paroecialis conciliavit, quae multum doluit cum Servus Dei antistitum consilio Romam se contulit ut ad scientiam theologicam progressionem faceret. Apud Pontificiam Studiorum Universitatem Gregorianam doctoris gradum adeptus est in Theologia et in Philosophia Iureque Canonico bac-

calaureatum; deinde in suam rediit dioecesim (anno 1897) cum munere professoris theologiae dogmaticae in Seminario Maiore. Hanc docuit disciplinam cum facultate, diligentia ac erga Ecclesiae Magisterium fidelitate, alumnorum mentes ad cognitionem aetemarum veritatum aperiens, in eorum cordibus amorem incendens mysteriorum salutis eorumque aiens fidem et vitam spiritualem. Anno 1909 ei concreditum quoque est munus praefecti studiorum et anno 1927 vicarii rectoris munus. Ab anno 1928 usque ád annum 1934 eiusdem Seminarii rector fuit, quod cum amabilitate, firmitudine rexit et prudentia.

Cum multi tunc iuvenes sacerdotium peterent, attente eorum postulationes exquirebat et solummodo in Seminarium recipiebat, qui boni exitus maiorem concitabant exspectationem. Etenim, « semper necessarium est in singulos sacerdotii candidatos diligentissime introspicere, ac praesertim exquirere qua mente, quibus de causis eiusmodi inierint consilium » (Pius XII, Adhort. Apost. *Menti nostrae, III-* *AAS* 42 [1950] 684). Patris instar intellectus et morum formationem futurorum sacerdotum fovebat et dulciter disciplinae observantiam ab eis exigebat. Qui illum cognoverunt testantur eum suam educatoris operam deprecatione alere atque exemplo vitae praescripta sua confirmare i Omnibus viribus est nisus in Seminarii communitate condicionem creare familiarem, idque egregie perfecit. Sed valetudo non sivit eum suam rectoris operam prosequi; attamen in Seminario habitare perrexit, studens ut utilis esset alumnorum confessiones audiendo et professores spiritualiter moderando. Anno 1937 Visitator apostolicus eius Seminarii affirmavit: «In Seminario habitat etiam ex-Professor Balicki, vir vere sanctus, nunc quasi caecus; ipse est Pater spiritualis omnium Professorum, et exemplo mortificationis, orationis cui quasi continuo insistit, exemplo suo est forma practica pro Seminaristis ».

Cum sacerdotes signum esse debent amoris Christi erga genus humanum, Servus Dei caritatem suam pastoralem non circumscripsit et, quantum potuit, etiam in aliis negotiis ecclesialibus et apostolicis laboravit. Episcopus dioeces sanus Iosephus Sebastianus Pelczar eum assessorem nominavit atque referendarium in consistorio episcopali, librorum religiosorum censorem, examinatorem synodalem. Nomen professus est in Circulum Sacerdotum Missionariorum Dioecesanorum et pluribus interfuit missionibus paroecialibus. Efficax praedicator fuit et existimatus, saepe cursus habuit exercitationum spiritualium et acroases religiosas; peculiariter sedulus fuit in sacramento Paenitentiae administrando et ad illum cum fiducia et fructu non pauci

adibant fideles nonnullaque vitae consecratae instituta. Spiritualem assiduitatem praebendam curavit opificibus, operariis catholicis, ancillis, mulieribus aetate provectis necnon aegrotis in valetudinario Premisliensi iacentibus. Peculiarem pastoralem curam adhibuit de puellis perditis et dissolutis, quas sollicite ac prudenter ad bonam frugem reducere est conatus. Hoc ut assequeretur institutioni favit domus receptionis, quam etiam suo stipendio sustinuit. Huiusmodi apostolatus in eum aliquas calumnias eoncitavit, quae tamen neö eius ardorem exstinguere potuerunt nec curam sistere de illis iuvenibus redimendis.

Altero totius orbis bello fuit ei Seminarium relinquendum, a militibus Russicis occupatum, et in domo episcopali habitavit, ubi usque ad mortem mansit. Etsi tristia erant tempora et exitiabiles eventus patriae eius, quam recte diligebat, interiorem et exteriorem tranquillitatem servavit, fructum magnae eius Dei fiduciae. Extremos vitae annos precationi tradidit, piis lectionibus, confessionibus peccatorum audiendis et moderationi spiritali laicorum et Sororum. Cum simplicitate et facilitate excipere perrexit sacerdotes, qui illum adibant ut consilia peterent et consolationem haberent. Cum anno 1942 quinquagesimam anniversariam memoriam ordinationis sacerdotalis celebravit, episcopus Franciscus Barda eius merita lauda vit illumque definivit: «Vitae sacerdotalis exemplum, decus dioecesis, cleri sui oblectamentum». Eadem existimatione fruebatur apud eos qui, aditu ad illum habito, eius constantem apostolicam alacritatem, spiritualem fervorem et virtutum firmitatem metiri potuerant.

Tota eius vita est Dei vestigio signata limpidumque fuit testimonium fidelitatis erga evangelium et Ecclesiam. Pro certo habens « magnitudinem sacerdotis esse in Iesu Christi imitatione» (Pius XII, *Allocutio.-AAS* 45 [1953] 288) est humili cum perseverantia divinum Pastorem imitatus et nisus est sentire in se, quod et in Christo Iesu, qui semetipsum exinanivit formam servi accipiens (cf. *Philp* 2, 5.7). Ut se ad Christum conformaret et quo melius Deo serviret et animis, seipsum abnegavit, humilitatem coluit, castigationem et paenitentiam, a mundi bonis et rebus inanibus fuit alienus et, evangelico oboediens praecepto: « Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est » *(Mt* 5, 48), est sine intermissione in via sancr titatis progressus. In recta semita voluntatis et legis Domini ambulavit eiusque virtutes sicut lux fulserunt. Viva fuit eius fides, inconcussa spes, caritas fervida et industria erga Deum et proximos. Suam nutrivit cum Domino coniunctionem non solum omne vitando peccatum, sed etiam gratiis

caelitus acceptis prompte respondendo atque summa cum diligentia munera sacerdotalia sibi ab antistitibus concredita exsequendo. Assiduus erat in deprecatione et in veritatum aeternarum meditatione; intima cum sinceritate divina mysteria celebrabat et congruenter ea, quae docebat, exercebat. Peculiari cum religione Eucharistiam prosequebatur, Sacrum Iesu Cor et Domini Passionem, Virginem Mariam, angelos et sanctos. Verus Christi apostolus, officium sensit fortiter operam navandi fidei propagationi et regni Dei amplificationi. Idcirco caritate impulsus non sibi vixit, sed ut gloriam Deo daret et aliis redemptionis bona distribueret. Idque cotidie fecit supernaturali prudentia ductus, sacrificii spiritu et recta intentione, non conspicua explicans et singularia, sed mira cum perfectione sua explens munia erga Deum, Ecclesiam et proximos et cum amabilitate opera misericordiae spiritualis et corporalis gerens.

Etiam in infirmitatibus, quae non paucae fuerunt nec leves praesertim extremis vitae annis, Deum laudare continuavit et bonum serere. Aequo animo se ad mortem praeparavit cum humilitate et fiducia manibus Dei se committens. Meritis ornatus et a clero populoque veneratus animam Domino reddidit idibus Marths anno 1948 in Premisliensi valetudinario.

Fama sanctitatis, qua vivus enituit, etiam subsequentibus annis duravit seque et ad totum Polonicum territorium extendit et ad exteras terras, quocirca Episcopus Premisliensis beatificationis et canonizationis Causae initium fecit per processus ordinarii informativi celebrationem (annis 1959-1963), cuius auctoritas probata est Congregationis de Causis Sanctorum decreto die 21 mensis Iunii anno 1991 promulgato. Antea prodita erant decreta super scriptis et super Causae introductione (illud anno 1974, hoc anno 1982). Positione apparata, disputatum est an constaret de virtutibus heroum in modum exercitis. Die 24 mensis Iunii anno 1994 felici cum exitu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Deinde Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 8 subsequentis mensis Novembris, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Andrea Maria Deskur, professi sunt Servum Dei Ioannem Adalbertum Balicki virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum more coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Con-

gregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximam, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Ioannis Adalberti Balicki, Sacerdotis dioecesani, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

ÊB Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

RECINETEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Norberti a S. Maria de Horto (in saec.: Dominici Cassinelli), sacerdotis professi congregationis Passionis Iesu Christi (1829-1911)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Vocationum ad sacerdotium cura viam reperiat oportet ut etiam firmiter proponat et suadeat spiritualem, quam dicimus, directionem. Pernecessarium quippe est, etiam eam traditam praxim denuo invenire, recentiore vocabulo "comitationis spiritualis personalis" hodie expressam, quae copiosissimam procul dubio fructuum segetem pro Ecclesiae vita per saecula tulit [...]. Atque sacerdotes, pro eorum experientia, priores sese exhibeant in suppeditando hoc opere educationis et adiutorii spiritualis personalis; non eos unquam pigebit neglexisse vel aliquandiu in secundum locum etiam utilia et pulchra opera amandasse, si illa potius praeferenda concrete erant, et perstandum sibi animadverterant proprio muneri fideles collaboratorum Spiritus, per illuminationem scilicet et ductum eorum qui ab Illo fuerint vocati» (Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. Postsynodalis *Pastores dabo vobis,* 40: *AAS* 84 [1992] 724s.).

Expertus spiritus magister et conquisitus spiritualis rector Servus Dei P. Norbertus a Sancta Maria de Horto, C. P., fuit, qui annumerare in suis discipulis potuit sanctum Gabrielem a Virgine Perdolente (1838-1862) et

valido fuit auxilio sanctae Paulaë Frassinetti (1809-1882) multisque animis religiosis. Etenim Servi Dei fama sanctitatis peculiariter eius operi moderationis spiritualis est coniuncta.

Ortus is est pridie Idus Apriles anno 1829 in vico Graveglia di Carasco (tunc in dioecesi Iariuensi posito, nunc Clavarensi) ab Antonio Cassinelli et Maria Soracco, natu maximus septem filiorum, quorum duo sacerdotes fuerunt et duae filiae religiosae. Postridie baptizatus est et appellatus Dominicus, estque christiane educatus in familia bene de rebus domesticis constituta et optime coagmentata. Quattuordecim annorum ingressus est seminarium Clavarense, ubi confirmationem accepit die 15 mensis Decembris anno 1845. Cuiusdam sodalis a Passione Christi praedicatio effecit ut iuvenis se converteret ad vitam religiosam in Congregatione Passionis Iesu Christi, quamvis pater resisterei, qui deficere videbat iustas de primogenito exspectationes. Dominicus intravit recessum Congregationis Passionis Iesu Christi « ab Angelo » vocatum, apud Lucam, in quo vestem religiosam induit die 24 mensis Iulii anno 1847 nomen capiens Norbertum a Sancta Maria de Horto, scilicet a Virgine tantum venerata Clavarii et tam Sancto Antonio Mariae Gianelli (1789-1846) cara. Vota religiosa suscepit die 25 mensis Iulii anno 1848, votis consuetis addito quarto, Congregationis proprio, nempe «promovendi pro viribus devotionem Dominicae Passionis iuxta Regulas et Constitutiones ». Aggregatus novae Provinciae religiosae Mariae Sanctissimae a Pietate (ad Picenum et Aprutium pertinenti), studiis theologicis peractis, presbyteratum recepit Camerini die 20 mensis Decembris anno 1851. Post primos ministerii sacerdotalis annos, cui aucta coniungebantur studia personalia et vehemens vita spiritualis, Servus Dei missus est tamquam magistri vicarius novitiorum ad recessum oppidi Morrovalle (in provincia Maceratensi positi), quo mense Septembri anni 1856 pervenit nitidus iuvenis Franciscus Possenti, olim praefecti pontificii, Asisii et Spoletii filius. Servus Dei primos gressus observavit in vita religiosa eius qui nomen cepit Gabrielem a Virgine Perdolente, conferens efficaciter ad maturitatem fulgentis illius sanctitatis, quae suum adepta est culmen primo diluculo diei 27 mensis Februarii anno 1862, cum iuvenis clericus spiritum extremum effudit, ardentia illa verba filialis fiduciae, dicens: « Mater mea, propera ». P. Norbertus enim Gabrielem secutus est ad Insulae Fiscelli montis (in provincia Interamnana) ephebeum pro alumnis, eiusque factus est moderator spiritualis et disciplinaris atque omnes habitus et optata sublimia perspexit eundemque ad culmina duxit probatae sanctitatis, Congregationis a Passione Iesu Christi propriae, et

Marialis. Nomen Sancti « iuvenum et risus » semper iunctum erit nomini eius moderatoris spiritualis, qui est eius beatificatione (quae peracta est die 31 mensis Maii anno 1908) laetatus.

Sed multi etiam Servo Dei anni supererant ad virtutum exercitium, ad ministerium pro animis, praesertim consecratis, et ad fratrum sodalium rectionem. Muneribus magni momenti functus est, tum in sua religiosa Provincia temporibus difficillimis (cögitetur de domuum religiosarum oppressione a Regno Italico decreta anno 1866), tum in gradu generalicio, tamquam consultor, apud Praepositum generalem beatum Bernardum Mariam Silvestrelli annis 1878-1884. Deinceps alia sustinuit officia in Provincia, usque ad annum 1905. Toto hoc tempore vehementissimus fuit eius apostolatus, potissimum in praedicandis exercitationibus spiritualibus communitatibus religiosis, masculinis et femininis, peculiari modo monialibus clausurae. Multa eius scripta, praedicationi destinata, necnon ascetica et ad docendum idonea, sicut et copiosum epistularum commercium ample id probant usque ad extremos vitae annos. Multae animae se committebant eius rectioni spirituali eumque confessarium eligebant, opportunitatem ei dantes utilissimum munus excellenter sacerdotale explicandi.

Quotquot illum adibant non latebant eius virtutes, quae vera sanctitatis fama eum circumfundebant, cum inter fratres sodales, tum inter alias animas consecratas et inter fideles. Genuinus habitus est filius sancti Pauli a Cruce, firmissima instructus fide quae in altum deprecationis spiritum convertebatur, in fervorem per Eucharisticam celebrationem et adorationem, in vivam pietatem Marialem (Virginem invocabat, sicut Sanctus Gabriel, dulci nomine «Mater mea»), in defensionem et propagationem verae Ecclesiae doctrinae: idque in sede confessionali, in praedicatione, in curatione spirituali. Religiosus fuit ac sacerdos heroica instructus spe theologali propter suam inconcussam Dei fiduciam, etiam in casibus atque temporibus difficillimis Ecclesiae et Congregationi, omnino alienus a rebus creatis, ut solum appeteret quod aeternum est. Ante omnia Deum posuit cardinem vitae suae suorumque votorum, ut illum amore usque crescente diligeret. Domini sui patientis et crucifixi contemplatio cor Servi Dei incendit desiderio semper insatiato grati animi et vicissitudinis caritatis heroice cultae. Caritatem erga proximum item heroum in modum explicavit adversus fratres sodales variis in muneribus responsabilitatis et se in promptu ponendo Congregationis bono ac Provinciae. Suas vires profudit in continuo sacerdotali ministerio, praesertim in praedicandis exercitationibus spiritualibus, in sede confes-

sionali et in moderatione spirituali, non neglectis indigentibus quoad corpus, tum ob infirmitatem tum ob egestatem.

Ob suam heroieam prudentiam refulsit in exterioribus rationibus, et, peculiariter, dono consilii erga animas quas dirigebat, non sinens se elementis humanis moveri. Iustus fuit in Deum et in proximum, totum se dedendo sine exceptione atque se habendo semper omnium debitorem; constanter fortis in facienda Dei voluntate inque rebus adversis patienter ferendis, in religiosorum administratione et salutis incommodis; strenue temperans, ad litteram observando austeram et laetabilem Regulam Sancti Pauli a Cruce, cum vero paenitentiae et expiationis spiritu. In perfecta Christi assectatione heroice castus fuit, pauper et oboediens, ab omnibus exemplar habitus; tantumdem diligens in servando quarto voto sodalium Congregationis Passionis Iesu Christi proprio, nitens se ad Iesum Crucifixum conformare.

Ultimis annis, Recineti actis, scrupulis subactus est, atrocibus doloribus ob herniam inveteratam et neglectam, memoriae amissioni aliisque deminutionibus: extrema haec erat purificatio in magni transitus exspectatione. Postremam Missam celebravit die 15 mensis Iunii anno 1911; dein lecto affixus est usque ad obitum. Religiosis solaciis acceptis et pontificia benedictione obdormivit in Domino die 29 mensis Iunii, sollemnitate Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, magna veneratione affectus et vera sanctitatis fama insignis. Sepultus est primum in loci coemeterio; anno vero 1961 corpus eius translatum est Recinetum in ecclesiam sodalium Congregationis Passionis Iesu Christi.

Ob causas mere externas nonnisi annis 1958-1961 celebratus est processus ordinarius apud Curiam Recinetensem, cui additi sunt plures rogatoriales, multis interrogatis testibus et instrumentis collectis magni momenti atque litteris. Calendis Aprilibus anno 1969 decretum editum est quo scripta Servi Dei probata sunt, et die 10 mensis Februarii anno 1984 decretum super validitate processuum.

Apparata Positione, disceptatum est an constaret de virtutibus in gradu heroico. Felici cum eventu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 22 mensis Maii anno 1994. Die 4 mensis Octobris eodem anno Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Exc.mo Angelo Palmas, Archiepiscopo titulari Vibianensi, professi sunt Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua

vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximam, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Norberti a S. Maria de Horto (in saec.: Dominici Cassinelli), Sacerdotis professi Congregationis Passionis Iesu Christi, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Helenae Bettini, fundatricis instituti Filiarum a divina Providentia (1814-1894)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Evangelico sensu percepta virginitas secum detrectationem connubii infert proindeque etiam maternitatis physicae. Verum huius modi renuntiatio maternitatis, quae in mulieris animo gignere potest magnum quoddam sacrificium, recludit simul eam ad alterius generis maternitatem experiendam: quae est maternitas "secundum Spiritum" (cf. *Rom* 8, 4). Haud enim destituit mulierem virginitas propriis dotibus ac praerogativis. Multiplices vero induit formas spiritualis maternitas» (Ioannes Paulus II, Epist. Apost. *Mulieris dignitatem,* 21: *AAS* 80 [1988] 1703-1704).

Divina virginitatis et maternitatis spiritalis dona humiliter accepit et alacriter testificata est Serva Dei Maria Helena Bettini quae, corde indiviso, Christum Dominum dilexit eique servivit et, gloriae Dei eiusque regni studio compulsa, materna cum cura, spiritu sacrificii et perseverantia progressioni

se dedidit humanae atque christianae pauperum, in primis puellarum, pro quibus novam condidit Congregationem religiosam.

Totam suam vitam Romae egit, ubi postridie nonas Ianuarias orta est anno 1814 a Vincentio Bettini et Lucia Cardinali. A familia et a Sororibus, quae eam discipulam habuerunt in ludo, bona est educatione religiosa instructa et, admodum iuvenis, pro proximis talenta impendere coepit quae a Domino acceperat, doctrinam christianam docendo in ecclesia « Santa Maria del Pianto » appellata. Quondam, ut pluviam vitaret, ingressa est ecclesiam cui nomen erat «S. Carlo ai Catinari » ibique parochum cognovit Thomam Ludovicum Manini, sodalem Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli (Barnabitarum), qui eius magister spiritus factus est eiusque vocationis pater. Visis enim illius iuvenis optimis dotibus, proposuit ei ut cum sociis quibusdam communitatem religiosam magistrarum institueret pro puellis pauperibus, tunc ab eruditione exclusis. Inde die 8 mensis Septembris anno 1832 exorta est Congregatio Filiarum a Divina Providentia quae, praesertim initio, in non paucas incurrit difficultates, inter quas non legitimos benefactorum in vitam communitatis interventus, Patris Manini Augustam Taurinorum translationem et primarum sodalium aut derelictionem aut mortem. In sua vocatione firma et Providentiae auxilio confisa Serva Dei viam, quam erat ingressa, est prosecuta et anno 1839 antistitae officium est ei concreditum, quod cum prudentia, sapientia, humilitate et diligentia est exsecuta. Per multos annos fuit etiam novitiarum magistra, quas ad virtutum et perfectionis studium suaviter ac diligenter duxit. « Nostra interior vita » — aiebat illis — « ad vitam Iesu Christi appropinquet, quantum creatura potest divina gratia adiuta. Ut hoc adipiscamini curate vestram destruere stabilem conscientiam, quae Deo est contraria, vestram ipsarum integram abnegationem exercendo indefesse ».

A Sororibus sodalibus est existimata, a superioribus ecclesiasticis et ab ipso Summo Pontifice et solacio est usa videndi sui Instituti confirmationem atque augmentum tum Romae tum extra. Die 25 mensis Septembris anno 1855 Cardinalis Urbis Vicarius, Constantinus Patrizi, congregationis Regulam approbavit et insequentibus calendis Novembribus Serva Dei cum aliquibus Sororibus sodalibus professionem perpetuam fecit in manibus Patris Caroli Capelli, Instituti antistitis. Deinceps ei dirigendum et reformandum datum est Hospitium Ss. Conceptionis in Transtiberina regione, necnon Piam Domum Caritatis, a Sancto Vincentio Pallotti conditam. Exstruendae novae domui principi prospexit in vi^ co Testaceo, quo caritatis suae erga parvos et pauperes fervorem tulit

suarumque eminentium virtutum lumen. Anno 1892 officium antistitae generalis deposuit extremumque vitae tempus egit suae communitati consilio serviens et exemplo seque praeparans ad ultimum cum Deo occursum, qui eam ad se vocavit die 21 mensis Decembris anno 1894.

Apud Sorores sodales et eos, qui illam cognoverunt, viva mansit eius sanctitatis memoria, quam adepta est Dei voluntatem simpliciter ac perfecte exsequendo atque cum diligentia, perseverantia spiritusque gaudio virtutes colendo christianas. Fides lux fuit et vis eius vitae et apostolatus. Firmiter in Dei verbum credidit, atque in divinorum mandatorum necnon in praeceptorum Ecclesiae, in religiosorum votorum et Regulae, quam erat secuta, observantia ambulavit. Coniunctionem cum Domino aluit, quem toto corde totisque viribus dilexit cuique maxima cum fidelitate usque ad exitum dierum suorum servivit. Deprecatio, veritatum aeternarum meditatio, fervens eucharistica et marialis pietas eius spiritus alimentum fuerunt et eius impensae navitatis anima. Christi fidelis discipula, se ipsam abnegavit, patienter crucem tulit sacrificii, ademptionis, paupertatis et oboedientiae, nec aliud cupivit quam pro Dei gloria bonoque animarum laborare. Ad necessitates Ecclesiae societatisque sui temporis attenta multimodis egentioribus populi ordinibus operam dedit, ob Dei amorem bonorum spiritalium et materialium expertes adiuvando, orando pro peccatorum conversione, doctrinam christianam docendo et legum Dei atque Ecclesiae observantiam, curando, laboribus non parcens, puellarum indigentium educationem. Eiusmodi apostolatus non paucarum aerumnarum ei causa fuit, sed, magna cum Providentiae fiducia, in suo munere perseveravit et, divinitus adiuta, difficultates superavit, reprehensiones atque bonorum terrestrium inopiam. Dictitare solebat: « De rebus materialibus ne sollicitae fueritis: bonae estote, Deum amate et is consulet vobis, ipse se ad hoc faciendum obligavit ». Cum aequabilitate semper egit, consilio supernaturalique prudentia cum in Dei voluntate facienda, tum in Instituto gubernando et in apostolatus operibus, atque, quamvis **tristia** essent tempora, Christi lucem effudit in populo et egregie gravia explevit et difficilia negotia. Eminenter iustitiam exercuit erga Deum et proximum, fortitudinem, temperantiam, humilitatem, benignitatem.

Propter has suas virtutes, quas in vita cotidie est testificata, fama sanctitatis claruit et, mortua, est a sua Congregatione, a clero populoque Romano venerata, adeo ut apud Urbis Vicariatum inita sit beatificationis et canonizationis Causa per celebrationem processus ordinarii informativi (annis 1936-1938), cui adiunctus est processus additicius (annis 1942-1944). Decreto

promulgato super Causae introductione, instructus est processus apostolicus (annis 1952-1954 celebratus). Horum processuum canonicorum auctoritas agnita est decreto Sacrae Rituum Congregationis anno 1955.

Die 11 mensis Februarii anno 1972 actus est Congressus Peculiaris super virtutibus. Tunc aliqui Consultores Theologi postulaverunt ut, sub moderatione et onere Officii Historici-Agiographici eiusdem Congregationis, apte et congruenter instrumenta colligerentur ad Servam Dei pertinentia, ut notitiae complerentur, confirmarentur vel accurate explicarentur, quas testes obtulerunt, in variis processibus interrogati. Hac peracta inquisitione novaque super virtutibus Positione apparata, exitu cum secundo actus est pridie idus Apriles anno 1994 Consultorum Theologorum Peculiaris Congressus. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 5 insequentis mensis Iulii, Causae Ponente Excellentissimo Domino Antonio Mauro, archiepiscopo titulari Thagastensi, professi sunt Servam Dei Mariam Helenam Bettini heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observasse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximam, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Helenae Bettini, Fundatricis Instituti Filiarum a Divina Providentia, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

ROMÀNA seu LUCEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri Casani, sacerdotis professi Ordinis cler. regul. pauperum Matris Dei scholarum piarum (1572-1647)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Petrus Casani est Lucae ortus die 8 mensis Septembris anno 1572 atque anno 1600 sacrum recepit presbyteratus Ordinem. Sodalis fuit Congregationis Clericorum Saecularium Beatae Virginis, a sancto Ioanne Leonardi conditae, et postea Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, in quo intimus fuit et alacer sancti Iosephi Calasanctii adiutor, multis administrationis functus muneribus. Impensum ac fructuosum explicavit apostolatum, praesertim pro iuvenibus pauperibus. Meritis ornatus et fama sanctitatis notus Romae interiit, ubi multos vixerat annos, die 17 mensis Octobris, anno 1647.

Causa canonizationis nonnisi anno 1905 inita est et, rebus peractis iure statutis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 22 mensis Ianuarii anno 1991 declaravit Servum Dei Petrum Casani heroum more virtutes théologales, cardinales et his adnexas exercuisse.

Nuper Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem in Hungaria effectam et eiusdem Venerabilis Servi Dei intercessioni tributam. Sanatio pertinet ad iuvenem Helenam Szöes quae, mense Octobri anno 1738 est peste inguinaria correpta: qui morbus saepe causa erat mortis. In valetudinarium Szegediense deducta, Helena a duobus medicis est visitata, qui, hac diagnosi confirmata, tria in aegrota apostemata recognoverunt inesse et vulnus, quod « carbunculus » appellatur. Therapia inanis fere fuit, siquidem in emplastris constitit ad locum accommodatis. Interim aegrotae condiciones ingravescebant propter ortum gravis status contagionis, quem secuta est seria nervorum perturbatio, cum accessionibus criticis convulsionum atque signis deliris. Res est pro viribus humanis desperata habita; qua re obitus imminere videbatur. Vesperi diei 23 mensis Novembris eiusdem anni, a cappellano valetudinarii labiis et pectore moribundae P. Petri Casani imagine tactis, statim et inexplicabiliter Helena linquentem animum plene revocavit seseque sanatam esse animadvertit. Subsequenti mane e lectulo surrexit ut Missae celebrationi interesset. Deinde apostemata gradatim perfecto et penitus sanuerunt.

Mense post mirum hunc eventum, episcopus Csanadiensis hanc sanationem canonice recognovit; postea instrumenta sunt inserta in processum ordinarium informativum Romae celebratum (annis 1905-1910) super fama sanctitatis Servi Dei. Huius processus auctoritas probata est decreto Congregationis de Causis Sanctorum pridie Idus Ianuarias anno 1990 promulgato. Consilium Medicorum, in sessione diei 21 mensis Octobris anno 1993 ita elocutum est: Diagnosis: « pestis inguinaria gravi cum syndrome nervorum toxica »; Prognosis: « quam maxime suspensa quoad vitam »; Therapia: « nulla »; Sanationis ratio: « naturaliter inexplicabile "quoad modum" pertinens ad integrum decessum status nervorum toxici et symptomatologiae clinicae, cum subsequenti sanitate perfecta et mansura ». Die 15 mensis Aprilis anno 1994 Congressus Peculiaris Theologorum est actus et die 5 mensis Iulii Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Petro Casani a Nativitate Beatae Mariae Virginis, Sacerdote Professo Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, videlicet de perfecta et mansura sanatione Helenae Szöes a « peste bubbonica con grave sindrome neurotossica ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 83 S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

SCIIAMCHIAMEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Gabrielis Mariae Allegra, sacerdotis professi Ordinis fratrum minorum (1907-1976)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Placet mihi quod S. Theologiam legas fratribus, dummodo inter huius studium, orationis et devotionis spiritum non exstinguas, sicut in Regula continetur ».

Orientis Ecclesias respicit Nostra cogitatio, haud secus ac complures antehac fecerunt Pontifices, ut qui sibi in primis mandatum destinatum esse censerent Ecclesiae adservandi unitatem curaque indefatigabili Christianorum conglutinandi unionem ubicumque forte ea esset dirupta. Peculiariter firmum nos iam obstringit vinculum. Omnia ferme communia nobis iam sunt,[8] at ante omnia anhelans ex animo communicamus unitatis desiderium.

4. Ad singulas tum Orientis tum Occidentis Ecclesias pervenit hominum nostri temporis vox clamans, qui sensum suae vitae exposcunt. Eorum sane percipimus appellationem qui Patrem datum oblivioni conquirunt et amissum (cfr. *Lc* 15, 18-20; *Io* 14, 8). A nobis namque hodierni viri mulieresque flagitant ut sibi demonstremus Christum qui Patrem novit et ipsum nobis revelavit (cfr. *Io* 8, 55; 14, 8-11). Dum orbis ideo totius interrogationibus si-

[6] Cfr. Epist. Ap. *Egregiae virtutis* (31 Decembris 1980): *AAS* 73 (1981) 258-262; Epist. Encycl. *Slavorum apostoli* (2 Iunii 1985), 12-14: *AAS* 77 (1985) 792-796.

[7] *Sermo post Viam Crucis Feriae Sextae in Parasceve* (1 Aprilis 1994): *AAS* 87 (1995) 88.

[8] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14-18.

nimus nos sollicitari easque humili teneroque exaudimus animo, plenam nempe consociationem nostram profitentes cum quaerentibus ipsis, invitamur et nos ut sermonibus ac gestibus hodiernis interminatas divitias ostentemus quas nostrae Ecclesiae traditionum suarum in arcis custodiunt. A Domino discamus ipso qui per viam in vulgo consistebat auscultabat dolebat cum eos cerneret « sicut oves non habentes pastorem » *(Mt* 9, 36; cfr. *Me* 6, 34). Ex eo est discendus ille intuitus amoris quo Patri homines conciliabat sibique ipsis, vim simul concedens iis, quae sola mederi posset toti homini.

In res omnino necessarias Orientis et Occidentis Ecclesiae coguntur ut sese impendant, illa ante oculos compellatione collocata: « Coram saeculorum rege, Christo Domino, minime licet exhiberi nos sic disiunctos quem ad modum, pro dolor, per alterum hoc millennium sumus deprehensi. Locum haec discidia necesse est conciliationi cedant atque concordiae; vulnera submoveantur oportet in hoc christianorum unitatis cursu ».[9]

Ultra omnes nostras débilitâtes ad illum, unicum scilicet Magistrum, dirigere nos debemus eiusque participes fieri mortis, ut nos surgamus a studioso cultu adfectionum et recordationum, non de mirabilibus quae pro nobis effecit Deus, verum de humanis eventibus transacti temporis quod graviter adhuc nostros comprimit animos. Obtutum nostrum Spiritus perlucidum reddat ut iuncti simul ad nostrae aetatis progredi possimus hominem qui laetum opperitur nuntium. Si pro exspectationibus doloribusque mundi concordem dederimus responsionem et illuminantem et vivificantem, aliquid revera efficaciori conferemus Evangelii nuntiationi inter dierum nostrorum homines.

5. « In veritatis revelatae exploratione methodi gressusque diversi ad divina cognoscenda et confitenda in Oriente et in Occidente adhibiti sunt. Unde mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae non raro potius inter se compleri dicendae sint quam opponi ».[10]

Quaestiones et optationes et periclitationes, de quibus superius memoravimus, nostro gestantes in animo, ad christianum Orientis patrimonium nostram intendimus mentem. Nolumus tamen illud nec describere nec interpre-

[9] *Allocutio in Consistorio Extraordinario* (13 Iunii 1994): *L'Osservatore Romano,* 13-14 Iunii 1994, p. 5.

[10] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 17.

tari: Ecclesias potius Orientis auscultamus quas vivas interpretes esse novimus translaticii thesauri ab iis adservati. Contemplantibus illum nobis, elementa oculis obiciuntur magni sane ponderis ad pleniorem christianae experientiae integramque intellegentiam, ac proinde etiam ad uberiorem reddendam hodie christianam responsionem virorum mulierumque exspectationibus. Prae qualibet alia humani cultus forma, reapse Oriens christianus partes únicas ac praestantes habet, quatenus contextus primigenius nascentis Ecclesiae.

Certum enim modum secum importat orientalis traditio suscipiendi intellegendi vivendi Domini Iesu fidem. Ita profecto proxime illa ad christianam accedit Occidentis traditionem quae eadem nascitur aliturque fide. Tamen legitime atque insignite ab illa differt, cum proprium habeat sentiendi percipiendique morem christifidelis orientalis, ac propterea nativam aliquam rationem suae colendae necessitudinis cum Salvatore. Hic appropinquare cupimus observantes ac trepidantes actui ipsi adorationis quam hae declarant Ecclesiae, potius quam hoc vel illud distinguere theologicum peculiare argumentum, quod progredientibus saeculis ex illa emersit pugnaci contentione Occidentem inter et Orientem.

A primordiis Oriens christianus multiplicem se intus praebet paremque simul notis recipiendis singularum culturarum propriis atque maxima cum reverentia erga singularem omnem communitatem. Non possumus nos quin Deo magna animi motione gratias agamus propter mirificam illam varietatem qua opus quoddam musivum adeo locuples et bene concinnatum diversis quidem tessellis confici sit passus.

6. Quaedam vero sunt spiritalis ac theologicae traditionis partes, communes pluribus Orientis Ecclesiis, quae earum denotant sensum prae rationibus, in orbe Occidentali receptis, tradendi Evangelium. Ita videlicet rem capitulatim Concilium Vaticanum II perstringit: « Omnibus quoque notum est quanto cum amore Christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticam, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur, "divinae consortes naturae" *(2 Pe* **1,** 4) facti».[11]

His rationibus orientalis mens christiani adumbratur, cuius finis participatio est divinae naturae per Trinitatis mysterii communicationem. Inibi

[11] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 15.

Patris delineatur «monarchia» salutisque notio secundum oeconomiam, prout orientalis theologia post Irenaeum Lugdunensem eam praebet et sicut apud Cappadoces Patres fusius exponitur.[12]

Vitae autem trinitariae participatio per liturgiam efficitur ac praesertim Eucharistiam, mysterium videlicet coniunctionis cum Christi corpore glorificato, quod immortalitatis est semen.[13] In divinizatione et praesertim in sacramentis partes plane praecipuas adscribit orientalis theologia Spiritui Sancto: virtute namque Spiritus in homine commorantis incipit iam in terris deificatio, transfiguratur creatura Deique inauguratur Regnum.

Cappadocum Patrum magisterium de divinizatione in omnium Ecclesiarum orientalium traditionem est ingressum ac partem constituit communis eorum patrimonii. Quae omnia summatim comprehenduntur cogitatione a sancto Irenaeo iam sub secundi saeculi finem prolata: "Deus factus est filius hominis, ut filius Dei fieret homo".[14] Haec divinizationis theologia unus manet ex thesauris christianae menti orientali carissimis.[15]

Nos praecedunt in hoc divinizationis itinere quos gratia et officium bene agendi Christo « simillimos » reddiderunt: sancti.[16] Quos inter eminentem plane obtinet locum Virgo Maria ex qua lesse virga est enata (cfr. *Is* 11, 1). Ipsius autem figura non una mater est quae nos exspectat, sed Purissima quae — ut adimpletio tot figurarum Veteris Testamenti — imago Ecclesiae est, forma et anticipatio humani generis gratia renovati, exemplar spesque certa iis omnibus qui caelestem ad Hierosolymitanam civitatem procedunt.[17]

Quamvis vehementer trinitariam veritatem eiusque implicationem in sacramentali vita Oriens efferat, Oriens fidem de naturae divinae unitate cum incomprehensibili essentiae divinae indole consociat. Semper enim adfirmant orientales Patres fieri haud posse ut quid Deus sit cognoscatur; scire solum

[12] Cfr. S. IRENAEUS, *Adversus haereses* V, 36, 2: *SCh* 153/2, 461; S„ BASILIUS, *Liber de Spiritu Sancto,* XV, 36: *PO* 32, 132; XVII, 43: *l.m.,* 148; XVIII, 47: *l.m.,* 153.

[13] Cfr. S. GREGORIUS NYSSENUS, *Oratio catechetica,* XXXVII: *PG* 45, 97.

[14] Cfr. *Adversus haereses* III, 10, 2: *SCh* 211/2, 121; III, 18, 7: *l.m.,* 365; III, 19, 1: *l.m.,* 375; IV, 20, 4: *SCh* 100/2, 635; IV, 33, 4: *l.m.,* 811; V, *Pref: SCh* 153/2, 15.

[15] Inserti in Christum homines dei et filii Dei fiunt ... ac pulvis in tantum gloriae fastigium extollitur, ut iam divinae naturae, et honoris, et deitatis consors sit, cfr. NICOLAUS CABASILAS, *De vita in Christo,* I: *PG* 150, 505.

[16] Cfr. S. IOANNES DAMASCENUS, *De imaginibus,* I, 19: *PG* 94, 1249.

[17] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Encycl.. *Redemptoris Mater* (25 Martii 1987), 31-34: *AAS* 79 (1987) 402-406; CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 15.

licere Eum esse, quoniam in historia salutis sese uti Patrem, Filium et Spiritum Sanctum patefecerit.[18]

Ineffabilis divinae veritatis sensus hic liturgicam permeat celebrationem, ubi mysterii sensus tam vehementer percipitur ab omnibus christiani Orientis fidelibus.

« In Oriente quoque inveniuntur divitiae illarum traditionum spiritualium, quas praesertim monachismus expressit. Ibi enim inde a gloriosis Sanctorum Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae dein ad occidentales partes manavit et ex qua religiosum Latinorum institutum tamquam e suo fonte originem duxit ac deinceps novum vigorem identidem accepit. Quapropter enixe commendatur ut Catholici frequentius accedant ad has spiritales Patrum Orientalium divitias quae hominem totum ad divina contemplanda evehunt ».[19]

7. Alibi iam saepius perdocuimus primum praestans bonum, quod in Oriente christiano maxime viguit, contineri magno studio populorum eorumque culturarum, ut Dei verbum ac laudes personare late valeant omni lingua. Huic argumento institimus intra Encyclicam Epistulam *Slavorum apostoli* ubi declaravimus: « Sancti Fratres Cyrillus et Methodius similes quavis ratione illis fieri voluerunt, quibus Evangelium annuntiabant; pars reddi voluerunt populorum illorum eorumque sortis omnimode participes »;[20] « de nova methodo catechesis tradendae agebatur ».[21] Haec autem ita agentes late per Orientem christianum indicaverunt propagatam adiectionem: « Cum ergo sic Evangelium insérèrent in populorum culturam, quos evangelizabant, optime quidem sancti Cyrillus et Methodius meriti sunt de constitutione necnon progressione illius culturae animi vel potius multarum eiusmodi culturae formarum ».[22] Singularum cultus humani specierum observantia et custodia apud eos cum ardenti fervore coniunguntur de Ecclesiae universitate quam sine intermissione perficere nituntur. Fratrum duorum Thessalonicensium animus refert in christiana antiquitate rationem multarum Ecclesiarum propriam: congruenter revelatio praedicatur planeque intellegibilis redditur cum Christus diversorum populorum linguis loquitur, et ipsi Scripturas legere va-

[18] Cfr, S. IRENAEUS, *Adversus haereses* II, 28, 3-6: *SCh* 294, 274-284; S. GREGORIUS NYSSENUS, *De vita Moysis: PG* 44, 377; S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *In sanctum Pascha, oratio XLV*, 3s.: *PG* 36, 625-630.

[19] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 15.

[20] N. 9: *AAS* 77 (1985) 789-790.

[21] *Ibid.*, 11: *l.m.*, 791

[22] *Ibid.*, 21: *l.m.*, 802-803.

lent ac liturgiam concinere ea nempe lingua iisque dictionibus, quae illis sunt peculiares, ferme iterando sic Pentecostes ostenta.

Hoc autem tempore, quo magis magisque agnoscitur principale cuiusque populi ius ut secundum suum culturae et mentis patrimonium sese exprimat, singularum Orientis Ecclesiarum experimenta apparent tamquam gravia inculturationis bene peractae exempla.

Quo de exemplari intellegimus, si cavere volumus ne locorum peculiarium studia neve etiam nimii nationum singularum amores renascantur, omnino oportere Evangelii nuntiatio simul penitus infigatur in singularibus culturarum proprietatibus simulque pateat ad coniunctionem cum Ecclesia universali, quae exstat permutatio ad communem omnium locupletationem.

8. Captivos hodie saepius nos temporis praesentis esse sentimus: quasi si notionem homo amiserit sese esse particulam alicuius historiae praecedentis et subsequentis. Huic magno labori, quo contendit quis ut se inter praeteritum collocet futurumque tempus cum grato sane animo tam de acceptis quam de donis postmodum accipiendis, clarum praestant Orientales Ecclesiae sensum continuationis, quae sibi Traditionis atque eschatologicae exspectationis nomina sumit.

Traditio est Christi Ecclesiae patrimonium, viva videlicet Resuscitati memoria quocum Apostoli congressi sunt quemque testificati, et cuius deinceps vivam suis successoribus recordationem prodiderunt, tramite quodam numquam interrupto quem ipsa apostolica successio manuum per impositionem ad hodiernos usque Episcopos praestitit. Constituitur autem eadem traditio in patrimonio historiae et culturae unamquamque apud Ecclesiam, quod componunt martyrum, patrum, sanctorum testimonia et vivens omnium christifidelium fides plura per saecula hosce ad nostros usque dies. Non de formularum agitur immutata iteratione, verum de patrimonio quod vivum adservat primigenii kerygmatis nucleum. Traditio haec Ecclesiam eripit periculo ne mutabiles dumtaxat complectatur opinationes atque certam fidem et continuationem in tuto collocat.

Quotiens contra mores et cuiusque Ecclesiae consuetudines propriae veluti mera accipiuntur immobilitas, fieri certo potest ut nota veritatis viventis Traditioni adimatur, quae nempe crescens enucleatur et a Spiritu idcirco praestatur ut ad homines loquatur omnis aetatis. Et quem ad modum Scrip-

tura iam in eo succrescit qui eam legit,[23] ita alia pariter quaelibet Ecclesiae patrimonii elementa in credentium crescunt intellectu novisque augescunt rebus, fidelitate servata necnon continuatione.[24] Consentit tantummodo in fidei oboedientia perceptio religiosa illius quam Ecclesia nominat « Traditionem » ut haec ipsa in varias inseratur condiciones et adiuncta historica culturaliaque.[25] Numquam merum desiderium Traditio est rerum aut rationum praeteritarum nec querimonia de amissis iuribus privilegiisve, verum vigens Sponsae memoria quae in sempiternum iuvenis custoditur ab illo qui intus inhabitat Amore.

Si ergo coniungit nos Traditio tamquam continuos cum elapsis temporibus, ad futura Dei aperit nos eschatologica exspectatio. Resistere debet unaquaeque Ecclesia neque sinere se induci ut habeat prorsus absoluta quae agit proindeque ut ipsa sese celebret seque maestitiae tradat. Tempus autem Dei est, et quidquid efficitur, numquam idem est ac plenitudo Regni, quod gratuitum semper est donum. Ut moreretur pro nobis Christus Dominus venit a mortuisque resurrexit, dum contra in spe salvata creatura adhuc dolores patitur parturientis (cfr. *Rom* 8, 22); idem redibit dein ille Dominus ut Patri universum restituat orbem (cfr. *1 Cor* 15, 28). Hunc invocat Ecclesia reditum, cuius testis praecipuus monachus est ac religiosus.

Vivo modo declarat Oriens veritates traditionis et exspectationis. Omnis enim eius liturgia praesertim, salutis memoriale est atque redituri Domini advocatio. Si Traditio Ecclesias fidelitatem docet iis rebus quae ipsas pepererunt, eschatologica exspectatio eas impellit ut id ipsae sint quod nondum in plenitudine sunt quodque vult Dominus ut tandem fiant, et ut vias usque novas reperiant fidelitatis, omnem pessimismum debellantes quippe quae in spem Dei numquam fallentem proiciantur.

Pulchritudinem memoriae hominibus demonstremus nos oportet, virtutem quae a Spiritu manat quaeque testes nos efficit, quia nos aliorum testium sumus filii; efficiamus praeterea ut ipsi vicissim mirabilia dégustent quae per historiam diffudit Spiritus; evincamus Traditionem omnino illa mirabilia conservare, spe simul addita illis qui, licet nondum conatus suos felici rerum successu auctos viderint, noverunt tamen quendam alium conatus

[23] « Divina eloquia cum legente crescunt »: S. GREGORIUS MAGNUS, *Homiliarum in Ezechielem libri,* I, VII, 8: *PL* 76, 843.

[24] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 8.

[25] Cfr. COMMISSIO THEOLOGICA INTERNATIONALIS, *Interpretationis problema* (Octobri 1989), II, 1-2: *EnVat* 11, pp. 1717-1719.

consummaturum; tum minus se solum sentiet homo minusque veluti in angulum angustum inclusum proprii sui operis singularis.

9. Amplissimum cupimus nunc perlustrare christiani Orientis prospectum alia quadam e specula, unde plures eius notas conspicari poterimus; nempe, e monachismo.

Orientalibus in provinciis monastica institutio magnam semper servavit unitatem, cum secus atque in occidentali Ecclesia formationem non vidisset diversorum apostolicae vitae generum. Monasticae vitae instituta varia, a coenobitismo stricto quale Pachomius illud vel Basilius conceperat, usque ad eremitismum rigidissimum Antonii vel Macarii Aegyptii, pluribus potius spiritalis itineris respondent gradibus quam variis vitae statibus. Quoquo modo ad monachismum in se omnes se referunt, quacumque is sub forma declaratur.

Monasticum praeterea institutum in Oriente visum non est uti segregata quaedam condicio propria alicuius christifidelium ordinis, sed maxime tamquam signum aliquod quo omnes se convertere possunt baptizati pro donorum copia et natura cuique a Domino concessorum, quandoquidem se praestat veluti totius christiani nominis summam emblematicam.

Quotiescumque Deus ad devotionem absolutam, sicut monastica fit in vita, arcessit, tum homo profecto valet altissimum attingere culmen eorum, quae sensus, cultura et spiritualitas exprimere possunt. Hoc maiore ratione in orientalibus Ecclesiis, ubi monachismus necessarium quoddam constituit experimentum quod etiamnum inter eas florere se commonstrat, simul ac Ecclesiae vexationes abierunt atque hominum animi ad caelum libere ferri queunt. Propheticus quippe locus monasterium est, ubi res creatae laus vera Dei evadunt caritatisque praeceptum re ipsa impletum fit optima quaedam convictus humani species, et ubi homo quaerit Deum sine finibus impedimentisve omnibus factus signum, dum eos in animo gestat eosque adiuvat ut item Deum conquirant.

Commemorare simul studemus splendidam Orientis christiani monacharum testificationem. Praestantem ea monstravit rationem aestimandi femineam in Ecclesia proprietatem, mentem etiam temporum mutando. Recentioribus saevientibus persecutionibus in orientalis potissimum Europae nationibus, tametsi multa virorum clausa vi erant monasteria, facem tamen monasticae vitae ardentem servabat feminarum monachismus. Charisma enim monachae, cum notis ipsius propriis, adspectabile exsistit Dei maternitatis signum, quod saepius Sacrae Litterae commemorant.

Monachismum ergo respiciemus ut bona ea, quae magni ponderis esse arbitramur ad Orientis partes illuminandas in Ecclesiae Christi peregrinatione ad Regnum, singillatim ostendantur. Licet haud solam monasticam experientiam referant nec Orientis solius patrimonium, aspectus hi saepe peculiarem ibi significationem induerunt. Ceterum diiudicare conamur non exclusivam naturam alicuius partis, verum mutuam in iis rebus locupletationem quas unicus unica in Christi Ecclesia excitavit Spiritus.

Anima ipsa orientalium Ecclesiarum semper monasticum fuit institutum: in Oriente videlicet primi orti sunt monachi christiani vitaque monastica fuit pars ipsa necessaria luminis illius Orientalis quod ab excellentibus indivisae tunc Ecclesiae Patribus in Occidentalem orbem est traiectum.[26]

Admirandum sane fraternitatis pontem efficiunt solida illa elementa communia, quibus monastica tum Orientis tum Occidentis copulantur experimenta, ubi refulget unitas vivo modo culta magis etiam quam in dialogo inter Ecclesias elucere potest.

10. Monastica institutio peculiariter patefacit vitam duos inter vértices suspendi: Dei verbum atque Eucharistiam. Quod proin significat monachismum, suis etiam sub anachoreticis formis, responsionem eodem tempore uniuscuiusque esse ad vocationem singularem necnon ecclesiae ipsius communitatisque eventum.

Verbum namque Dei punctum illud est unde monachus proficiscitur, Verbum quod vocat, quod invitat, quod nominatim compellat, sicut Apostolis evenit. Cum quis Verbo tangitur, oritur oboeditio, id est auditio quae vitam commutat. Omni enim die monachus Verbi pane sese pascit. Illo autem destitutus veluti mortuus iacet nec quidquam iam quod cum fratribus communicet superest ei, siquidem Christus Verbum est cui ut ipse se adcommodet vocatur monachus.

Cantitans etiam cum fratribus preces eas quibus tempus sanctificatur pergit ille imbibere Verbum. Copiosissima hymnographia liturgica, de qua Orientis christiani Ecclesiae omnes merito gloriantur, nihil aliud est nisi prosecutio Verbi lecti, comprehensi, suscepti ac demum decantati: maximam sunt partem carmina illa excelsae paraphrases biblicorum locorum, quae

[26] Magna fuit in Occidente vis *Vitae S. Antonii,* scriptae a S. ATHANASIO: *PO* 26, 835-977. Memorat eam, inter alios, S. AUGUSTINUS in suis *Confessionibus,* VIII, 6: *CSEL* 33, 181-182. Translationes operum Patrum orientalium, inter quae *Regulae* S. BASILII: *PG* 31, 889-1305; *Aegyptiorum monachorum historia: PG* 65, 441-456; et *Apophtegmata Patrum: PG* 65, 72-440 insigniverunt monachismum in Occidente. Cfr. VILLELMUS ABBAS S. THEODORICI, *Epistola ad fratres de Monte Dei: SCh* 223, 130-384.

percolatae sunt ac personales redditae ex singulorum ipsiusque communitatis experientiis.

Ante divinae misericordiae immensitatem monacho nihil restat aliud nisi suae egestatis plenae profiteri conscientiam, quae continuo precatio fit atque exsultationis vox ob munificentiorem etiam salutem, quoniam minime sperari eam licet ex propriae miseriae altitudine.[27] Hinc igitur ratio ducitur cur veniae imploratio Deique honoratio amplam liturgicae precationis partem repleant. Mergitur christianus in stuporem de hac mirabili re, postrema videlicet interminatae seriei quae omnis ipso liturgico sermone grata mente extollitur: Immensus fit finis; parit virgo; per mortem Is qui vita est, in sempiternum mortem devincit; caelis in celsis ad Patris dexteram hominis corpus assidet.

In culmine huius experientiae orantis stat Eucharistia, alter nempe vértex cum Verbo inseparabiliter coniunctus, quatenus locus est ubi Verbum caro fit et sanguis, caelestis quaedam experientia ubi iterum ipsa fit eventus.

In Eucharistia alta aperitur indoles Ecclesiae, quae communitas est hominum ad synaxim vocatorum ut eius concelebrent munus qui et offerens est et oblatio: hi, Mysteria Sancta participantes, fiunt « consanguinei »[28] Christi, praecipientes divinizationis experimentum iam in vinculo illo inseparabili quod divinitatem in Christo conglutinat humanitatemque.

Eucharistia autem id quoque est quod hominum ac rerum pertinendi condicionem ad Hierosolymam caelestem anticipat. Plane sic naturam suam patefacit eschatologicam: talis exspectationis vivum signum pergit monachus, perficitque in liturgia Ecclesiae invocationem, quae Sponsa est Sponsi reditum efflagitans in quodam « maraña tha » usque repetito non verbis unis, sed tota simul vita.

11. Lumen est Christus Dominus in liturgico actu quod viam collustrat omnisque orbis declarat pellucidam naturam, sicut in Sacris Scripturis. In Christo namque reperiunt praeteriti temporis eventa significationem suam ac plenitudinem, atque tota creatura quid tandem sit recludit: rationum nempe summa quae in liturgia sola consummationem suam habent absolutamque destinationem. Haec causa est ob quam in terris iam liturgia caelum sit in

[27] Cfr. exempli gratia, S. BASILIUS, *Regulae brevius tractatae: PG* 31, 1079-1305; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *De compunzione: PG* 47, 391-422; *In Matthaeum, hom. XV,* 3: *PG* 57, 225-228; S. GREGORIUS NYSSENUS, *De beatitudinibus,* oratio III: *PG* 44, 1219-1232.

[28] Cfr. NICOLAUS CABASILAS, *De vita in Christo,* IV: *PG* 150, 584-585; CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Evangelium,* XI: *PG* 74, 561; *ibid.,* 12: *l.m.,* 564; S. IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Matthaeum, hom. LXXXII,* 5: *PG* 58, 743-744.,

eaque Verbum, quod carnem sumpsit, materiam salutari quadam perfundat potentia quae in Sacramentis plene manifesta apparet: inibi enim creatura cuique potestatem tribuit a Domino sibi collatam. Ita in fluvium Iordanem immissus Dominus aquis virtutem addit eas idoneas reddentem quae regenerationis baptismalis fiant lavacrum.[29]

Hoc in rerum prospectu liturgica precatio in Oriente maxime idoneam se ostendit ad totam humanam implicandam personam: canitur quidem mysterium in rerum suarum excelsitate, sed in fervore etiam adfectuum quos excitat in hominum redemptorum pectoribus. Actionibus in sacris etiam corporea natura ad laudem vocatur ac venustas ea, quae in Oriente una habetur carissimarum vocum ut divina consonantia exprimatur atque exemplum etiam transformati hominum generis,[30] ubique conspicitur: in aedium structuris, in sonis et coloribus, in luce et fragrantiis. Extractum longius celebrationum tempus, iteratae invocationes, omnia denique comprobant aliquem paulatim in celebratum mysterium ingredi tota sua cum persona. Sic proinde Ecclesiae precatio ipsa communicatio evadit caelestis liturgiae, ultimae beatitudinis praegustatio.

Universalis haec personae aestimatio propriis in partibus rationalibus et emotivis, in « exstasi » et immanentia, simul ad nostra praecipue pertinet tempora, cum mirificam constituat scholam ad rerum creatarum significationem intellegendam: eas videlicet nec absolutum quiddam esse nec peccati et iniquitatis receptaculum. Patefaciunt in liturgia res proprietatem suam veluti doni a Conditore ad homines delati: « Viditque Deus cuncta, quae fecit, et ecce erant valde bona» *(On* 1, 31). Si vero haec omnia signantur ipsa peccati calamitate, quod gravat materiam prohibetque ne pellucida sit, haec tamen in incarnatione redimitur redditurque prorsus theophorica, quae videlicet valeat nos cum Patre coniungere: proprietas autem haec in sanctis maxime mysteriis, Ecclesiae sacramentis, detegitur.

Materiam haud repudiat fides christiana nec corporis veritatem, cui immo intra liturgicum actum momentum tribuitur, ubi naturam intimam suam corpus humanum commonstrat veluti templi Spiritus eoque pervenit ut cum Domino Iesu coniungatur qui et ipse factus est in mundi salutem corpus. Nec tamen illud secum fert absolutam quandam eorum omnium celebrationem quae sunt corporea, quia probe novimus omnes turbationem peccato importatam in hominis ipsius congruentiam. Docet quidem liturgia

[29] Cfr. S. GREGORIUS NAZIANZENUS, *Oratio XXXIX: PG* 36, 335-360.

[30] Cfr. CLEMENS ALEXANDRINUS, *Paedagogus,* III, 1, 1: *SCh* 158, 12,.

corpus, per Crucis mysterium, ad transfigurationem procedere, ad spiritualizationem: in monte Tabor refulgens ipse ostendit Christus illud corpus, quem ad modum vult Pater ut aliquando rursus fiat.

Ad gratiarum porro actionem etiam res universae vocantur, quandoquidem totus destinatur orbis ad recapitulationem in Christo Domino. Hanc secundum notionem significatur aequabilis mirabilisque doctrina de creationis ipsius ac particulatim humani corporis dignitate et observantia et fine. Reiectis nempe omni dualismo atque voluptatis cultu uti in se finis, locus constituitur gratia ipsa illuminatus proindeque plane humanus.

Qui rationem verae significationis ac necessitudinem quaerit secum et cum universo orbe, qui etiamnum crebro proprii sui amore deformatur atque aviditate, viam novi hominis ad aequabilitatem pandit illi liturgia atque impellit ad reverentiam eucharisticae potentiae rerum creatarum: eae enim in Eucharistiam Domini designantur ut recipiantur, in ipsius Pascha intra altaris sacrificium.

12. Ad Christum, hominem deum, convertitur monachi obtutus: in vultu deturpato eius, qui homo est dolorum, ille iam dispicit veluti propheticum nuntium transformatam resuscitati faciem. Oculis enim contemplantium sese conspiciendum dat Christus sicut mulieribus Hierosolymitanis, quae ascenderant ut spectaculum intuerentur arcanum Calvariae. Ita profecto eadem in schola institutus monachi quoque oculus Christum contemplari assuescit etiam in abditis creationis recessibus hominumque historia, quae et ipsa comprehenditur in progrediente aliqua conformatione ad Christum totum.

Intuitus magis magisque christificatus discit hoc modo ab exterioribus sese seiungere rebus, a sensuum turbine, ab omnibus scilicet iis quae hominis impediunt levitatem paratam ut a Spiritu se suscipi sinat. Hanc ,emetiens viam permittit ille ut cum Christo reconcilietur in perpetuo conversionis progressu: in conscientia videlicet proprii peccati atque recessionis a Domino quae cordis gignit compunctionem, quae figura fit baptismi proprii in salutifera lacrimarum aqua; in silentio ac pace interiore conquisita et donata, ubi quis cordis ictum conformare discitur cum Spiritus pulsu, omni ambiguitate duplicique facie submota. Cum sic magis aliquis sobrius evadit et essentialis, magis pellucidus erga se ipsum, fieri pariter potest ut in superbiam recidat et acerbitatem, si eo usque progreditur ut fructum hunc esse arbitretur ascetici sui studii. Discretio enim spiritalis in perpetua purificatione humilem eum tunc reddit ac mansuetum, conscium se percipere solum

radium aliquem illius veritatis quae ei satisfacit, cum munus Sponsi sit qui unus felicitatis est plenitudo.

Homini vitae sensum conquirenti hoc offert Oriens magisterium ut se cognoscat sitque liber, a Christo illo amatus qui dixit: « Venite ad me, omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos» *(Mt* 11, 28). Interiorem sanationem quaerentem, is admonet ut quaerere pergat: si recta est voluntas ratioque honesta, tandem aliquando vultum suum Pater demonstrabit, qui in intimo hominum impressus est animo.

13. Monachi curriculum plerumque non solo cuiusque nisu aut studio conficitur, verum rationem habet ad spiritualem patrem, cui se filiali cum fiducia dedit, certus in isto teneram imperiosamque Dei paternitatem ostendi. Haec figura monachismo orientali singularem quandam adiungit tractabilitatem: spiritalis enim patris opera et industria iter cuiusque monachi personale admodum efficitur temporibus et modis et rhythmis ipsius inquisitionis Dei. Ob id ipsum quod spiritualis pater medium quoddam punctum est coniunctionis et consensionis, permittitur monastico instituto quam maxima rationum varietas tum coenobiticarum tum eremiticarum. Potuit ita esse Orientis monachismus consummatio atque effectio exspectationum cuiusque Ecclesiae diversis eius historiae aetatibus.[31]

In hac porro investigatione insigniter edocet Oriens fratres exsistere ac sorores quibus donum moderationis spiritalis concesserit Spiritus: ipsi sunt namque capita magni pretii, quandoquidem oculis inspiciunt amoris quem in nos habet Deus. Non id hic agitur, ut quis suae renuntiet libertati ut ab aliis se tractari sinat: interest potius fructum deducere ex cordis conscientia, quae verum est charisma, ut adiuvari liceat dulciter at fortiter ad veritatis detegendam viam. Opus mundo nostro maxime patribus est. Eos crebro reiecit quippe qui parum visi sint credibiles vel quorum exemplum iam obsoletum habitum sit parumve alliciens secundum vigentem hodie sensum. Difficulter tamen novos invenit et ideo in timore adfligitur et dubitatione, demptis exemplaribus et signis. Qui vero in Spiritu est pater, si vere talis est — et Dei Populus semper quivit talem agnoscere — non alios sui similes sibive pares faciet, sed eosdem ut in Regnum tramitem reperiant iuvabit.

[31] Significantes sunt, ex. gr., Antonii experientiae, cfr. S. ATHANASIUS, *Vita S. Antonii,* 15: *PO* 26, 865; S. Pachomii, *Vitae coptae sancti Pachomii suorumque successorum,* ed. L. Th. Lefort, Louvain 1943, p. 3; et testimonium EVAGRII PONTICI, *Tractatus practicus ad Anatolium,* 100: *SCh* 171, 710.

Vitae monasticae donum sine dubio etiam Occidenti est concessum, tum virorum tum mulierum, quae munus custodit ductus in Spiritu et exspectat dum rite aestimetur. Iis in adiunctis et ubicumque talia gratia exsuscitabit pretiosa interioris maturationis instrumenta, utinam qui habent auctoritatem colere sciant et magni existimare huius modi donum omnesque valeant recte eo uti: experimento cognoscent quae consolatio quodque praesidium exstet in Spiritu paternitas ad eorum iter fidei.[32]

14. Utique in progredienti separatione ab iis quae in mundo officiunt communioni cum Domino, monachus mundum reperit veluti locum ubi Creatoris pulchritudo et Redemptoris amor repercutiuntur. In sua precatione monachus Spiritus epiclesim super mundum dicit et pro certo habet se exauditum iri, quandoquidem illa ipsam Christi precationem participat. Animadvertit sic ille fervidum ex se oriri erga humanitatem amorem, amorem scilicet, quem Orientalis precatio persaepe celebrat tamquam Dei proprietatem, amici videlicet hominis qui suum Filium offerre non dubitavit ut mundus servaretur. Hoc in habitu nonnumquam monachus mundum contemplari potest, deificante actione Christi mortui et resuscitati iam transfiguratum.

Quamcumque rationem ei tribuit Spiritus, monachus usque est ante omnia homo communionis. Hoc nomine ab antiquis iam temporibus vitae coenobiticae stilus monasticus significatur. Monachatus demonstrat veram esse non posse vocationem quae ex Ecclesia et pro Ecclesia non oriatur. Id testificatur tot monachorum experientia, qui suas in cellas conclusi, suas preces fervidissimo studio replent, non modo pro humana persona, verum et pro omnibus creaturis, continenter deprecantes ut res cunctae ad salutarem amoris Christi cursum se vertant. Hoc iter interioris liberationis per apertionem ad Alterum efficit monachum hominem caritatis. Paulo apostolo docente plenitudinem legis esse dilectionem (cfr. *Rom* 13, 10), communio monachi orientalis semper studuit, ut dilectionis excellentia quamlibet legem praecellat.

Explicatur in primis per ministerium fratribus ipsa in vita monachica, at etiam communitati ecclesiali, modis accommodatis temporibus et locis, a socialibus progredientibus operibus ad peregrinantem praedicationem. Orientales Ecclesiae perstudiose hoc officium suppeditaverunt, ab evangelizatione initium sumentes, qui est excelsissimus famulatus, quem christianus fratri exhibere valeat, subsequentibus spiritalis corporalisque servitii multis aliis

[32] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, *Homilia ad religiosos viros et mulieres* (2 Februarii 1988), 6: *AAS* 80 (1988) 1111.

generibus. Immo dici etiam potest monachatus antiquis temporibus — et passim posterioribus quoque aetatibus — populorum evangelizationis praecipuum fuisse instrumentum.

15. Monachi vita unitatem comprobat, quae in Oriente exstat inter spiritalitatem et theologiam: christianus, praesertim monachus, potius quam veritates abstrusas requirat, scit unum Dominum suum esse Veritatem et Vitam, at simul scit etiam eum esse Viam (cfr. *Io* 14, 6), ut utramque consequatur: cognitio et participatio ergo unam rerum veritatem constituunt: a persona ad Deum trium personarum per Verbi Dei incarnationem.

Oriens nos iuvat ut copiosis elementis personae humanae christianam significationem describamus, quae quidem in ipsa incarnatione est posita, ex qua lucem sumunt ipsae res creatae. In Christo, vero Deo veroque homine, plenitudo revelatur humanae vocationis: ut homo Deus fieret, Verbum humanitatem sumpsit. Homo, qui usque novit sui finis amaritudinem suique peccati, non queritur nec angitur, quandoquidem novit intra se divinam potentiam operari. Humanitas a Christo assumpta est absque a natura divina separatione sineque confusione;[33] non deseritur homo, ut solus caelum, sescentis abhibitis in cassum modis, scandere frustra conetur: gloriae tabernaculum exsistit, quod est sanctissima Iesu Domini persona, quo humanum et divinum amplexu quodam, qui solvi numquam poterit, conveniunt: Verbum caro factum est, omnino scilicet nostri simile, absque peccato. Ipse in aegriim humanitatis cor divinitatem fundit, atque Patris Spiritum infundens, eidem dat potestatem ut Deus per gratiam fiat.

At si hoc nobis Filius revelavit, tum nobis datur facultas ad Patris mysterium accedendi, qui est communionis dilectionisque principium. Trinitas sanctissima ideo veluti amoris communitas apparet: talem Deum cognoscere significat animadvertere necessitatem ut is mundum alloquatur, sese communicet; historia salutis nihil aliud est quam historia amoris, quo Deus creaturam complectitur quam amavit et elegit, eam volens « secundum iconem iconis » — quemadmodum declarare consuevit mens Patrum orientalium[34] — nempe fictam ad imaginem Imaginis, quae est Filius, a sanctificatore, dilectionis Spiritu, ad perfectam communionem perductam. Etiam cum homo labitur, Deus hic eum quaerit et diligit, ne frangatur necessitudo ut-

[33] Cfr. *Symbolum Chalcedonense: DS* 301-302.

[34] Cfr. S. IRENAEUS, *Adversus haereses, V,* 16, 2: *SCh* 153/2, 217; cf. IV, 33, 4: *SCh* 100/2, 811; S. ATHANASIUS, *Oratio contra gentes,* 2-3 et 34: *PG* 25, 5-8 et 68-69; *Oratio de Incarnatione Verbi,* 12-13: *SCh* 18, 228-231.

que amor fluere pergat. Eundem in Filii mysterio amat, qui in cruce a mundo, qui eum non agnovit, necari patitur, at a Patre ab inferis revocatus, veluti perennis est sponsio neminem amorem interimere posse, quia quicumque eius est particeps, Dei gloria tangitur: hunc hominem transfiguratum amore sunt in Tabor discipuli contemplati, hominem scilicet, ad quem efficiendum omnes nos vocamur.

16. Attamen arcanum hoc continenter absconditur, silentio tegitur,[35] ut caveatur ne pro Deo idolum fingatur. Per procedentem tantum purificationem conscientiae communionis una convenient homo et Deus atque in aeterno amplexu agnoscent eiusdem naturae amorem numquam restinctum.

Sic oritur apophatismus, qui dicitur, Orientis christiani: quo magis in Deo cognoscendo crescit homo, eo plenius eum veluti inaccessum mysterium intellegit, in eius essentia item ineffabilem. Id vero non est confundendum cum mystica quadam doctrina obscura, ubi homo impersonalibus arcanisque rebus circumdatus deerrat. Immo Orientales christiani ad Deum se convertunt Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ad viventes scilicet personas, amanter praesentes, quibus liturgicam doxologiam dirigunt sollemnem atque humilem. At ipsi percipiunt ad hanc praesentiam se accedere posse potissimum adoranti silentio institutos, quandoquidem in summa Dei cognitione et experientia est eius transcendentia. Illuc per orantem Sacrorum Bibliorum liturgiaeque appropriationem pervenitur, potius quam per constantem meditationem.

Hac in demissa acceptione termini creaturae coram infinita transcendentia Dei, qui veluti Deum Amorem non desinit se revelare, Patrem Domini nostri Iesu Christi, in Spiritus Sancti gaudio, modum reperimus Nos orandi et rationem theologicam quae magis ab Oriente probatur quaeque omnibus pariter in Christo credentibus exhibetur.

Fatendum est nos omnes hoc silentio indigere, adorata praesentia imbuto: theologia ut sapientialis spiritalisque eius anima plene aestimetur; precatio, ne umquam obliviscatur Deum videre idem valere ac de monte descendere vultu ita splendenti, ut eum cogamur obvolvere (cfr. *Ex* 34, 33), utque nostrae congressiones locum dent Dei praesentiae, vitantes ne se ipsas celebrent; praedicatio, ne putet satis esse verba multiplicare, ut quis ad Dei experientiam alliciatur; officium, ut reiciatur periculum certamine quodam

[36] **Hesychia vel silentium praecipuam sustinet in orientali spiritalitate partem. Cfr.** ***Apophtegmata Patrum: PO*** **65, 72-456; EVAGRIUS PONTICUS,** ***Berum monachalium rationes: PG*** **40, 1252-1264**

concludi sine amore et venia. Nostrae aetatis homini silentio illo opus est, qui conticescere saepe nescit, verens ne se ipse inveniat, sibi revelet, inanitatem sentiat, quae significationem requirit; homo, qui ob clamorem obstupescit. Omnibus nempe, credentibus et non credentibus, discendum est silentium, quo Alter sinatur loqui, quando et quomodo volet, nobis vero verbum illud intellegere liceat.

17. Triginta transierunt anni ex quo Ecclesiae catholicae Episcopi, in Concilio coadunati, non paucis aliarum Ecclesiarum Communitatumque ecclesialium adstantibus fratribus, Spiritus vocem exaudierunt qui altas veritates collustrabat de Ecclesiae natura, sic patefaciens in Christo credentes multo inter se esse propinquiores quam suspicari possent, omnes ad Dominum iter facientes unum, omnes eadem eius gratia fulcitos et sustentatus. Apparebat hinc invitatio usque instantior ad unitatem.

Ex illo tempore multa via in mutua cognitione est confecta. Auxit ipsa aestimationem sivitque ut una simul unum Dominum precaremur, alii etiam pro aliis, iter facientes caritatis, quod iam est unitatis peregrinatio.

Post Pauli VI multos conatus, semitam cognitionis mutuae caritatis prosequendam voluimus et Nos. Ingentem quidem laetitiam testari licet, quam Nobis his annis tot Moderatorum et Procuratorum Ecclesiarum et ecclesialium Communitatum attulit occursus. Una simul sollicitudines et exspectationes participavimus, una unitatem inter nostras Ecclesias invocavimus et pro mundo pacem. Una simul boni communis facti sumus magis conscii, non modo veluti singuli, verum tanquam christianorum sustinentes partes, quorum Dominus nos posuit pastores. Nonnunquam ad Sedem hanc Apostolicam instanter decurrerunt aliae Ecclesiae, minationibus affectae aut vi iniuriaque ictae. Omnibus illa cor suum pandere est conata. Pro iis, cum fieri potuit, vox intenta est Romani Episcopi, ut homines bonae voluntatis fratrum nostrorum dolentium clamorem auscultarent.

« Inter delicta vero, quae maius secum important officium sive obligationem paenitentiae atque conversionis, numeranda certissime illa sunt quae "unitati a Deo optatae pro Populo Dei nocuerunt". Progredientibus hisce mille annis qui iamiam terminantur, multo etiam magis quam per primum millennium, ecclesialis communio "quandoque non sine hominum utriusque partis culpa",[36] luctifica subiit discidia quae voluntati Christi aperte repugnant atque totum orbem offendunt. Talia temporis superioris crimina

[36] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo** ***Unitatis redintegratio,*** **3.**

etiamnum, pro dolor, faciunt ut proprium pondus sentiatur maneantque totidem praesenti quoque tempore invitamenta. Necesse omnino est satisfactionem peragere, Christi'invocata vehementer indulgentia».[37]

Nostri discidii peccatum est pergrave: persentimus necessitatem ut communiter promptiores Spiritui vocanti ad conversionem nos praestemus, ad proximum accipiendum agnoscendumque fraterna caritate, paratiores ad animosos actus novos complendus, qui cuncta invitamenta ad regrediendum exsolvant. Necesse nempe habemus communionem illam, quam sumus assecuti, praetergredi.

18. Magis magisque in dies desiderio flagramus Ecclesiarum annales repetendi, ut nostrae unitatis res gestas tandem scribamus, atque tempus illud revocemus, cum post Domini Iesu mortem et resurrectionem, Evangelium diversissimos cultus attigit, atque fecundissima quaedam permutatio est incollata, quam etiamnunc Ecclesiarum liturgiae testantur. Quamvis sint difficultates et dissensiones, Apostolorum Epistulae (cfr. *2 Cor* 9, 11-14) et Patrum[38] artissima prae se ferunt vincula, eademque fraterna inter Ecclesias, in plena fidei communione, proprietate cuiusque identitateque retentis. Communis martyrii experientia atque martyrum singularum Ecclesiarum actuum meditatio, tot sanctorum fidei Magistrorum doctrinae participatio, multa cum divulgatione et participatione, hunc unitatis mirabilem sensum roborant.[39] Processus differentium experientiarum vitae ecclesialis non impediebat quominus per mutuas necessitudines christiani perstarent in persuasione qualibet in Ecclesia se in domo sua esse, quandoquidem ex omnibus Ecclesiis, mirabili cum quadam linguarum varietate modulationeque, uni Patri, per Christum, in Spiritu, laus efferebatur; cunctae erant coadunatae ad Eucharistiam celebrandam, communitati cor et exemplar non modo quod ad spiritalitatem vitamve moralem spectat, verum et ad ipsam Ecclesiae structuram, in ministeriorum munerumque varietate, praeside Episcopo, Aposto-

[37] IOANNES PAULUS PP. II, Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 34: *AAS* 87 (1995) 26.

[38] Cfr. S. CLEMENS ROMANUS, *Epistula ad Corinthios: Patres Apostolici,* ed. F.X. Funk, I, 60-144; S. IGNATIUS ANTIOCHENUS, *Epistulae: l.m.,* 172-252; S. POLYCARPUS, *Epistula ad Philippenses: l.m.,* 266-282.

[39] Cfr, S. IRENAEUS, *Adversus haereses,* I, 10, 2: *SCh,* 264/2, 158-160.

lorum successore.[40] Prima concilia hanc in diversitate unitatem liquido testantur.[41]

Cum etiam quaedam dogmaticae dissensiones confirmatae sunt — quas saepenumero politica culturaliaque elementa amplificarunt — quae tum acerba consectaria genuerunt in Ecclesiarum necessitudinibus, unitatem Ecclesiae desiderandi et promovendi studiosus usque perstitit nisus. In primo dialogo illo oecumenico instituendo Spiritus Sanctus effecit ut in communi fide confirmaremur, quae est kerygmatis apostolici perfecta continuatio, atque hac de re ex animo Deo gratias agimus.[42] Si vero iam primaeva christianorum aetate intra ipsam Ecclesiae compagem discordiae paulatim oriri consueverunt, oblivisci non possumus cunctum per primum millennium, etsi quaedam fuerunt difficultates, inter Romam et Constantinopolim mansisse unitatem. Clarius usque didicimus unitatis contextum non quendam historicum eventum rescidisse meramve praeminentiae quaestionem, sed progredientem alienationem, ita ut alterius diversitas iam non veluti communis thesaurus intellegeretur, sed tamquam repugnantia. Cum quoque alterum millennium acriores contentiones et divisiones novit, cum scilicet magis mutua ignoratio ac praeiudicium magis increbrescunt, tamen non intermittunt utiles Ecclesiarum praesidum congressiones necessitudines multiplicare cupientium, sicut sacrum virorum et mulierum opus non desinit, qui, dissensionem habentes grave peccatum atque unitati caritatique studentes, multimodis, precatione, scientia, cogitatione, aperto amabilique animo communionem perquirendam contenderunt.[43] Totum hoc opus probandum in Concilii Vaticani II meditationem illatum est atque suum invenit signum in mutuis ex communicationibus anni MLIV ablatis, quas Summus Pontifex Paulus VI et oecumenicus Patriarcha Athenagoras aboleverunt.[44]

19. Caritatis gressus novas difficultatum rationes novit propter recentes eventus, qui medianam orientalemque Europam implicuerunt. Christiani fratres qui una persecutionem perpessi sunt, se suspectus et metuendos habent,

[40] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 26; Const. de Sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium,* 41; Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 15.

[41] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, Litt. *A Concilio Constantinopolitano I* (25 Martii 1981), 2: *AAS* 73 (1981) 515; Litt. Ap. *Duodecimum saeculum* (4 Decembris 1987), 2 et 4: *AAS* 80 (1988) 242. 243-244.

[42] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, *Homilia in Petriana Basilica, Demetrio I adstante, Archiepiscopo Constantinopolitano et Patriarcha Oecumenico* (6 Decembris 1987), 3: *AAS* 80 (1988) 713-714.

[43] Cfr. ANSELMUS HAVELBERGENSIS, *Dialogi: PL* 188, 1139-1248.

[44] *Tomos Agapis,* Vatican-Phanar (1958-1970), Rome-Istanbul, 1971, pp. 278-295.

cum maioris libertatis prospectus et spes recluduntur: nonne est hoc magnum peccati periculum, quod omnes, coniunctis viribus, vincere debemus, si quidem volumus gentes quaeritantes commodius amoris Deum inveniant, potius quam rursus nostris divisionibus et contentionibus scandalizentur? Cum occasione Feriae Sextae in Parasceve anno MCMXCIV, Sua Sanctitas Bartholomaeus I, Patriarcha Constantinopolitanus, Ecclesiam Romanam suo donavit meditationis volumine « De Crucis via », hanc communionem memoravimus in recenti martyrii experientia: « In his martyribus nos coniunctionem inducimus inter Romam, "Montem Crucibus consitum" et insulas Solovki totque alia castra hominibus delendis. Nos qui martyribus circumsistentibus coniungimur, facere non possumus quin non iungamur ».[45]

Omnino igitur urget ut conscii huius gravissimi officii fiamus: hodie consociatam operam ad Regnum enuntiandum sustinere possumus vel auctores novarum divisionum constitui. Recludat corda nostra Dominus, mentes nostras convertat atque certa promptaque nos doceat incepta, quae, si opus fuerit, locos communes, animi remissiones vel stativas mansiones dissipare valeant. Si qui vult esse primus ad omnibus serviendum vocatur, profecto ex huius caritatis virtute amoris principatus crescet. Dominum deprecamur, ut imprimis Nos ipsos, deinde catholicae Ecclesiae Episcopos, ad certas actiones inducat quae hanc interiorem persuasionem testentur. Id Ecclesiae altior natura requirit. Quotiescumque Eucharistiam celebramus, communionis sacramentum, in Corpore et Sanguine communicato invenimus sacramentum atque appellationem ad unitatem nostram.[46] Quomodo penitus probabiles fieri possumus si seiuncti ad Eucharistiam accedimus, si eundem Dominum experiri et participare non valemus, quem mundo enuntiare debemus? Prae mutua ab Eucharistia remotione nostram paupertatem animadvertimus ac simul necessitatem omnimodis operandi ut is veniat dies quo una eundem panem eundemque calicem participabimus.[47] Tunc tandem Eucharistia plene percipietur veluti Regni prophetia atque omni veritate verba ex perantiqua quadam eucharistica prece deprompta, personabunt: « Sicut hic panis fractus

[45] *Sermo post Viam Crucis Feriae Sextae in Parasceve* (1 Aprilis 1994): *AAS* 87 (1995) 87.

[46] *Missale Romanum,* Sollemnitas Ss.mi Corporis et Sanguinis Christi, oratio super oblata; *ibid.,* prex eucharistica III; S. BASILIUS, *Anaphora Alexandrina,* ed. E. Renaudot, *Liturgiarum orientalium collectio,* I, Frankfurt 1847, p. 68.

[47] Cfr, PAULUS PP. VI, *Nuntius ad Mechitaristas* (8 Septembris 1977): *Insegnamenti* 15 (1977) 812.

supra montes dispersus erat et collectus factus est unus, ita colligatur Ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum ».[48]

20. Peculiares insignesque commemorationes nos confirmant ut ad orientales Ecclesias cum animi affectu et observantia cogitationes nostras convertamus. Ante omnia, ut supra dictum est, centesimus annus Litterarum Apostolicarum, quarum titulus *Orientalium dignitas.* Ex tunc iter incohavit, quod, praeter alia, anno MCMXVII ad Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus instituendam perduxit[49] atque ad Pontificium Institutum Orientale condendum,[50] auctore Summo Pontifice Benedicto XV. Exinde, die v mensis Iunii anno MCMLX, a Papa Ioanne XXIII Secretariatus ad unitatem Christianorum fovendam est constitutus.[51] Recentiore aetate, die XVIII mensis Octobris anno MCMXC Codicem Canonum Orientalium Ecclesiarum[52] evulgavimus, ad peculiarem indolem orientalis patrimonii servandam provehendamque.

Haec sunt profecto cuiusdam propositi signa, quod Romana Ecclesia semper necessariam existimavit partem mandati a Christo Iesu concrediti Petro apostolo: fratres scilicet in fide unitateque confirmare (cfr. *Lc 22,* 32). Praeterita conamina mentibus rationibusve temporum illorum terminabantur ipsaque notitia veritatum de Ecclesia. At hic confirmare velimus officium hoc in sua ipsa radice opinionem comprehendere hanc, Petrum (cfr. *Mt* 16, 17-19) videlicet Ecclesiae in caritate coniunctae inservire velle. «Petri munus illuc continenter spectat, ut appositae viae ad unitatem servandam usque perquirantur. Idcirco ipse impedimenta afferre non debet, sed vias vestigare. Quae res minime obsistit officio a Christo demandato "fratres confirmandi in fide" (cfr. *Lc* 22, 32). Significans praeterea est dixisse Christum haec verba, tempore ipso cum apostolus Eum negaturus erat. Tamquam si Magister dicere vellet: "Memento te esse debilem, te quoque continenter indigere conversione. Ceteros confirmare potes quatenus tibi conscius es tuae imbecillitatis. Tibi velut officium trado veritatem, magnam quidem Dei veritatem hominis saluti destinatam, sed veritas haec nulla alia ratione quam amando praedicari potest". "Veritatem facere in caritate" semper necesse

[48] *DidacM,* IX, 4: *Patres Apostolici,* ed. F. X. Funk, I, 22.
[49] Motu proprio *Dei providentis* (1 Maii 1917): *AAS* 9 (1917) 529-531.
[50] Motu proprio *Orientis Catholici* (15 Octobris 1917): *l.m.,* 531-533.
[51] Cfr. Motu proprio *Superno Dei nutu,* 9: *AAS* 52 (1960) 435-436.
[52] Cfr. Const. Ap. *Sacri canones* (18 Octobris 1990): *AAS* 82 (1990) 1033-1044.

est (cfr *Eph* 4, 15) ».[53] Novimus quidem nunc unitatem Dei amore effici posse tantum si Ecclesiae una simul id velint, singulis traditionibus plane observatis et necessaria autonomia. Istud scimus compleri posse dumtaxat cum initium ducitur ex amore Ecclesiarum quae magis magisque se sentiunt vocari ad unam Christi Ecclesiam significandam, quae ex uno baptismo orta est atque una eucharistia, quaeque sorores esse volunt.[54] Quemadmodum diximus, « una est Christi Ecclesia; si quae sunt divisiones eae sunt componendae, sed una est Ecclesia, Christi Ecclesia inter orientalem et occidentalem partem esse non potest nisi una, una scilicet et coniuncta ».[55]

Certe, hodiernae menti videtur vera coniunctio fieri posse aliorum plene observata dignitate, dempta simul illa opinione universos mores et consuetudines Ecclesiae Latinae pleniores esse et aptiores ad rectam doctrinam demonstrandam; atque insuper talem coniunctionem conscientia communionis praeire debere, quae totam Ecclesiam imbuat neque inter primores solummodo constituat foedus. Hodie nobis conscii sumus — quod saepenumero confirmatum est — unitatem futuram esse quando et quemadmodum Dominus volet, atque ipsam requirere collationem roboris sentiendi et caritatis operativae, illis etiam posthabitis forsitan formis, historice iam probatis.[56]

21. Orientales Ecclesiae, quae in plenam cum hac Romana Ecclesia communionem sunt ingressae, eiusmodi sollicitudinis patefactionem se praebuerunt, ea ratione significatae quam illa aetate ecclesialis conscientiae gradus patiebatur.[57] Communionem catholicam ingredientes, pernegare minime voluerunt erga suas traditiones fidelitatem, quas saeculorum decursu forti animo atque saepe impendio sanguinis sunt testatae. Sin autem interdum in necessitudinibus cum orthodoxis Ecclesiis falsae opinationes ac manifestae contentiones exstiterunt, plane novimus continenter nobis divinam misericordiam esse implorandam simulque cor novum ad reconciliationem efficiendum, praeter iniurias acceptas illatasve.

Plus quam semel confirmatum est orientalium Ecclesiarum catholicarum iam perfectam coniunctionem cum Romana Ecclesia minime prae se ferre

[53] IOANNES PAULUS PP. II, *Varcare la soglia della speranza,* Milano 1994, p. 168.

[54] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.

[55] *Salutatio Doctorum Pont. Instituti Orientalis* (12 Decembris 1993): *L'Osservatore Romano,* 13-14 Decembris 1993, p. 4.

[56] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum,* 30..

[57] IOANNES PAULUS PP. II, Nuntius *Magnum Baptismi donum* (14 Februarii 1988), 4: *AAS* 80 (1988) 991-992.

conscientiae imminutionem propriae veritatis et nativae indolis.[58] Sin autem id accidit, Concilium Vaticanum II eas cohortatum est ut suam identitatem rursus planeque detegerent, cum ipsae « iure polleant et officio teneantur se secundum proprias disciplinas peculiares regendi, utpote quae veneranda antiquitate commendentur, moribus suorum fidelium magis sint congruae atque ad bonum animarum consulendum aptiores videantur».[59] Ecclesiae hae suo in corpore gravissimam patiuntur lacerationem, quia adhuc plena prohibetur communio, cum orientalibus Ecclesiis orthodoxis quibuscum tametsi patrum suorum patrimonium participant. Constans communisque conversio omnino est necessaria, ut ipsae animose ac studiose contendant ut indulgentiae vinculis inter se nectantur. In Ecclesia quoque Latina postulatur conversio, quae absolute Orientalium dignitatem servet atque probet, gratoque animo spiritales thesauros suscipiat, quos orientales Ecclesiae catholicae in bonum totius catholicae communionis ministrant;[60] concrete, multoque magis quam antea, demonstret quanti aestimet et admiretur christianas Orientales partes, quantique momenti consideret id quod illae conferre valent, ut plene Ecclesiae universalitas agatur.

22. Vehementer sane optamus ut verba quibus S. Paulus Romanae Ecclesiae christifideles ex orientali regione allocutus est hodie quoque in fidelium ore occidentalis regionis personent quod attinet ad orientalium Ecclesiarum fratres: «Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo » *(Rom* 1, 8). Atque statim post Gentium Apostolus mente incitata suum declarat propositum: « Desidero enim videre vos, ut aliquid impertiar gratiae vobis spiritalis ad confirmandos vos, id est una vobiscum consolari per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam» *(Rom* 1, 11-12). Mirum in modum hic occursationis dynamica vis designatur: cognitio thesaurorum fidei aliorum — quam mox exponere conati sumus — stimulationem sponte sua alit ad novam artioremque inter fratres occursationem, quae notas induat verae sinceraeque mutuae communicationis. De stimulatione agitur quam constanter in Ecclesia Spiritus concitat quaeque vehementior utique fit maioris difficultatis tempore.

[58] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Ecclesiis Orientalibus Catholicis *Orientalium Ecclesiarum,* 24.

[59] *Ibid.,* 5.

[60] Cfr. CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 17; IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio in Consistorio Extraordinario* (13 Iunii 1994): *L'Osservatore Romano,* 13-14 Iunii 1994, p. 5.

23. Plane ceterum novimus hac aetate aliquot inter Romanam et quasdam Orientis Ecclesias contentiones asperiorem efficere mutuae existimationis viam ad concordiam. Saepius haec Romana Sedes edidit normas ad commune omnium Ecclesiarum fovendum iter hoc tempore tam gravi pro orbis terrarum vita, praesertim in Europa Orientali, ubi historici asperi eventus impediverunt quominus Ecclesiae Orientales, recentiore aetate, plene evangelizationis mandatum sibi quidem instans ad effectum adducerent.[61] Amplioris libertatis rerum condiciones iis praebent nunc renovatae opportunitates, quamquam opes in earum commodum positae sunt exiguae ob difficultates quibus laborant Nationes ubi illae operantur. Firmiter quidem optamus affirmare communitates Occidentales paratas esse ad favendum per omnia — et non paucae iam ad hoc operantur — huic diaconiae ministerio, suppeditando in talium Ecclesiarum commodum peritiam quam consecutae sunt tempore uberioris exercitii caritatis. Vae nobis si alterius prosperitas deiectio evaserit alterius vel causa futtilium et flagitiosarum aemulationum. Occidentales communitates vicissim officium suum servabunt praesertim communicandi, ubi fieri possit, proposita servitii cum Ecclesiarum Orientalium fratribus vel adiuvandi effectionem inceptorum ab illis initorum in ministerium suorum populorum, utcumque vero numquam ostentabunt, in promiscuae praesentiae locis, eam agendi rationem quae neglegens videatur laboriosorum conatuum quos Orientales Ecclesiae peracturae sunt, eo laudabiliores quo infirmiores sunt eorum facultates.

Communis caritatis gestus enuntiare alterius in alteram atque una simul erga homines indigentes, actus fiet verae eloquentiae. Quod si devitabitur vel contrarium dabitur testimonium, quotquot nos considerant in cogitationem inducentur inceptum reconciliationis inter Ecclesias in caritate enuntiationem tantummodo esse a rebus sevocatam, absque ulla persuasione concretique ratione.

Fundamentalem sentimus Nos Domini invitationem ad agendum omnimodis ut omnes in Christum credentes una suam fidem testentur, in terris praesertim ubi densior est consociatio inter filios Ecclesiae catholicae — Latinos et Orientales — et filios Ecclesiae orthodoxae. Post commune martyrium pro Christo sustentum vexationis aetate athearum administrationum,

[61] Cfr. IOANNES PAULUS PP. II, *Epistula ad Episcopos Continentis Europaeae* (31 Maii 1991): *AAS* 84 (1992) 163-168; etiam *Les Principes généraux et Normes pratiques pour coordonner l'évangélisation et rengagement Œcuménique de l'Église catholique en Russie et dans les autres Pays de la CEI.* (quae omnia sunt divulgata a Pontificia Commissione pro Russia, 1 Iunii 1992).

tempus venit patiendi, si necesse sit, ne deficiat caritatis testimonium inter christianos: nam et si tradiderimus corpus nostrum ut aduratur, caritatem autem non habuerimus, nihil nobis proderit (cfr. *1 Cor* 13, 3). Necesse est oremus semper ut Dominus nostras mentes et corda nostra moveat atque nobis patientiam det benignitatemque.

24. Putamus sane magnum pondus ad crescendum in mutua comprehensione atque unitate tribuendum esse meliori mutuae intellegentiae. Catholicae Ecclesiae filii iam noverunt vias quas Sancta Sedes significavit ut ii eiusmodi propositum consequi valeant: liturgiam Ecclesiarum Orientalium noscere;[62] altius perscrutari cognitionem traditionum spiritalium Patrum Doctorumque Orientis christiani;[63] exemplum sumere ab Ecclesiis Orientalibus ad nuntii Evangelii adeptionem; animi contentiones removere inter Latinos et Orientales atque dialogum inter catholicos et orthodoxos concitare; in institutis peculiariter paratis pro Oriente christiano theologos formare atque magistros liturgiae, historiae et iuris canonici, qui disseminare valeant, vicissim, ecclesiarum Orientalium cognitionem; praebere in Seminariis et in facultatibus theologicis, futuris praesertim sacerdotibus, institutionem de iis disciplinis aptam.[64] Sunt suasiones semper profecto validae, quibus insistere volumus peculiari instantia.

25. Praeter cognitionem, magni ponderis ducimus mutuam necessitudinem. Hac in re exoptamus quidem ut monasteria singularem quandam operam dent, ob partes prorsus peculiares quas vita monachica intra Ecclesias explet atque plurimas ob res quae experientiam monachicam consociant, ideoque spiritalem sensum, in Oriente et in Occidente. Alia quaedam occursus forma in liberali consistit hospitio magistrorum auditorumque apud Pontificias Studiorum Universitates atque apud alia catholica academica instituta. Quantum fieri poterit pergemus ut eiusmodi hospitalitas usque augeatur. Faveat Deus etiam ortui et incremento locorum quae hospitalitati destinantur nostrorum fratrum Orientalium, hac etiam in Urbe Roma, quae vivam tenet communemque memoriam coryphaeorum Apostolorum atque tot martyrum.

[62] Cfr. CONGR. DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Instr. *In ecclesiasticam futurorum,* 48: *EnVat* 6, p. 1080.

[63] Cfr. CONGR. DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Instr. *Inspectis dierum* (10 Novembris 1989): *AAS* 82 (1990) 607-636.

[64] Cfr. CONGR. DE INSTITUTIONE CATHOLICA, Epist. *En égard au développement* (6 Ianuarii 1987), 9-14: *L'Osservatore Romano,* 16 Aprilis 1987, p. 6.

Multum interest ut occursus et commercii incepta latiore ratione amplioribusque formis ecclesiales implicent communitates: novimus, exempli gratia, quantum momentum habeant necessitudinis incepta inter paroecias, veluti « gemellas » factas ad mutuum culturale et spiritale incrementum, etiam in caritatis ministerio.

Absolute probabilia ducimus incepta communium peregrinationum ad loca ubi sanctitatis signa peculiari ratione sunt indicata, memoria hominum mulierumque qui omni aetate ipsius vitae impendio Ecclesiam locupletaverunt. Hac in re praestat sane pervenire ad communem sanctitatis agnitionem illorum christianorum qui postremis decenniis, praesertim in Nationibus Orientalis Europae, sanguinem suum pro unica fide in Christum effuderunt.

26. Singulari autem cogitatione prosequimur dissipationis terras in quibus vitam agunt, in ambitu ubi maior pars est Latina, multi fideles orientalium Ecclesiarum quae nativas terras reliquerunt. Haec loca, ubi facilior fit serena necessitudo intra societatem multiplicem, fieri possunt optimus ambitus ad meliorem efficiendam augendamque mutuam inter Ecclesias operam in futurorum sacerdotum institutione, in pastoralibus et beneficis inceptis, etiam pro Orientalium terris patriis.

Hortamur peculiari ratione Latinos Ordinarios illarum Nationum ad diligentem considerationem, ad plenam comprehensionem adque fidelem inductionem praeceptorum a Sancta hac Sede enuntiatorum de mutua opera oecumenica[65] deque pastorali curatione fidelium Ecclesiarum Orientalium catholicarum, praesertim ubi propria Hierarchia carent.

Invitamus sacrorum Antistites et Orientalem clerum catholicum ut artam consocient operam cum Latinis Ordinariis ad validum pastorale ministerium omnibus patens, praesertim cum eorum iurisdictionis potestas in terras admodum dissitas dilatatur ubi cooperationis absentia reapse significat segregationem. Praepositi Orientales catholici nullam praeteribunt viam ad condiciones fovendas fraternitatis, sincerae mutuaeque aestimationis, atque communis operae cum fratribus Ecclesiarum quibuscum nondum plena communio nos iungit, singulariter in eos quibus eadem est ecclesialis traditio.

In Occidente ubi Orientales non adsint sacerdotes qui assistant fidelibus orientalium Ecclesiarum catholicarum, Latini Ordinarii eorumque cooperatores operam dent ut apud fideles illos conscientia et cognitio augescant

[65] Cfr. PONT. CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM, *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'Œcuménisme,* V: *AAS* 85 (1993) 1096-1119.

eorum traditionum, atque ipsi vocentur ad naviter cooperandum, peculiari industria sua, christianae communitatis incremento.

27. Quod pertinet ad monachicam vitam, prae oculis habito eius momento in Orientali christianismo, optamus sane ut ea vigeat in Ecclesiis orientalibus catholicis atque firmentur quotquot vocatos se noverint ad eiusmodi confirmationis operam.[66] Exsistit enim insitum vinculum inter liturgicam precem, spiritalem traditionem vitamque monachicam in Oriente. Hanc ob causam, etiam pro iis vitae monachicae instauratio recte composita atque comprobata significare potest novum quendam ecclesialem florem. Nec putandum est hoc minuere posse ministerii pastoralis efficientiam, immo hac acri spiritalitate corroborabitur atque reperiet ita aptam suam collocationem. Eiusmodi auspicium etiam ad terras dissipationis Orientalis refertur, ubi monasteriorum Orientalium praesentia tribuat maiorem soliditatem ipsis Ecclesiis Orientalibus iis in Nationibus, et perutile insuper adiumentum praebeat religiosae christianorum Occidentalium vitae.

28. Dum finem facimus huius Epistulae, mens Nostra decurrit ad dilectos Fratres Patriarchas, Episcopos, Presbyteros et Diaconos, Monachos et Monachas, viros et mulieres Ecclesiarum Orientalium.

Tertio iam adventante millennio pervenire animadvertimus clamorem hominum gravium minationum pondere veluti contritorum et tamen, ipsis vel nescientibus, amoris historiam a Deo statutam cognoscendi appetentium. Persentiunt homines illi luminis radium quendam, si exceptum, posse adhuc tenebras dissipare a finibus benignitatis Patris.

Maria, « sideris numquam decidentis Mater »,[67] « mysticae diei aurora »,[68] « gloriosi Solis oriens »,[69] *Orientale lumen* nobis proponit.

Ab Oriente cotidie spei sol dilucescit, lucem dicimus quae humano generi exsistentiam reddit. Ab Oriente, sicut pulchra refert imago, Salvator noster redibit (cfr. *Mt* 24, 27).

Orientis viri mulieresque sunt nobis Domini revertentis signum. Eorum oblivisci non possumus, non dumtaxat quia diligimus eos veluti fratres sororesque ab eodem ipso Domino redemptos, sed etiam quia sancta saeculorum

[66] Cf. Nuntius Synodi Generalis Ordinariae Episcoporum, VII: «Appellatio ad religiosos religiosasque orientalium Ecclesiarum» (27 Octobris 1994): *L'Osservatore Romano,* 29 Octobris 1994, p. 7.

[67] *Horologion,* hymnus *Akathistos* in honorem Sanctissimae Dei Matris, Ikos 5.

[68] *Ibid.*

[69] *Horologion,* Completorium Dominicae in Byzantina liturgia.

in plena fidei caritatisque communione peractorum memoria urget nos, peccata nostra exprobrat nobis, mutuas inclementias nostras: detraximus nos orbi terrarum communem testificationem, quae, forsitan, tot tristes casus vitare potuisset, immo vel historiae mutare cursum.

Dolore sane affecti animadvertimus nondum posse nos eandem Eucharistiam participare. Hoc millennio iam exeunte nostroque obtutu ad orientem solem se convertente, grato profecto animo reperimus eos in conspectus nostri nostrique cordis itinere.

Evangelii vox, verbi numquam fallentis, fortiter reciñere pergit, nostra tantum separatione infirmata: clamat Christus, difficulter tamen homo eius percipit vocem, quia non valemus concinentes verba prodere. Una simul audiamus invocationem integrum Dei Verbum auscultare cupientium. Occidentis voces Orientis indigent vocibus ut Dei verbum aptiore prorsus ratione suas patefaciat inexploratas ubertates. Nostra verba convenient semper in caelesti Hierusalem, imploramus tamen et volumus ut concordia illa in sancta anticipetur Ecclesia quae adhuc ad Regni plenitudinem iter facit.

Deus breve reddat tempus et spatium. Cito, immo citissime Christus, *Orientale lumen,* det ut detegamus nos reapse, tametsi tot saecula disiunctionis abierint, admodum propinquos fuisse, quia una simul, nobis forsitan nescientibus, iter fecimus ad unicum Dominum, ideoque alii ad alios.

Valeant tertii millennii homines frui eiusmodi patefactione, utpote qui tandem audierint unanimum ideoque plane credibile verbum a fratribus sese diligentibus atque mutuo gratias agentibus pro divitiis ultrocitroque sibi datis conclamatum. Sic nos in conspectu Dei veniemus mundis reconciliationis manibus atque orbis terrarum homines inde validam quandam altioris notae capient rationem ad credendum adque sperandum.

Haec ominati Nostram omnibus impertimur Apostolicam Benedictionem.

Datum Romae, apud S. Petrum, die II mensis Maii, in memoria sancti Athanasii, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

TUNETANA

Praelatura territorialis Tunetana ad statum condicionemque dioecesis attollitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Antiquorum istius loci annalium repetentes memoriam, qui clara tradunt monumenta eximiasque fidei testificationes, bene iuvante Domino, futuro quoque de tempore exoptamus ut felix capiat incrementum Domini salus et uberem messem ager iste fundat. Nos autem pro virili parte contendimus ut ecclesiastica instituta propositis his concinantur. Ideo Venerabilis Fratris Fouad Twal, Tunetanae praelaturae territorialis Pastoris, occurrere libenter postulatis volumus, petentis ut sua Sedes ad dioecesis gradum attollatur. Itaque de consilio Congregationis pro Episcopis, favente Venerabili Fratre Edmundo Farhat, Archiepiscopo titulo Bibliensi et in Tunesia Apostolico Nuntio, Tunetanam territorialem Praelaturam, Apostolicae Sedi immediate subiectam, ad gradum dioecesis evehimus, iisdem superioribus retentis finibus atque omnibus iuribus officiisque congruentibus concessis secundum iuris canonici praescripta. Insuper Venerabilem Fratrem Fouad Twal titulo personali archiepiscopali honestamus. Haec omnia ut expediantur, Apostolicum Nuntium, quem antea memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quemlibet alium virum subdelegandi in ecclesiastica dignitate constitutum. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum exempla sincera ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibusvis obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

SB BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 372.452

II

CASSOVIENSIS

Intra Slovakiae fines conditur nova Provincia ecclesiastica, Cassoviensis scilicet, quae ad dignitatem Ecclesiae metropolitanae attollitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pastorali quidem permoti studio curam continenter adhibemus, ut salutifera Domini beneficia quam amplissimam multitudinem attingant. Ideo Nos, felicioribus in Slovakiae finibus exstantibus condicionibus, aptare festinamus ecclesiastica instituta ut proposita haec commodius expleantur. Quapropter postulatis occurrentes Venerabilis Fratris Ioannis Sokol, Archiepiscopi Tyrnaviensis, qui flagitavit ut, disiunctis quibusdam territoriis eiusdem provinciae ecclesiasticae Tyrnaviensis, quae nunc Bratislaviensis-Tyrnaviensis nuncupatur, nova constitueretur provincia ecclesiastica Cassoviensis, Episcoporum Slovakiae audita conferentia, favente Venerabili Fratre Aloisio Dossena, Archiepiscopo titulo Carpitano et in Slovakia Apostolico Nuntio, de consilio Secretariae Status Sectionis de Rationibus cum Civitatibus, ex sententia Congregationis pro Episcopis, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Novam Provinciam ecclesiasticam condimus Cassoviensem appellandam et eam archiepiscopalis metropolitanae sedis fruentem dignitate iuribus privilegiisque, quae complectetur Ecclesiam eiusdem nominis et dioeceses Scepusiensem et Rosnaviensem. Episcopum pro tempore statu et gradu Metropolitae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Aloisium Dossena, quem supra memoravimus, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die primo et tricesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 372.743

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servae Dei Iosephinae Vannini Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « Unusquisque petat a Domino gratiam materni affectus erga proximum, ut ei famulari possimus omni caritate, sive animae sive corpori, quia desideramus, gratia Dei favente, ministrare omnibus aegrotis eodem affectu quo amans mater solet unico filio aegrotanti assidere » (S. Camillus de Lellis).

Iosephina Vannini, virgo Deo consecrata, verba patris Camilli in cor suum contulit atque facta est mater patientium, quibus se totam omnino dedit; eos dilexit, ministravit eis, eos est solata curavitque eodem amantis matris affectu, perspiciens in eis ipsum Iesum qui dixit: « Eram infirmus, et visitastis me » *(Mt* 25, 36).

Ipsa nata est Romae die VII mensis Iulii anno MDCCCLIX ex Angelo Vannini et Annuntiata Papi, atque insequenti die baptismate abluta est in ecclesia S. Andreae Apostoli de Hortis. Utroque parente orbata septem annos nata, Hospitium Torloniae, Filiarum Caritatis a S. Vincentio de Paoli, Romae, ingressa est, ibique mansit usque ad annum MDCCCLXXXIII. Die III mensis Martii eo ipso anno Senae postulans facta est inter ipsas Caritatis Filias: attamen infirmae valetudinis causa egredi debuit. Vitam umbratilem duxit, praestolans vitae consecratae condicionem. Mense Decembri anno MDCCCXCI, dum exercitiis spiritualibus vacaret, novit Servum Dei Aloisium Tezza, sodalem Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, eique animum suum patefecit. Servus Dei, utpote qui a multis iam annis constituere studeret coetum mulierum deditarum curae infirmorum secundum mentem S. Camil-

li de Lellis, adulescenti suasit ut ipsa fieret fautrix novae religiosae compaginis mulierum. Hoc modo ortus est primus nucleus Congregationis Filiarum S. Camilli, religiosarum scilicet ministerio infirmorum deditarum, caritatem evangelicam profitentium secundum magisterium et exemplum S. Camilli; quartum nuncupant votum, assidendi aegrotis etiam periculo propriae vitae.

Hinc incepit Venerabilis Servae Dei altera vitae pars. Die VIII mensis Decembris anno MDCCCXCV emisit professionem perpetuam et facta est Antistita Generalis. Infirma corporis valetudine fruens, fortis tamen fide et zelo apostolico, mirabilia patravit hac in nova ministerii religiosi via, noctes atque dies aegrotis indigentibus et solitariis administrans, prout commentarii diurni significaverunt. Filiae S. Camilli factae sunt boni angeli, qui praesertim temporibus difficilioribus contulerunt ad Ecclesiae Romanae restaurationem in societate magna ex parte iam in saecularem condicionem redacta.

Sicut frequenter evenit in operibus Dei, non defuerunt difficultates et impedimenta; passa est Serva Dei ob absentiam Patris Tezza, missi a Superioribus suis in Peruviam. At Mater Iosephina, dolore roborata inde a primis vitae suae annis atque firmiter haerens in Dei voluntate, perrexit in moderamine communitatis suae indefracto animo, supernaturali prudentia, materna sollicitudine et mirabili humilitate. Magistra vitae spiritualis atque peritia quadam institutoria praedita in exsequendo suo charismate (i.e. curandis infirmis), docuit Filias altissimum bonum, ostentans eis unicum exemplar Iesum, qui «bene omnia fecit» (*Mc* 7, 37); quapropter postulavit ab eis plenam fidelitatem erga propriam consecrationem plenamque deditionem famulatui erga dolentia membra Domini. Fisa auxilio divino, XIX annis valuit constituere Institutum suum in Italia, in Gallia, Belgio et America Meridionali. Hodie Filiae S. Camilli operantur in quattuor continentibus: Europa, Asia, Africa et America.

Meritis dives sanctitatisque fama insignis, vitam aeternam ingressa est die XXIII mensis Februarii, anno MCMXI.

Causa Canonizationis instituta est apud Curiam Vicariatus Romae. Servatis de iure servandis, Nobis praesentibus, die VII mensis Martii, anno MCMXCII, promulgatum est Decretum, quo Venerabilem Servam Dei heroum in modum virtutes théologales cardinales iisque adnexas exercitavisse ediximus. Antea apud Curiam Archidioecesanam Bonaërensem celebratus est Processus Canonicus de mira sanatione, Venerabilis Servae Dei deprecationi attributa. Cum autem consuetae inquisitiones felicem habuissent exitum, die XXIII mensis Decembris anno MCMXCIII coram Nobis promulgatum est Decretum super miro. Deinde statuimus ut Beatificationis sollemnis ritus die XVI mensis Octobris, anno MCMXCIV, in Urbe fieret, cum in Civitate Vaticana ageretur Synodus Episcoporum « de vita consecrata deque eius munere in Ecclesia et in mundo ».

Hodie igitur in foro ad Vaticanam Basilicam Sancti Petri spectante, inter Missarum sollemnia formulam hanc protulimus:

« Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Balland, Archiepiscopi Remensis, Caroli Oviedo Cavada, Archiepiscopi Sancti Iacobi in Chilia, Eliae Yanes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustani, Richardi Mariae Caries Gordó, Archiepiscopi Barcinonensis et Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque Christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Nicolaus Roland, Albertus Hurtado Cruchaga, Maria Rafols, Petra a Sancto Ioseph Pérez Florido et *losephina Vannini* Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Nicolai Roland die vicesima septima mensis Aprilis; Alberti Hurtado Cruchaga die decima octava mensis Augusti; Mariae Rafols die quinta mensis Novembris; Petrae a Sancto Ioseph Pérez Florido die decima sexta mensis Octobris et *Iosephinae Vannini* die decima sexta mensis Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».

Sueta etiam oratione habita de vita, virtutibus ac ministerio Beatorum, quos modo publice diximus, eos venerati sumus summaque Ipsi cum religione primi invocavimus, adhortantes deinde omnes Christifideles ad similem erga Beatos pietatem.

Quae autem his Litteris decrevimus nunc et posthac rata et firma volumus esse, contrariis rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Octobris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ffi ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco £B Sigilli

In Secret. Status tab., n. 360.589

II

Templum cathedrale Deo dicatum in honorem Beatae Mariae Virginis a Rosario, in dioecesi Kaohsiungensi, ad gradum Basilicae minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Deipara in caelis assumpta multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis donis hominibus conciliandis (cfr. *Lumen gentium,* 62). Quia ergo Venerabilis Frater Paulus Shan Kuohsi, Episcopus Kaohsiungensis, Marialem cultum alere ac fovere cupiens, cleri popu-

Iique sibi concrediti vota interpretatus petiit ut Kaohsiungensis dioecesis ecclesia cathedralis Deo dicata in honorem Beatae Mariae Virginis a Rosario ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, petitioni libenti animo obsecundare volumus. Itaque de Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum consulto, Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, statuimus ut sacra aedes quam diximus ad titulum ac dignitatem Basilicae Minoris evehatur, omnibus adiectis iuribus et privilegiis, quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, secundum Decretum « De titulo Basilicae Minoris », die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX datum. Contrariis quibusvis non obstantibus. Confidimus sane fore ut fideles Kaohsiungensis communitatis ecclesialis ad Beatam Mariam Virginem colendam magis magisque incitentur.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxn mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 370.713

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET REGNUM HISPANIAE QUIBUSDAM DE COMMUNIS COMMODI QUAESTIONIBUS IN TERRA SANCTA

ACUERDO ENTRE LA SANTA SEDE Y EL REINO DE ESPAÑA SOBRE ASUNTOS DE INTERÉS COMÚN EN TIERRA SANTA

La Santa Sede y España, con el propósito de adaptar a las actuales circunstancias la secular obra desarrollada por España en Tierra Santa, convienen en cuanto sigue:

ACCORDO TRA LA SANTA SEDE E IL REGNO DI SPAGNA SU QUESTIONI DI COMUNE INTERESSE IN TERRA SANTA

La Santa Sede e la Spagna, allo scopo di adattare alle circostanze attuali l'opera secolare svolta dalla Spagna in Terra Santa, convengono su quanto segue:

Articulo 1

España reconoce la plena y única competencia de la Sede Apostolica y de la Custodia de Tierra Santa, a tenor de sus Estatutos, para el libre e independiente ejercicio de su jurisdicción en relación con la conservación y administración de los Santos Lugares e instituciones del Próximo Oriente sobre las que se proyecta la actividad de la Custodia de Tierra Santa.

Artículo 2

La Custodia de Tierra Santa facilitará a la Obra Pía de los Santos Lugares los títulos de propiedad que se encuentren en su poder, así como los documentos que sean precisos para la inscripción en los Registros de la Propiedad a favor de la Obra Pía de los Santos Lugares o para, en su caso, la enajenación, de los inmuebles siguientes, de los que reconoce que la Obra Pía de los Santos Lugares, por títulos históricos, es la única propietaria:

- El terreno del ex-Cementerio de Jaffa;
- El Olivar de Ramleh;
- El complejo de la Almazara de Ramleh;
- El Hospicio de Pera (Estambul).

Artículo 3

El Gobierno español cursará instrucciones a la Obra Pía de los

Articolo 1

La Spagna riconosce la totale e unica competenza della Sede Apostolica e della Custodia di Terra Santa, secondo gli Statuti della medesima, nel libero e indipendente esercizio della loro giurisdizione relativa alla conservazione e amministrazione dei Luoghi Santi e delle istituzioni del Medio Oriente dove la Custodia di Terra Santa svolge la sua attività.

Articolo 2

La Custodia di Terra Santa trasmetterà all'« Obra Pía de los Santos Lugares » i titoli di proprietà che siano in suo possesso, così come i documenti necessari per la trascrizione nei Registri delle Proprietà in favore della « Obra Pía de los Santos Lugares », oppure, se sarà il caso, per l'alienazione dei seguenti immobili, dei quali riconosce la « Obra Pía » come unica proprietaria, per titoli storici:

- il terreno dell'ex-Cimitero di Jaffa;
- l'Oliveto di Ramleh;
- il complesso del Frantpio di Ramleh;
- l'Ospizio di Pera (Istambul).

Articolo 3

Il Governo Spagnolo darà alla « Obra Pía de los Santos Lugares »

Santos Lugares para que proceda a la enajenación de dichos inmuebles en el plazo máximo de dos años, a contar desde la fecha en que haya obtenido la inscripción de los mismos a su favor en los respectivos Registros de la Propiedad, o desde que se encuentren en condiciones de venta.

Artículo 4

§ 1 - La Obra Pía de los Santos Lugares entregará a la Custodia de Tierra Santa el 20% del precio neto obtenido de la venta de cada uno de los inmuebles. Se entenderá por precio neto el resultante de deducir de la cifra que satisfaga el comprador de cada inmueble tanto el importe de los gastos e impuestos que se hayan ocasionado o se ocasionen y a los que haya dado origen su inscripción en el Registro de la Propiedad a favor de la Obra Pía de los Santos Lugares, como' los que deban ser satisfechos por ésta como consecuencia de la venta.

§ 2 - Se deducirán también para fijar el precio neto, las indemnizaciones que la Obra Pía de los Santos Lugares hubiera de satisfacer a los actuales ocupantes de los inmuebles, así como los gastos a que pudiera dar origen el eventual ejercicio de acciones judiciales para obtener su desalojo.

istruzioni per l'alienazione dei menzionati immobili, da compiersi entro due anni, da computarsi a partire dalla data in cui abbia ottenuto l'iscrizione dei medesimi a proprio nome nei rispettivi Registri delle Proprietà o da quando possano essere messi in vendita.

Articolo 4

§ 1 - La « Obra Pía de los Santos Lugares » consegnerà alla Custodia di Terra Santa il 20% dell'importo netto ottenuto dalla vendita di ciascuno degli immobili. Si intenderà per importo netto quanto risulterà dal sottrarre dalla somma pagata dal compratore tanto le spese e le imposte che abbiano avuto o abbiano luogo e che siano state pagate per la loro iscrizione nel Registro delle Proprietà in favore della « Obra Pía de los Santos Lugares », come le spese che debbano essere da questa sostenute in conseguenza della vendita.

§ 2 - Per fissare l'importo netto si sottrarranno anche gli indennizzi che la « Obra Pía de los Santos Lugares » dovesse pagare agli occupanti degli immobili, così come le spese che potrebbero derivare da eventuali azioni giudiziarie necessarie per il loro allontanamento.

§ 3 - Análogamente, si la enajenación se llevase a cabo a titulo de permuta, la Obra Pía de los Santos Lugares entregará a la Custodia de Tierra Santa el 20% del valor neto del inmueble que transmita la propia Obra Pía. Dicho valor neto será el resultante de deducir del valor de tasación que se consigne en el documento de formalización de la permuta los gastos, impuestos y, en su caso, indemnizaciones que se contemplan en los párrafos anteriores de este artículo.

§ 4 - La Obra Pía de los Santos Lugares se comprometerá a comunicar a la Custodia de Tierra Santa, documentándolo, el precio total convenido en relación con la enajenación de cada inmueble.

Artículo 5

Si la Obra Pía de los Santos Lugares estimase que no puede proceder, por causas de fuerza mayor, a la enajenación dentro del plazo de dos años previsto en el Artículo 3, dará cuenta de dicha circunstancia a la Custodia de Tierra Santa, entendiéndose prorrogado el plazo hasta que desaparezcan tales causas. A partir de ese momento, la Obra Pía de los Santos Lugares dispondrá del plazo máximo de un año para proceder a la enajenación.

§ 3 - Analogamente, se l'alienazione dovesse aver luogo tramite permuta, la « Obra Pía de los Santos Lugares » consegnerà alla Custodia di Terra Santa il 20% del valore netto dell'immobile che la medesima « Obra Pía » trasferirà. Detto valore netto sarà costituito dal risultato ottenuto sottraendo dal valore di tassazione denunciato nel documento ufficiale di permuta le spese, le imposte ed eventualmente gli indennizzi menzionati nei precedenti paragrafi di questo stesso articolo.

§ 4 - La « Obra Pía de los Santos Lugares » si impegnerà a comunicare alla Custodia di Terra Santa, documentandolo, il prezzo totale concordato per l'alienazione di ciascun immobile.

Articolo 5

Se la « Obra Pía de los Santos Lugares » ritenesse di non poter procedere, per cause di forza maggiore, all'alienazione entro il periodo di due anni previsto nell'articolo 3, ne darà conto alla Custodia di Terra Santa, ritenendosi prorogato il periodo fino alla cessazione delle menzionate cause. A partire da quel momento, la « Obra Pía de los Santos Lugares » disporrà di un periodo massimo di un anno per procedere all'alienazione.

Articulo 6

Si la Obra Pía de los Santos Lugares considera insatisfactorias desde el punto de vista económico las condiciones que pueda obtener en la enajenación de cualquiera de los inmuebles, dará cuenta de las mismas a la Custodia de Tierra Santa con el fin de proceder de común acuerdo a establecer una prórroga.

Articolo 6

Se la « Obra Pía de los Santos Lugares » considera economicamente insoddisfacenti le condizioni ottenibili per l'alienazione di qualsiasi degli immobili, ne darà conto alla Custodia di Terra Santa allo scopo di stabilire di comune accordo una proroga.

Artículo 7

La Obra Pía de los Santos Lugares y la Custodia de Tierra Santa dedicarán sus respectivas participaciones en el producto neto de las enajenaciones al cumplimiento de sus fines institucionales, reinvirtiendo en Tierra Santa el procedente del ex-Cementerio de Jaffa, del Olivar de Ramleh y del complejo de la Almazara de Ramleh.

Articolo 7

La « Obra Pía de los Santos Lugares » e la Custodia di Terra Santa impiegheranno il ricavato netto delle alienazioni per i fini istituzionali ad esse propri, reinvestendo in Terra Santa il ricavato dall'alienazione dell'ex-Cimitero di Jaffa, dell'Oliveto di Ramleh e del complesso del Frantoio di Ramleh.

Artículo 8

§ 1 - Se reconoce a favor de la Obra Pía de los Santos Lugares la nuda propiedad de la « Casa de España » de Damasco.

§ 2 - La Custodia de Tierra Santa no objetará la propiedad de la Obra Pía sobre la antigua « Casa Nova » de Jaffa.

§ 3 - La Custodia de Tierra Santa y la Obra Pía de los Santos

Articolo 8

§ 1 - Si riconosce alla « Obra Pía de los Santos Lugares » la nuda proprietà della « Casa di Spagna» di Damasco.

§ 2 - La Custodia di Terra Santa non farà obiezioni alla proprietà della « Obra Pía » sull'antica « Casa Nova » di Jaffa.

§ 3 - La Custodia di Terra Santa e la « Obra Pía de los Santos

Lugares están de acuerdo en no suscitar controversias sobre ninguna otra propiedad de aquéllas actualmente poseídas por cualquiera de ellas, que, consecuentemente, permanecerán como propiedades definitivamente adquiridas e inscritas a nombre de los actuales poseedores. La Custodia de Tierra Santa y la Obra Pía de los Santos Lugares se prestarán recíprocamente asistencia para efectuar tales inscripciones.

§ 4 - Queda confirmada, en fin, la reserva establecida por España y aceptada por la Custodia, con ocasión de la cesión a esta última del terreno de 2.000 m^2 para el Convento franciscano de Belén, en 1874.

Artículo 9

El « modus operandi » para la ejecución del presente Acuerdo se establece en el Anejo, que forma parte integrante e inseparable del mismo.

Artículo 10

Las dudas o dificultades que puedan presentarse en la interpretación o ejecución de todo lo acordado serán sometidas a la Comisión prevista en el Artículo 1 del Anejo. Si la Comisión no las solucionase, las dudas o dificultades serán re-

Lugares » sono d'accordo nel non promuovere controversie a proposito di nessuna delle proprietà da ciascuna di esse attualmente possedute e che, di conseguenza, risulteranno come proprietà definitivamente acquisite e iscritte a nome degli attuali possessori. La Custodia di Terra Santa e la « Obra Pía de los Santos Lugares» si assisteranno reciprocamente per realizzare tali iscrizioni.

§ 4 - Resta confermata, infine, la riserva posta dalla Spagna, e accettata dalla Custodia, in occasione della cessione a quest'ultima del terreno di 2.000 m^2 per il Convento francescano di Betlemme, nel 1874.

Articolo 9

Il « modus operandi » per l'esecuzione del presente Accordo è determinato nell'Annesso, che forma parte integrante e inseparabile del medesimo.

Articolo 10

I dubbi o le difficoltà che potrebbero sorgere nell'interpretazione o nell'applicazione di tutto quanto è stato convenuto saranno sottoposti alla Commissione prevista nell'Articolo 1 dell'Annesso. Se la Commissione non vi trovasse so-

sueltas de común acuerdo por la Santa Sede y España.

Artículo 11

El presente Acuerdo consta de dos ejemplares, en español y en italiano, ambos igualmente auténticos.

Artículo 12

El presente Acuerdo entrará en vigor a partir de la fecha en la que las Altas Partes Contratantes se comuniquen que han cumplido sus trámites internos respectivos para la celebración de Tratados Internacionales.

Hecho en Madrid, el 21 de diciembre de 1994.

LUIS SOLANA
Ministro de Asuntos Exteriores

POR EL REINO DE ESPAÑA

luzione, i dubbi o le difficoltà saranno risolti di comune accordo tra la Santa Sede e la Spagna.

Articolo 11

Il presente Accordo consta di due esemplari, in italiano e in spagnolo, ambedue ugualmente autentici.

Articolo 12

Il presente Accordo entrerà in vigore a partire dalla data in cui le Alte Parti Contraenti si comunicheranno di aver completato i rispettivi tramiti interni riguardanti i Trattati Internazionali.

Firmato in Madrid, il 21 di dicembre del 1994.

© MARIO TAGLIAFERRI
Nunzio Apostolico

PER LA SANTA SEDE

ADNEXUM

ANEJO AL ACUERDO ENTRE LA SANTA SEDE Y EL REINO DE ESPAÑA

Artículo 1

A la entrada en vigor del Acuerdo a que se refiere este Anejo, se constituirá una Comisión en Jerusalén for-

ANNESSO ALL'ACCORDO TRA LA SANTA SEDE E IL REGNO DI SPAGNA

Articolo 1

All'entrata in vigore dell'Accordo al quale si riferisce il presente Annesso, sarà costituita a Gerusalem-

mada por el Representante Pontificio, el Cónsul General de España como Representante de la Obra Pía de los Santos Lugares y de España y un Representante autorizado de la Custodia de Tierra Santa.

El Gobierno Español podrá designar, cuando lo juzgue conveniente, un Representante adicional si lo considera útil para la mejor realización de alguno de los puntos del Acuerdo.

Artículo 2

§ 1 - Inmediatamente después de la entrada en vigor del Acuerdo se procederá por los Representantes de la Custodia de Tierra Santa y de la Obra Pía de los Santos Lugares a ejecutar lo convenido entre la Santa Sede y España.

§ 2 - Se tomarán igualmente las medidas necesarias para que la acción procesal entablada por la Custodia de Tierra Santa contra la Obra Pía de los Santos Lugares en impugnación de su título de Propiedad sobre el ex-Cementerio de Jaffa sea retirada, perfeccionándose, si fuere necesario, la inscripción a nombre de la Obra Pía.

§ 3 - La Obra Pía de los Santos Lugares y la Custodia de Tierra Santa tomarán las medidas pertinentes para que las personas que se

me una Commissione formata dal Rappresentante Pontificio, dal Console Generale di Spagna, come Rappresentante della « Obra Pía de los Santos Lugares » e della Spagna, e da un Rappresentante autorizzato della Custodia di Terra Santa.

Il Governo spagnolo potrà designare, ritenendolo conveniente, un ulteriore Rappresentante, se lo considera utile per la migliore realizzazione di qualche punto dell'Accordo.

Articolo 2

§ 1 - Subito dopo l'entrata in vigore dell'Accordo, Rappresentanti della Custodia e della « Obra Pía de los Santos Lugares » procederanno ad eseguire quanto convenuto tra la Santa Sede e la Spagna.

§ 2 - Saranno prese anche le misure necessarie per la revoca dell'azione giudiziaria promossa dalla Custodia di Terra Santa nei confronti della « Obra Pía de los Santos Lugares » per impugnare il titolo di proprietà di questa sull 'ex-Cimitero di Jaffa, procedendo, se necessario, all'iscrizione del medesimo a nome della « Obra Pía ».

§ 3 - La « Obra Pía de los Santos Lugares » e la Custodia di Terra Santa prenderanno le misure adeguate, affinché le persone in-

encuentran instaladas en el ex-Cementerio de Jaffa, lo abandonen y lo dejen libre.

§ 4 - La Obra Pía de los Santos Lugares, si en el transcurso de los trabajos u otras circunstancias encontrara en el ex-Cementerio de Jaffa restos mortales, avisará inmediatamente a la Custodia de Tierra Santa para que haga las prácticas oportunas para su exhumación.

Artículo 3

A la entrada en vigor del Acuerdo del que forma parte el presente Anejo se procederá por un Representante de la Custodia de Tierra Santa y otro de la Obra Pía de los Santos Lugares a la elaboración de un inventario de todos los cuadros, objetos artísticos de culto, ornamentos sagrados y demás objetos de valor histórico que reflejen la presencia y la obra de España en Tierra Santa y que habrán de incorporarse al Museo de San Juan de la Montaña.

Servirá de orientación para esta labor la publicación « La Huella de España en Tierra Santa ».

Artículo 4

Se conservarán y, en su caso, se repondrán las Armas y Símbolos de España y las placas recordatorias de contribuciones españolas, donde

stallate nell'ex-Cimitero di Jaffa lo abbandonino e lo lascino libero.

§ 4 - Se nel corso di lavori o in altre circostanze nell'ex-Cimitero di Jaffa fossero rinvenuti resti mortali, la « Obra Pía de los Santos Lugares » ne avviserà immediatamente la Custodia di Terra Santa affinché questa provveda a compiere il necessario per procedere all'esumazione.

Articolo 3

All'entrata in vigore dell'Accordo, del quale il presente Annesso fa parte, un Rappresentante della Custodia di Terra Santa e uno della « Obra Pía de los Santos Lugares » procederanno alla stesura di un inventario di tutti i quadri, oggetti di culto artistici, ornamenti sacri e altri oggetti di valore storico e significativi della presenza e dell'azione della Spagna in Terra Santa e che dovranno far parte del Museo di « San Juan de la Montaña ».

Per questo lavoro, servirà da indicazione la pubblicazione « La Huella de España en Tierra Santa».

Articolo 4

Dove esistano, saranno conservati ed eventualmente rimessi in ordine le Insegne e i Simboli della Spagna e le lapidi a ricordo

existan y especialmente en los cinco Conventos en los que se ha proyectado secularmente la acción de España (San Pedro de Jaffa, San Nicodemo de Ramleh, San Juan de la Montaña, Damasco y Nicosia).

Artículo 5

Cada año, con ocasión de la Fiesta Nacional Española, la Custodia de Tierra Santa celebrará un solemne acto litúrgico por España, en la Iglesia de San Salvador de Jerusalem

Asimismo, la Custodia de Tierra Santa celebrará anualmente una Santa Misa, en la Basílica del Santo Sepulcro de Jerusalén, en fecha a convenir, por Sus Majestades los Reyes, los Gobernantes y el Pueblo de España.

Hecho en Madrid, el 21 de diciembre de 1994.

LUIS SOLANA
Ministro de Asuntos Exteriores

POR EL REINO DE ESPAÑA

9. Normalmente il progresso è valutato secondo categorie scientifiche e tecniche, ed anche da questo punto di vista non manca il contributo della donna. Tuttavia, non è questa l'unica dimensione del progresso, anzi non ne è neppure la principale. Più importante appare la dimensione socio-etica, che investe le relazioni umane e i valori dello spirito: in tale dimensione, spesso sviluppata senza clamore, a partire dai rapporti quotidiani tra le persone, specie dentro la famiglia, è proprio al « genio della donna » che la società è in larga parte debitrice.

Vorrei a tal proposito manifestare una particolare gratitudine alle donne impegnate nei più diversi settori dell'attività educativa, ben oltre la famiglia: asili, scuole, università, istituti di assistenza, parrocchie, associazioni e movimenti. Dovunque c'è l'esigenza di un lavoro formativo, si può costatare l'immensa disponibilità delle donne a spendersi nei rapporti umani, specialmente a vantaggio dei più deboli e indifesi. In tale opera esse realizzano una forma di maternità affettiva, culturale e spirituale, dal valore veramente inestimabile, per l'incidenza che ha sullo sviluppo della persona e il futuro della società. E come non ricordare qui la testimonianza di tante donne cattoliche e di tante Congregazioni religiose femminili che, nei vari continenti, hanno fatto dell'educazione, specialmente dei bambini e delle bambine, il loro principale servizio? Come non guardare con animo grato a tutte le donne che hanno operato e continuano ad operare sul fronte della salute, non solo nell'ambito delle istituzioni sanitarie meglio organizzate, ma spesso in circostanze assai precarie, nei Paesi più poveri del mondo, dando una testimonianza di disponibilità che rasenta non di rado il martirio?

10. Auspico dunque, carissime sorelle, che si rifletta con particolare attenzione sul tema del « genio della donna », non solo per riconoscervi i tratti di un preciso disegno di Dio che va accolto e onorato, ma anche per fare ad esso più spazio nell'insieme della vita sociale, nonché di quella ecclesiale. Proprio su questo tema, già affrontato peraltro in occasione dell'Anno Mariano, ebbi modo di intrattenermi ampiamente nella menzionata Lettera apostolica *Mulieris dignitatem,* pubblicata nel 1988. Quest'anno poi, in occasione del Giovedì Santo, alla consueta Lettera che invio ai sacerdoti, ho voluto unire idealmente proprio la *Mulieris dignitatem,* invitandoli a riflettere sul significativo ruolo che nella loro vita svolge la donna, come madre, come

sorella e come collaboratrice nelle opere di apostolato. È questa un'altra dimensione — diversa da quella coniugale, ma anch'essa importante — di quell'« aiuto » che la donna, secondo la Genesi, è chiamata a recare all'uomo.

La Chiesa vede in Maria la massima espressione del « genio femminile » e trova in Lei una fonte di incessante ispirazione. Maria si è definita « serva del Signore » *(Lc* 1, 38). È per obbedienza alla Parola di Dio che Ella ha accolto la sua vocazione privilegiata, ma tutt'altro che facile, di sposa e di madre della famiglia di Nazaret. Mettendosi a servizio di Dio, Ella si è posta anche a servizio degli uomini: un servizio di amore. Proprio questo servizio le ha permesso di realizzare nella sua vita l'esperienza di un misterioso, ma autentico « regnare ». Non a caso è invocata come « Regina del cielo e della terra ». La invoca così l'intera comunità dei credenti, l'invocano « Regina » molte nazioni e popoli. Il suo « regnare » è servire! Il suo servire è « regnare »!

Così dovrebbe essere intesa l'autorità tanto nella famiglia quanto nella società e nella Chiesa. Il « regnare » è rivelazione della vocazione fondamentale dell'essere umano, in quanto creato ad « immagine » di Colui che è Signore del cielo e della terra, chiamato ad essere in Cristo suo figlio adottivo. L'uomo è la sola creatura sulla terra « che Iddio abbia voluta per se stessa », come insegna il Concilio Vaticano II, il quale significativamente aggiunge che l'uomo « non può ritrovarsi pienamente se non attraverso il dono sincero di sé » *(Gaudium et spes,* n. 24).

In questo consiste il materno « regnare » di Maria. Essendo stata, con tutto il suo essere, dono per il Figlio, dono Ella diventa anche per i figli e le figlie dell'intero genere umano, destando la profondissima fiducia di chi si rivolge a Lei per essere condotto lungo le difficili vie della vita al proprio definitivo, trascendente destino. A questo finale traguardo ciascuno giunge attraverso le tappe della propria vocazione, un traguardo che orienta l'impegno nel tempo tanto dell'uomo quanto della donna.

11. In questo orizzonte di «servizio» — che, se reso con libertà, reciprocità ed amore, esprime la vera «regalità» dell'essere umano — è possibile accogliere, senza conseguenze svantaggiose per la donna, anche una certa diversità di ruoli, nella misura in cui tale diversità non è frutto di arbitraria imposizione, ma sgorga dalle peculiarità dell'essere maschile e femminile. E un discorso che ha una sua specifica applicazione anche all'interno della Chiesa. Se Cristo — con libera e sovrana scelta, ben testimoniata nel Vangelo e nella costante tradizione ecclesiale — ha affidato soltanto agli uomini il

compito di essere « icona » del suo volto di « pastore » e di « sposo » della Chiesa attraverso l'esercizio del sacerdozio ministeriale, ciò nulla toglie al ruolo delle donne, come del resto a quello degli altri membri della Chiesa non investiti del sacro ministero, essendo peraltro tutti ugualmente dotati della dignità propria del « sacerdozio comune » radicato nel Battesimo. Tali distinzioni di ruolo, infatti, non vanno interpretate alla luce dei canoni di funzionalità propri delle società umane, ma con i criteri specifici dell'economia sacramentale, ossia di quella economia di « segni » liberamente scelti da Dio per rendersi presente in mezzo agli uomini.

Del resto, proprio nella linea di questa economia di segni, anche se fuori dell'ambito sacramentale, non è di poco conto la « femminilità » vissuta sul modello sublime di Maria. C'è infatti nella « femminilità » della donna credente, e in specie di quella « consacrata », una sorta di « profezia » immanente (cf. *Mulieris dignitatem,* n. 29), un simbolismo fortemente evocativo, si direbbe una pregnante « iconicità », che si realizza pienamente in Maria e ben esprime l'essere stesso della Chiesa in quanto comunità consacrata con l'assolutezza di un cuore « vergine », per essere « sposa » del Cristo e « madre » dei credenti. In questa prospettiva di complementarietà « iconica » dei ruoli maschile e femminile vengono meglio poste in luce due dimensioni imprescindibili della Chiesa: il principio « mariano » e quello « apostolico-petrino » (cf. *ibid.,* n. 27).

D'altra parte — lo ricordavo ai sacerdoti nella menzionata Lettera del Giovedì Santo di quest'anno — il sacerdozio ministeriale, nel disegno di Cristo, « non è espressione di dominio, ma di servizio » (n. 7). E compito urgente della Chiesa, nel suo quotidiano rinnovarsi alla luce della Parola di Dio, metterlo sempre più in evidenza, sia nello sviluppo dello spirito di comunione e nella attenta promozione di tutti gli strumenti tipicamente ecclesiali della partecipazione, sia attraverso il rispetto e la valorizzazione degli innumerevoli carismi personali e comunitari che lo Spirito di Dio suscita ad edificazione della comunità cristiana e a servizio degli uomini.

In tale ampio spazio di servizio, la storia della Chiesa in questi due millenni, nonostante tanti condizionamenti, ha conosciuto veramente il « genio della donna », avendo visto emergere nel suo seno donne di prima grandezza che hanno lasciato larga e benefica impronta di sé nel tempo. Penso alla lunga schiera di martiri, di sante, di mistiche insigni. Penso, in special modo, a santa Caterina da Siena e a santa Teresa d'Avila, a cui il Papa Paolo VI di v.m. attribuì il titolo di Dottore della Chiesa. E come non ri-

cordare poi le tante donne che, spinte dalla fede, hanno dato vita ad iniziative di straordinaria rilevanza sociale a servizio specialmente dei più poveri? Il futuro della Chiesa nel terzo millennio non mancherà certo di registrare nuove e mirabili manifestazioni del « genio femminile ».

12. Voi vedete, dunque, carissime sorelle, quanti motivi ha la Chiesa per desiderare che, nella prossima Conferenza, promossa a Pechino dalle Nazioni Unite, si metta in luce la piena verità sulla donna. Si ponga davvero nel dovuto rilievo il « genio della donna », non tenendo conto soltanto delle donne grandi e famose vissute nel passato o nostre contemporanee, ma anche di quelle semplici, che esprimono il loro talento femminile a servizio degli altri nella normalità del quotidiano. E infatti specialmente nel suo donarsi agli altri nella vita di ogni giorno che la donna coglie la vocazione profonda della propria vita, lei che forse ancor più dell'uomo vede l'uomo, perché lo vede con il cuore. Lo vede indipendentemente dai vari sistemi ideologici o politici. Lo vede nella sua grandezza e nei suoi limiti, e cerca di venirgli incontro e di essergli di aiuto. In questo modo, si realizza nella storia dell'umanità il fondamentale disegno del Creatore e viene alla luce incessantemente, nella varietà delle vocazioni, la bellezza — non soltanto fisica, ma soprattutto spirituale — che Dio ha elargito sin dall'inizio alla creatura umana e specialmente alla donna.

Mentre affido al Signore nella preghiera il buon esito dell'importante appuntamento di Pechino, invito le comunità ecclesiali a fare dell'anno corrente l'occasione per un sentito rendimento di grazie al Creatore e al Redentore del mondo proprio per il dono di un così grande bene qual è la femminilità: essa, nelle sue molteplici espressioni, appartiene al patrimonio costitutivo dell'umanità e della stessa Chiesa.

Vegli Maria, Regina dell'amore, sulle donne e sulla loro missione al servizio dell'umanità, della pace, della diffusione del Regno di Dio!

Con la mia Benedizione.

Dal Vaticano, 29 giugno 1995, solennità dei santi Pietro e Paolo.

IOANNES PAULUS PP. II

SECRETARIA STATUS

DECRETUM

quo laicis Officii moderatoribus et iisdem aequiparatis officialibus praemium quoddam omnibus mensibus persolvitur.

INDENNITÀ FISSA DI FUNZIONE PER I CAPI-UFFICIO / CAPO-SERVIZIO LAICI

Art. 1

Per i dipendenti laici di X livello, nominati Capo-Ufficio o Capo-Servizio, alle dipendenze della Curia Romana, dello Stato della Città del Vaticano, della Radio Vaticana e degli Organismi o Enti esistenti e futuri anche non aventi sede nello Stato della Città del Vaticano, gestiti amministrativamente in modo diretto dalla Sede Apostolica, è istituita una indennità fissa di funzione, nei periodi di effettivo espletamento delle loro specifiche funzioni, in relazione alla loro particolare responsabilità e disponibilità anche temporale.

Detta indennità di funzione non compete ad altri dipendenti ancorché equiparati a Capo-Ufficio o Capo-Servizio dai rispettivi Regolamenti per il Personale.

Art. 2

La predetta indennità è stabilita nella misura di L. 600.000 (seicentomila).

L'erogazione della indennità di funzione avverrà in uno con la retribuzione mensile per tredici mensilità.

Art. 3

Detta indennità cessa con il cessare della funzione e non spetta in caso di sospensione e/o interruzione dell'espletamento delle funzioni di Capo-Ufficio o Capo-Servizio per periodi superiori ad un mese.

Art. 4

L'indennità di funzione di cui all'Art. 2 è incrementata ogni anno di un importo pari al prodotto del valore iniziale dell'indennità per la variazione percentuale dell'indice generale della Città di Roma dei prezzi al consumo

per le famiglie di operai ed impiegati, accertato dallTSTAT, del mese di dicembre dell'anno appena trascorso rispetto al mese di dicembre dell'anno che lo precede; tale meccanismo è pienamente operativo fino ad un tetto massimo di variazione annuale del 7% del predetto indice ISTAT; al di sopra di tale tetto il meccanismo continuerà ad operare nel limite prestabilito del 7% annuo per il tempo necessario alla sua ristrutturazione.

Art. 5

L'indennità di funzione, per i periodi in cui è stata effettivamente corrisposta in relazione al precedente Art. 3 (cf. Artt. 8 e 11 del Regolamento Pensioni), è utile ai fini dei trattamenti previdenziali ed assistenziali vigenti in conformità alle rispettive normative per le quali è equiparata a tutti gli effetti alla indennità fissa per responsabilità dirigenziale.

Art. 6

Nel caso in cui la suddetta indennità fissa non sia stata corrisposta nell'ultimo quinquennio precedente il collocamento in quiescenza, la medesima indennità non entra nel computo del trattamento pensionistico né in quello della liquidazione.

Qualora nell'ultimo quinquennio si sia verificata la attribuzione dell'indennità, la stessa entra nel calcolo della pensione e della liquidazione, in conformità all'Art. 11, lett. a) del Regolamento Pensioni.

Art. 7

In relazione alla sua natura, l'indennità fissa di funzione è sostitutiva di qualumque compenso per prestazioni al di fuori del normale orario di lavoro e sostituisce ed assorbe ogni altro compenso eventualmente percepito, al di fuori di retribuzione di base, ASI e bienni, dai Capo-Ufficio o Capo-Servizio alla data di entrata in vigore della presente normativa.

Qualora la differenza tra la misura della indennità di cui all'Art. 2 e la somma di ogni altro compenso percepito dai Capi-Ufficio o Capo-Servizio nel periodo antecedente alla data di entrata in vigore della presente normativa, risulti negativa, viene conservata agli interessati tale differenza da riassorbirsi progressivamente mediante compensazione degli incrementi derivanti

da futuri miglioramenti retributivi, indicizzazioni incluse, in misura pari a due terzi degli incrementi stessi.

La differenza di cui al capoverso precedente non ha effetto ai fini dei trattamenti previdenziali e assistenziali.

Art. 8

Le presenti norme entreranno in vigore dal I° Ottobre 1995.

© ANGELO card. SODANO

In Secretariae Status tab., n. 368.932/GN

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

TAURINEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Iosephinae Gabrielae Bonino, fundatricis congregationis sororum sacrae familiae a « Savigliano » (1843-1906)

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Iosephina Gabriela Bonino in vico Savigliano orta est, in Italia, intra fines archidioecesis Taurinensis, nonis Septembribus, anno 1843. A iuventute in Dei viis ambulavit magnaque cum caritate et alacritate assiduitati praebendae pauperibus, aegrotis et puellis parentibus orbatis se dedidit. Pro his Congregationem instituit Sororum Sacrae Familiae a Savigliano, cuius diligens fuit antistita generalis usque ad mortem. Per divinae Providentiae fiduciam et humilitatem non pauca impedimenta atque difficultates superavit et pro operis sui bono multum laboravit. Savone mortem obiit die 8 mensis Februarii anno 1906 et Savigliano sepulta est.

Fama sanctitatis, qua viva enituit, confirmata est et aucta post mortem, quam ob rem Archiepiscopus Taurinensis anno 1964 Causam iniit beatificationis et canonizationis. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 26 mensis Martii anno 1994 edixit Servam Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Nuper Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem iudicandam permisit, ad Gemmam Alloa Casale, Congregationis Sororum Sacrae Familiae a Savigliano sodalem, pertinentem. Haec, autumno anni 1956 perturbationibus tubi concoquentis laborare coepit, quae secutis mensibus sunt in deterius versae. A mense Februario ad mensem Augustum anni 1957 pluries est in Cuneense valetudinarium deducta. Radiologicae et laboratorii inspectiones ostenderunt coli ulcerosam inflammationem itemque vesicae bilis inflammationem chronicam et stomachi ptosim. Omnis cura inefficax fuit; quocirca Sororis condiciones gradatim peiores factae sunt

et mense Augusto sunt gravissimae declaratae. Quamvis medici aliter sentirent, mense Septembri voluit Lapurdum sacram facere peregrinationem, quo est ab antistita generali comitata. Pessime se habuit ac Tolosae de eius vita metutum est. Cum rediit, prognosis clare suspensa manebat quoad vitam, immo res est ultra aggravata.

Inde ab exoriente morbo tum Soror Gemma tum eius Congregatio continuo et cum fiducia divinum petierunt auxilium per intercessionem Matris Iosephinae Gabrielae Bonino, sanationem postulantes. Invocatio nec inter peregrinationem quidem Lapurdum factam nec post reditum Savigliano est intermissa. Ibi reliquiae et imago Servae Dei sunt apud aegrotae lectum collocatae, quae per noctem diei 20 mensis Septembris arte dormivit, sicut aliquot iam menses non eveniebat; venarum pulsus naturalis factus est atque spiritus usitatus. Experrecta, hora quinta post mediam noctem die 21 mensis Septembris anno 1957, statim affirmavit bene se habere et cibum appetere. Abdominis tumor esse desierat pariterque febris. Paulo post curans repentinam salubrem mutationem cognovit sivitque Sororem Gemmam e lectulo surgere. Postea investigationes clinicae sanationem fuisse perfectam et mansuram demonstraverunt.

De hoc casu, confestim miro habito, apud curiam Taurinensem est canonicus processus instructus, cuius auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 26 mensis Martii anno 1993 promulgato. Medicorum Consilium in sessione diei 26 mensis Maii anno 1994 affirmavit sanationem celerrimam fuisse (paucis enim horis facta est), perfectam, stabilem et pro scientia inexplicabilem. Die 21 mensis Octobris eodem anno Congressus Peculiaris actus est Consultorum Theologorum et insequentibus idibus Decembribus Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Excellentissimo Domino Angelo Palmas, Archiepiscopo titulari Vibianensi. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio an de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater decla-

ravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Iosephini Gabriela Bonino, Fundatrice Congregationis Sororum Sacrae Familiae a Savigliano, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Sororis Gemmae Alloa Casale a « colite ulcerosa, colecistite cronica e ptosi gastrica, con condizioni generali gravemente scadute ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 15 mensis Decembris A. D. 1994.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. « S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 25 Iulii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Ibarrensi Exc.mum P. D. Antonium Arregui Yarza, hactenus Episcopum titulo Auzegerensem et Auxiliarem archidioecesis Quitensis.

die 2 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Casamedianensi R. D. Xaverium Aegidium de Maupeu d'Ableiges, e clero Cenomanensi, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Sancti Ludovici in Maragnano.

— Metropolitanae Ecclesiae Adamantinae, veluti Archiepiscopum Coadiutorem, Exc.mum P. D. Paulum Lopes de Faria, hactenus Episcopum Itabunensem.

die 4 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Clavarensi R. D. Albertum Mariam Careggio, hactenus episcopalem Cancellarium dioecesis Augustanae.

die 5 Augusti 1995. — Titulari pro hac vice archiepiscopali Ecclesiae Concordiensi in America R. D. Antonium Sozzo, quem deputavit Nuntium Apostolicum in Republica Algeriensi et in Republica Tunesiensi.

die 14 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Sancti Christophori de las Casas, veluti Episcopum Coadiutorem, Exc.mum P. D. Radulphum Vera López, hactenus Episcopum Civitatis Altamirensis.

die 17 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Chachapoyasensi R. P. Iosephum Ignatium Alemany Grau, Congregationis Sanctissimi Redemptoris sodalem, hactenus in urbe Piura eiusdem Congregationis communitatis moderatorem.

die 19 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Caliensi Exc.mum P. D. Isaiam Duarte Canoino, hactenus Episcopum Apartadoënsem.

die 23 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Leonensi Exc.mum P. D. Iosephum Guadalupe Martín Rábago, hactenus Episcopum titularem Tuscamiensem et Auxiliarem Guadalaiarensem.

die 8 Septembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Auzegerensi R. D. Carmelum Echenagusia Uribe, in dioecesi Flaviobrigensi curionem, quem constituit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Victoriensi Exc.mum P. D. Michaelem Iosephum Asurmendi Aramendia, S.D.B., hactenus Episcopum Turiasonensem.

— Cathedrali Ecclesiae Flaviobrigensi Exc.mum P. D. Richardum Blázquez Pérez, hactenus Episcopum Palentinum.

— Archiepiscopali Ecclesiae Ferrariensi-Comaclensi R. D. Carolum Caffarra, e clero Fidentinae dioecesis, hactenus Pontificii Instituti studiorum Matrimonii ac Familiae Praesidem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Drusilianensi R. D. Iosephum Merisi, e clero archidioecesis Mediolanensis, hactenus Vicarium episcopalem in territorio Leucii, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Caroli Mariae S.R.E. Cardinalis Martini, Archiepiscopi eiusdem archidioecesis.

NOMINATIO

Lato decreto a Congregatione pro Episcopis Ioannes Paulus Pp. II nominavit:

die 17 Augusti 1995. — Coadiutorem Exc.mi P. D. Ioannis Raphaelis Quinn, Archiepiscopi Sancti Francisci in California, Exc.mum P. D. Villelmum Iosephum Levada, hactenus Archiepiscopum Portlandensem in Oregon.

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

PROVISIO ECCLESIARUM

Ioannes Paulus divina Providentia Pp. II, latis decretis a Congregatione pro Gentium Evangelizatione, singulis quae sequuntur Ecclesiis sacros Pastores dignatus est assignare. Nimirum per Apostolicas sub plumbo Litteras praefecit:

die 1 Iunii 1995. — Ordinariatui Militari in Nova Zelandia Em.mum P. D. Thomam Stafford S.R.E. Cardinalem Williams, Archiepiscopum Vellingtonensem.

— Cathedrali Ecclesiae Hamiltonensi in Bermuda R. P. Robertum Kurtz, Congregationis della « Risurrezione di N.S.G.C. » sodalem et hactenus missionarium in oppido vulgo Oaxaca in Mexico.

— Cathedrali Ecclesiae Kupelaënsi R. D. Seraphinum Roamba, hactenus paroeciae cathedralis Uagaduguensis curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Gallensi, Exc.mum P. D. Erasmum N.J. Perera, hactenus Episcopum titularem Gadiaufalensem et Administratorem « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem dioecesis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cellensi in Proconsulari R. P. Eugenium Arellano Fernández, M.C.C.I., quem constituit Vicarium Apostolicum Esmeraldensem.

die 10 Iunii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Dassanae-Zumensi, noviter erectae in Benino, R. D. Antonium Ganye, paroeciae Cotonuensis Sanctae Ritae curionem.

— Cathedrali Ecclesiae Diuguensi, noviter erectae in Benino, R. D. Paulum Vieira, e clero dioecesis Lokossaënsis, hactenus Seminarii maioris Ouidahensis rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae Mbaikiensi, noviter erectae in Republica Centroafricana, R. P. Varinum Perin, M.C.C.L, superiorem et parochum in oppido vulgo Boda.

— Cathedrali Ecclesiae Bossangoënsi R. D. Paulinum Pomodino, e clero dioecesis Berberatensis, Episcoporum Centroafricanae Conferentiae Secretarium generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Barbaritanae, veluti Episcopum Coadiutorem, R. D. Ioannem Claudium Rembanga, e clero eiusdem dioecesis, nationalem et dioecesanum Institutionis catecheticae directorem.

die 10 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Guvahatinae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Thomam Menamparampil, S.D.B., hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Cathedrali Ecclesiae Solveziensi R. P. Natalem Carolum 0'Regan, S.M.A., hactenus eiusdem sedis Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis ».

— Metropolitanae Ecclesiae Imphalensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iosephum Mittathany, hactenus Episcopum eiusdem sedis episcopalis.

— Metropolitanae Ecclesiae Shillongensi Exc.mum P. D. Tharsicium Resto Phanrang, S.D.B., hactenus Episcopum titularem Corniculanensem et Auxiliarem eiusdem archidioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Otukpoënae, noviter erectae in Nigeria, R. D. Fidelem Oga Orgah, hactenus paroeciae Otukpoënae « St. Mary's Parish » parochum.

— Cathedrali Ecclesiae Kafankanae, noviter erectae in Nigeria, R. D. Iosephum Bagobiri, hactenus Missionis « sui iuris » Kenensis Vicarium delegatum.

die 10 Iulii 1995. — Cathedrali Ecclesiae Nuakchottensi R. P. Martinum Albertum Happe, Missionariorum Africae sodalem.

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 17 Maii 1995. — R. P. Dominicum Bonnet, Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae sodalem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Muilaënsis.

die 10 Iunii. — Exc.mum P. D. Nestorem Assogba, Episcopum Parakuensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Natitinguensis.

die 16 Iunii. — Exc.mum P. D. Carolum Hesse, M.S.C., Archiepiscopum Rabaulensem, Administratorem Apostolicum « sede plena et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Buganvillensis.

die 13 Iulii. — Exc.mum P. D. Paulum Mambe Mukanga, Episcopum Kinduensem, Administratorem Apostolicum « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioecesis Tshumbeensis.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, 7 **Settembre** 1995, **il Signor** VILÉM HOLÁK, **Ministro della Difesa della Repubblica Ceca.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

26 Luglio 1995. S. E. mons. Edmond Farhat, Arcivescovo tit. di Biblo, *Nunzio Apostolico in Slovenia e nella ex-Repubblica Jugoslava di Macedonia.*

31 » » S. E. mons. Thomas A. White, Arcivescovo tit. di Sabiona, *Nunzio Apostolico nella Repubblica di Kiribati.*

5 Agosto » Mons. Antonio Sozzo, Arcivescovo tit. eletto di Concordia, *Nunzio Apostolico in Algeria e Tunisia.*

8 Settembre » Mons. Antonio Lucibello, Arcivescovo tit. eletto di Thurio, *Nunzio Apostolico in Gambia, Guinea e Liberia e Delegato Apostolico in Sierra Leone.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

11 Luglio 1995. L'Em.mo Signor Cardinale Giovanni Canestri, *Membro della Congregazione delle Cause dei Santi.*

12 » » Mons. Giorgio Mifsud, *Capo Ufficio nella Congregazione per le Chiese Orientali.*

22 » » Don Carlo Chenis, S.D.B., *Segretario della Pontificia Commissione per i Beni Culturali della Chiesa « ad quinquennium »*

» » » Mons. Crispino Valenziano ed il dott. Giuseppe Basile, *Membri della Pontificia Commissione di Archeologia Sacra « ad quinquennium ».*

24 » » S. E. mons. Angelo Scola, Vescovo em. di Grosseto, *Rettore della Pontificia Università Lateranense « ad quadriennium ».*

24	Luglio	1995.	Mons. Lluis Clavell Ortiz-Repiso, *Consultore dei Pontificio Consiglio della Cultura « ad quinquennium ».*
25	»	»	Mons. Joseph Punderson, *Difensore del Vincolo presso il Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

NECROLOGIO

15	luglio	1995.	Mons. Marius Ouedraogo, Vescovo di Ouahigouya *(Burkina Faso).*
23	»	»	Mons. Matthias Defregger, Vescovo tit. di Vico di Aterio.
1	agosto	»	Mons. Paternus Nicholas Geise, Vescovo em. di Bogor *(Indonesia).*
4	»	»	Mons. Victor Dovi Hounnaké, Vescovo di Anécho *(Togo).*
9	»	»	Mons. Candido Rada Senosiain, Vescovo em. di Guaranda *(Ecuador).*
10	»	»	Mons. Godefroy-Emile Mpwati, Vescovo tit. di Muzuca di Proconsolare.
13	»	»	Mons. Benedict Jacob Acharuparambil, Vescovo em. di Trivandrum dei Latini *(India).*
»	»	»	Mons. Youhanna Nueir, Vescovo em. di Assiut *(Egitto).*
16	»	»	Mons. Manuel Salazar Espinosa, Vescovo tit. di Torri di Bizacena.
27	»	»	Mons. Glennow P. Flavin, Vescovo em. di Lincoln *(Stati Uniti d'America).*
28			Mons. Owen F. Swindlehurst, Vescovo tit. di Cuncacestre.

An. et vol. LXXXVTÍ 9 Octobris 1995 N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico — Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editriç

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

CALABOCENSIS

In Venetiola constituitur nova Provincia ecclesiastica Calabocensis, cuius metropolitana Ecclesia erit sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum territoria dioecesium Calabocensis, Vallispaschalensis et Sancti Ferdinandi Apurensis in Venetiola geographicae^ historicam et culturalem unitatem efficiant cumque pariter ob socialium rerum et locorum adiuncta ea in regione necessitates apostolatus similes inveniantur, Conferentia Episcoporum memoratae Nationis unanimo consensu ab hac Apostolica Sede postulavit ut nova Provincia ecclesiastica ex iisdem territoriis constituatur simulque Calabocensis dioecesis ad gradum archidioecesis evehatur, ceteris, quas diximus, dioecesibus suffraganeis exstantibus. Nos vero pro gravissimo, quo fungimur, munere solliciti de omnibus particularibus Ecclesiis, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Oriano Quilici, Archiepiscopo titulo Tablensi atque in Venetiola Apostolico Nuntio, audito consilio Congre-

gationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putamus. Summa igitur Apostolica potestate quae sequuntur decernimus. Sedem episcopalem Calabocensem a metropolitico iure Ecclesiae Caracensis seiungimus et ad gradum archiepiscopalis metropolitanae Sedis attollimus, cui proinde iura et privilegia conferimus, quibus ceterae metropolitanae Sedes ad normam iuris fruuntur. Nova condita Provincia ecclesiastica Calabocensis constabit ex metropolitana Ecclesia eiusdem nominis, ex dioecesi Vallispaschalensi, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Civitatis Bolivarensis spectanti, atque ex dioecesi Sancti Ferdinandi Apurensis, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Caracensem pertinenti. Insuper sacrorum Antistitem Calabocensem archiepiscopali dignitate augemus et gradu Metropolitae insignimus'omnibus tributis iuribus ac privilegiis simulque impositis obligationibus propriis Metropolitarum. Praeterea Calabocensem nunc ipsum Episcopum, Venerabilem Fratrem Helimenam a Iesu Rojo Paredes, ad archiepiscopalem dignitatem ac gradum Metropolitae promovemus, quem iuribus quoque exornamus et privilegiis, quibus potiuntur alii Metropolitae, at oneribus similiter nectimus et officiis, quibus illi itidem subiacent. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Oriano Quilici, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates quemlibet alium delegandi virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad Congregationem pro Episcopis. Iubemus denique omnia et singula hisce Apostolicis Litteris decreta vim sortiri suam tam nunc quam in posterum usque tempus, quibusvis rebus haud quaquam obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

83 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ® Plumbi
In Secret. Status tab., n. 372.932

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Claudio Granzotto Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentiam scientiae Christi Iesu Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam » *(Philp* 3, 8).

Christus Dominus quoque iuvenem Richardum Granzotto sua suavitate ad se traxit, qui, nomen sumens Claudium, Frater Ordinis Minorum factus est, quique humili laetaque sua vita eximium divitiarum vitae consecratae reddidit testimonium.

Postremus ex novem liberis, in oppido Sanctae Luciae Plavis ortus est die xxm mensis Augusti anno MCM, ex paupere sane familia multum diuque vexata difficultatibus, at fidei di vite. Ex piis parentibus Dei timorem didicit, sinceram vitae christianae actionem, iuvandi promptam voluntatem, studium exercendorum agrorum, xxix annos natus, parocho iuvante Victorio Mondello, compluribus devictis difficultatibus, titulum sculpturae professoris apud Pulchrarum Artium Academiam Venetiis est consecutus.

Tertium et tricesimum annum agens, a « Domino victus », Dei Servus statuit ut Franciscalis fieret, Christum eligens eiusque disciplinam, ut, sicut Franciscus Assisiensis, viveret « secundum formam sancti Evangelii ».

Frater Claudius suum studium suamque artem non respuit, in qua ipse optimum obtinuit locum, at eandem veluti instrumentum adhibuit apostolatus et evangelizationis: eius enim innumera signa veluti eius Franciscalis spiritus speculum sunt existimanda, infinitae Pulchritudinis studiosi.

Eius tamen summum opus celsa sanctitas fuit, cui se penitus dicavit tradiditque Christo ut ab ipso veluti a figulo quodam fungeretur (cf. *Ier* 18, 6).

Precatio, silentium, cotidiana Eucharistiae sumptio, eius vitae fuerunt alimonia. Pauperes, aegroti, derelicti, principem in Franciscalis artificis corde obtinuerunt locum, qui consolationis speique lucem illis, quos conveniebat, impertiebat.

Ad Nazareth.an.ae Virginis exemplum, quam ipse singulari amore diligebat et sua arte colebat, Frater Claudius, ut vita sua in abdito maneret atque tamquam « arenae granulum » esset in mari deperditum, optavit.

Cerebri cancro correptus, Assumptionis B.M.V, sollemnitate occurrente, anno MCMXLVII, in Patavino valetudinario, Sanctorum agmini sociatus, in caelum demigravit.

Sua quidem clara vita, Claudius mundo usque dictitare pergit se Veritatis partes agere ipsique Veritati forti lucentique fide se reddere testimonium.

Ecclesia exemplar vitae eundem Religiosis exhibet in Domini penitus eligendo amore, artificibus in ipsa Pulchritudine conquirenda, aegrotis in Crucifixo omnino complectendo, iuvenibus in evangelica veritate vestiganda eaque studiose tenenda.

Crebrescente sanctitatis opinione, duodecim post annis quam Servus Dei mortus est, scilicet anno MCMLIX, Albinus Luciani, Episcopus quondam Victoriensis Venetorum, inquisitionem de vitae sanctitate et virtutibus fratris Claudii incohavit. Summus Pontifex factus, Ioannes Paulus I apud congruam Romanam Congregationem Causam introduxit. Die VII mensis Septembris anno MCMLXXXIX, Nobis coram Decretum super heroicis virtutibus Servi Dei prodiit. Vestigata deinde felici cum exitu mira sanatione cuiusdam pueri, Venerabilis Dei Servi intercessioni adscripta, die VI mensis Iulii anno MCMXCIII, eiusdem authenticitatem declaravimus atque statuimus, ut beatificationis ritus Romae, subsequenti anno, D.N.I.C. Universorum Regis eveniente sollemnitate, celebraretur.

Hodie igitur in Petriana Basilica inter sacra hanc ediximus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, Ioannis Honoré, Archiepiscopi Turonensis, Henrici Bricard, Episcopi Anicensis, Alberti Houssiau, Episcopi Leodiensis et Eugenii Ravignani, Episcopi Victoriensis Venetorum, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Hyacinthus Maria Cormier, Maria Poussepin, Agnes a Iesu Galand de Langeac, Eugenia Joubert et Claudius Granzotto, Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Hyacinthi Mariae Cormier die vicesima prima Maii; Mariae Poussepin die decima quarta Octobris; Agnetis a Iesu Galand de Langeac die decima nona Octobris, Eugeniae Joubert die secunda Iulii; et Claudii Granzotto die secunda Septembris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

His prolatis verbis huiusque Beati significatis virtutibus et honoribus quae hisce Litteris decrevimus volumus in posterum tempus ea ut vim habeant firmaque teneantur, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xx mensis Novembris anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ffi ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 352.833

II

Venerabili Servo Dei Petro To Rot Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Venerabilis Dei Servus Petrus To Rot recentis localis Ecclesiae Novae Britanniae concivibus duplicem miramque testificationem reliquit: primum enim studiose opus catechistae ut laicus nullo non tempore obiit; deinde brevem suam vitam summa martyrii virtute consummavit. Sic ipse ante tempus id quod Concilium Vaticanum II edicturum erat fidelibus laicis plene adimplevit, omnibus scilicet viribus et gratiae donis contendit ad ubique terrarum Christi Ecclesiam efficiendam, in illis potissimum locis illisque adiunctis quorum virtute Ecclesia, operam agentibus et testificantibus dumtaxat laicis, instrumentum salutis evadat (cf Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 33).

Petrus To Rot anno MCMXII natus est in pago quodam insulae Melanesianae Novae Britanniae (Papuae Novae Guineae), quem populari sermone Rakunai vocant, ubi fidei christianae nuntius solummodo tribus ante annis a primis missionariis ductus erat. Eius parentes, Angelus To Puia et Maria la Tumul, ad primam christianam stirpem pertinebant huius insulae.

Religioso familiae et scholae missionis fervore institutus, xviu annos natus Petrus To Rot in collegium est receptus « Sancti Pauli » loci Taliligap, quod eo proposito conditum erat, ut laici catechistae excolerentur. Anno MCMXXXIII suum pagum rursus petiit ut munus catechistae ageret. Anno MCMXXXVI Paulam la Varpit sibi matrimonio iunxit, ex qua tres liberos habuit. Familiae officia eum minime a pastorali opere avocaverunt.

Anno MCMXLii, cum impetum in Novam Britanniam facerent Iaponienses, Petrus intra missionis, quae est Rakunai, fines ob suam vitae christianae praestantiam suumque catechistae studium probe notus erat. Inde a mense Octobri anni MCMXLII, cum missionarii in campo captivis custodiendis detinebantur, ipse unus spiritaliter fideles est moderatus. Studiose sane et animose pastoralis operis suscepit officium: precationis conventus in tuto collocavit, catecheticam doctrinam, baptismum conferendum, sacram Eucharistiam custodiendam eandemque aegrotis et morientibus praebendam, curam et pauperum subsidium.

Etiam tum cum Iaponiense imperium quavis religiosa opera eum vetuit, Petrus To Rot a suo officio catechistae non destitit; immo suum esse existimavit publice polygamiae restituendae officere, quam Iaponienses revocare conabantur. Hanc propter firmam voluntatem in se inimicitiam convertit illorum qui alteram uxorem ducere cupiebant, potissimum cuiusdam illius loci publici custodis, qui Iaponiensibus assentiebatur, quique methodista uxoratus catholicam puellam matrimonio devincere volebat. Ex tunc opus catechistae Petri To Rot persequebantur et perspiciebant Iaponienses publici custodes.

Primum in vincula coniectus est et aliquot post dies liberatus; iterum deprehensus, damnatus est et duobus mensibus in vinculis detentus est. In castris, quae Vunaiara vocant, captivus custodiebatur, cum die Veneris mensis Iulii anno MCMXLV, a tribunis duobus Iaponiensibus interemptus est, militari adstante medico, qui etiam iniectione mortifera usus est.

Ad hunc vitae suae exitum sibi omnino conscius pervenit Petrus To Rot, prorsus non modo ad carcerem verum et mortem subeundam paratus, potius quam suam conscientiam pernegaret. Quotquot eum novissimis captivitatis diebus, immo etiam mane die ipso necis inviserunt, eum tranquillum securumque reppererunt, ad vitam pro fide tradendam promptum.

Pagi, qui est Rakunai, incolae, continuo post eius mortis nuntium prolatum, eius occisionem martyrium duxerunt atque talem mentem patefecerunt, super crucem in eiusdem sepulcro positam hanc scribentes sententiam: Petrus To Rot, fidei martyr.

Martyrii Petri To Rot fama ultro diffusa est toto in agro Papuae Novae Guineae subsequentibus eius mortis annis. Itaque compluribus fidelium postulatis obsecundans, Archiepiscopus Rabaulensis, Albertus Bundervoet, die XIII mensis Ianuarii anno MCMLXXXV beatificationis processum canonicum incohavit, qui celebratus est anno MCMLXXXVII. Die n mensis Aprilis anno MCMXCin, Nobis coram decretum de martyrio Petri To Rot prodiit.

Statuimus igitur ut beatificationis ritus die xvn mensis Ianuarii anno MCMXCV Portu Moresbiensi in urbe celebraretur, Nostra pastorali contingente visitatione in Papua Nova Guinea.

Hodie igitur inter sacra hanc protulimus formulam:

« Acceding to the request of our brother, Karl Hesse, Archbishop of Rabaul, and of many other Brothers in the episcopate, and of many of the faithful, and after consultation with the Congrégation for the Causes of Saints, by our Apostolic Authority we grant that the Venerable Servant of God, Peter To Rot, shall hereafter be invoked as Blessed, and that his feast shall be celebrated every year on the seventh day of July, in the places and according to the norms established by Church Law. In the Name of the Father and of the Son and of the Holy Spirit ».

Quae autem his Litteris decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime obsistentibus.

Datum Portu Moresbiensi in urbe, sub anulo Piscatoris, die xvn mensis Ianuarii anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ÜB Sigilli
In Secret. Status tab., n. 369.664

III

Sanctuarium Margaritensis dioecesis, quod est dicatum beatae Mariae Virgini titulo « Nuestra Señora del Valle » invocatae, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter sacras aedes Margaritensis dioecesis merito celebratur sanctuarium beatae Mariae Virginis titulo « Nuestra Señora del Valle » invocatae, cuius imago ibidem servata impensa pietate colitur a fidelibus loci finitimarumque regionum et a militibus quoque classis Venetiolanae, quae eandem suam Patronam habet. Constat insuper hoc templum notum esse centrum spiritualis vitae operumque pastoralium et caritatis. Qua re, cum Venerabilis Frater Caesar Raimundus Ortega Herrera, Episcopus memoratae Sedis, litteris die xxn Mensis Martii superiore anno datis, etiam cleri populique sui nomine postulaverit ut templum idem

titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, paternae benevolentiae documentum dilectis filiis Venetiolanis cupientes praebere, tam sollertis Pastoris precibus perquam libenter obsecundandum esse putamus. Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa Apostolica potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum sanctuarium, quod diximus, ad Basilicae Minoris gradum dignitatemque evehimus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite competunt, iis tamen servatis, quae secundum Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die ix mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Iunii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 372.081

IV

Imago Beatae Virginis servata in ecclesia Exaltationi Sanctae Crucis dicata loco vulgo dicto Brzesc in dioecesi Pinskensi Latinorum, pretioso diademate redimiri sinitur nomine et auctoritate Summi Pontificis.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Beata Virgo Maria divinae maternitatis dono et munere, quo cum Filio Redemptore unitur, suisque singularibus gratiis et muneribus, etiam cum Ecclesia intime coniungitur (cf *Lumen gentium,* 63). Quia ergo Venerabilis Frater Noster Casimirus S.R.E Cardinalis áwiatek, Administrator Apostolicus dioecesis Pinskensis Latinorum, Marialem cultum alere ac fovere cupiens, cleri populique sibi concrediti vota interpretatus rogavit, ut imago Beatae Mariae Virginis servata in ecclesia Exaltationi Sanctae Crucis dicata loco vulgo dicto Brzesc in dioecesi memorata pretioso diademate posset redimiri, Nos eiusmodi petitioni libenti animo obsecundare volumus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra

potestate petenti Praesuli partes committimus ut imagini illi Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum.

Vehementer quidem confidimus ut ii omnes, qui eandem venerantur imaginem, ad colendam Matrem Dei magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die septimo mensis Iunii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 372.082

V

Imago Mariae Sanctissimae quae in ecclesia oppidi v.d. Budslaw colitur, pretioso diademate redimitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Purissima Virgo Maria «imago Ecclesiae est, forma et anticipatio humani generis gratia renovati, exemplar spesque certa iis omnibus qui caelestem ad Hierosolymitanam civitatem procedunt» *(Orientale lumen,* 6). Quapropter per saeculorum decursum Ecclesia Dei Genetricis auxilium iugiter imploravit eiusque virtutes apertis vocibus extulit.

Cum igitur Venerabilis Frater Noster Casimirus S.R.E. Cardinalis &wiatek, Archiepiscopus Minscensis Latinorum - Mohiloviensis Latinorum, Litteris die xxix mensis Martii datis, communia vota cleri et Christifidelium excipiens, poposcerit ut Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate redimiri posset gratiosa imago Deiparae quae in ecclesia Beatae Mariae Virgini in caelum assumptae oppidi v.d. Budslaw religiose colitur, Nos huiusmodi piae petitioni libenti animo obsecundare volumus.

Ratis igitur plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate petenti Praesuli concedimus ut supra dictae imagini Nostro nomine et auctoritate sollemni modo pretiosam imponat coronam,

firma spe ducti fore ut apud populum Marialis cultus fides vitaque christiana maiorem incrementum deducant. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Iunii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

SB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco ffi Sigilli
In Secret. Status tab., n. 372,083

HOMILIA

Occasione oblata beatificationis quattuor Servorum Dei habita.*

1. «Prima di formarti nel grembo materno, ti conoscevo...».[1] Così parla il Signore a Geremia, chiamandolo a diventare « profeta delle nazioni ».[2] Così Iddio dice, in senso più generale, a ciascun uomo che viene al mondo. Ogni persona è pensata e voluta da Lui con un atto eterno di amore, amore che « non avrà mai fine ».[3] L'uomo, ricorda il Concilio, « in terra è la sola creatura che Iddio abbia voluto per se stessa ».[4]

« Prima di formarti nel grembo materno, ti conoscevo... ». La conoscenza che Dio ha di ogni essere umano è una chiamata nei suoi confronti. Egli chiama l'uomo a conoscerlo ed amarlo, a diventare santo e immacolato nell'amore,[5] come Egli stesso è. In questo senso universale e insieme personalissimo il Signore ha conosciuto fin dal grembo materno Rafael Guizar Valencia, Modestino di Gesù e Maria, Genoveva Torres Morales, Grimoaldo della Purificazione, i quattro nuovi Beati che oggi ho la gioia di elevare agli onori degli altari. Ciascuno di essi ha corrisposto con la propria esistenza all'amore di Dio. Ciascuno di essi ha vissuto aspirando al carisma più grande, seguendo la via migliore di tutte:[6] la via della carità.

*** Die 29 Ianuarii 1995.**
[1] ***Ger 1,* 5.**
[2] ***Ibid.***
[3] ***1 Cor* 13, 8.**
[4] ***Gaudium et spes,* 24.**
[5] **Cf *Ef* 1, 4.**
[6] **Cf *1 Cor* 12, 31.**

2. En este camino de la caridad entró con paso firme el obispo Rafael Guízar Valencia.

Ejerció su apostolado como sacerdote y como obispo casi siempre perseguido o en situaciones peligrosas. Por muchos años no tuvo domicilio fijo, sin que las dificultades le impidieran desempeñar su acción misionera, repitiendo « Yo daría mi vida por la salvación de las almas », al estilo del Buen Pastor. Quienes le conocieron pudieron afirmar que no había fuerza o contrariedad que debilitase su afán evangelizador. La enseñanza del catecismo y las misiones populares fueron los polos sobre los que centró su actividad. Así, su México natal, los Estados Unidos, Guatemala y Cuba se beneficiaron de su celo pastoral.

Su espiritualidad estaba basada en la devoción eucaristica y en el amor a la Virgen María. El fomento de las vocaciones sacerdotales, la administración de los sacramentos, particularmente la penitencia y el matrimonio, regularizando así muchas uniones de hecho; la predicación de la Palabra de Dios, además de una dedicación asidua a la oración, hicieron también de él un hombre de fe y de acción, preocupado por la salvación de las almas.

Operando sulla base di istruzioni o di elementi precostituiti ed utilizzando conoscenze linguistiche anche elementari, svolge servizio di accoglienza e controllo di accesso alle Sedi, di segreteria telefonica, di archivio, di allestimento e smistamento vario. Assicura i servizi di apertura e chiusura delle Sedi e altre operazioni e commissioni di supporto alla produzione.

Impiegato esecutivo di 1°

Nell'ambito di un margine di autonomia operativa, svolge mansioni subordinate di archivio, segreteria, protocollo, rilevazione e registrazione dati, catalogazione e classificazione documenti, contabilità, allestimento e smistamento vario, e altre operazioni di supporto alla produzione. Può anche coordinare personale di livello inferiore.

Addetto amministrativo di 2°

In condizioni di autonomia esecutiva, nell'ambito di istruzioni ricevute, predispone atti amministrativi aventi rilevanza anche esterna, svolge attività di segreteria, archivio, corrispondenza e protocollo, catalogazione e classificazione di documenti, rilevazione e registrazione dati, contabilità e cassa. Partecipa all'elaborazione di programmi informatici. Coordina il personale di livello inferiore.

Addetto amministrativo di I°

Nell'ambito di direttive ricevute, redige minute, prepara relazioni, effettua studi e ricerche, svolge attività di segreteria, archivio, classificazione e catalogazione di documenti, rilevazione e registrazione dati, contabilità e cassa, revisione interna ed ispezione, corrispondenza e protocollo, predispone atti amministrativi aventi rilevanza anche esterna. Elabora programmi informatici. Affianca e supplisce il Funzionario. Coordina il personale di livello inferiore.

Funzionario

Nell'ambito di direttive ricevute istruisce, redige e sottoscrive atti e provvedimenti amministrativi. Coadiuva e supplisce il personale direttivo. Partecipando al lavoro, guida l'attività e cura l'addestramento del personale affidatogli.

Funzionario di I°

E preposto ad una unità organica del settore amministrativo-organizzativo, provvedendo agli adempimenti previsti, nell'ambito delle normative e delle linee di programmazione. Svolge compiti di studio di notevole importanza per la definizione o l'esecuzione di questioni riguardanti il settore. Redige progetti di atti e documenti ufficiali. Nei limiti delle direttive ricevute dal Superiore è responsabile del coordinamento, dell'organizzazione e della formazione del personale affidatogli. Coadiuva e supplisce il Capo Ufficio.

Capo Ufficio

È Responsabile di un Ufficio Amministrativo-Organizzativo che coordina l'attività di più unità organiche della medesima Direzione. Affianca il Dirigente e in sua assenza ne fa le veci. Partecipa alla selezione

del personale ed è responsabile della formazione di esso in seno al suo Ufficio.

APPENDICE C

FORMULE DI GIURAMENTO

PROFESSIONE DI FEDE E DI COMUNIONE ECCLESIALE

Io, N.., credo e professo le verità che si contengono nel Simbolo della fede, vale a dire:

Io credo in Dio, Padre onnipotente, Creatore del cielo e della terra. E in Gesù Cristo, suo unico Figlio, nostro Signore, il quale fu concepito di Spirito Santo, nacque da Maria Vergine, patì sotto Ponzio Pilato, fu crocifisso, morì e fu sepolto; discese agli inferi; il terzo giorno risuscitò da morte; salì al cielo, siede alla destra di Dio Padre onnipotente: di là verrà a giudicare i vivi e i morti. Credo nello Spirito Santo, la santa Chiesa cattolica, la comunione dei santi, la remissione dei peccati, la risurrezione della carne, la vita eterna. Amen.

Credo inoltre tutto quanto si contiene nella Parola rivelata di Dio, conservata nella Scrittura e nella Tradizione, e che è stato proposto dal Magistero della Chiesa come verità da credere. Accetto anche tutte le cose che sono state proposte in modo definitivo dal Magistero della Chiesa sulla fede e i costumi.

Aderisco pure a quanto il Romano Pontefice e i Vescovi insegnano nell'esercizio del loro magistero autentico, anche se non in modo definitivo.

Mi professo in comunione con la Chiesa Cattolica e con la sua gerarchia, specialmente con il Romano Pontefice, e con l'aiuto di Dio mi sforzerò di rimanere in questa comunione.

PROMESSE DI FEDELTÀ NEL LAVORO

Prometto che nel lavoro che mi verrà affidato mi sforzerò di mettere a profitto la mia preparazione e le mie capacità personali e professionali, per eseguirlo con diligenza, efficacia e fedeltà, osservando nel suo compimento le norme generali e gli ordini particolari che mi verranno comunicati dai miei Superiori, e promuovendo i veri e legittimi interessi della Sede Apostolica e i buoni rapporti umani.

Prometto di vivere il mio lavoro in spirito di servizio alla fede cristiana e, più in particolare, alla missione ecclesiale dei Successori di Pietro, cui è affidata l'integrità della fede e l'unità della Chiesa.

Prometto di osservare il segreto del mio ufficio nella misura in cui questo venga richiesto dalla natura stessa del lavoro eseguito o dai miei legittimi Superiori.

Faccio liberamente questa professione di fede e di comunione ecclesiale, e formulo queste promesse davanti a Dio, chiedendo il Suo aiuto per poterle adempiere fedelmente.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II, in data 27 luglio 1995, ha approvato il Regolamento per il Personale della Radio Vaticana ed ha disposto la promulgazione del suddetto Regolamento e la sua pubblicazione in « Acta Apostolicae Sedis », stabilendo che esso entri in vigore a decorrere dal I° Ottobre 1995.

& ANGELO card. SODANO
Segretario di Stato

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

MAITLANDENSIS

De dioecesis nominis mutatione deque Cathedralis erectione.

DECRETUM

Cum urbs vulgo Newcastle intra fines dioecesis Maitlandensis exstans, incolarum frequentia opibusque modo crebra, labentibus annis, felicia susceperit incrementa et christifidelium numero industria negotiisque floreat, Exc.mus P.D. Leo Clarke, Episcopus Maitlandensis, ab Apostolica Sede postulavit ut eadem dioecesis Maitlandensis - Novocastrensis cognominetur, atque ad aptius tutiusque animarum bono consulendum, paroeciale templum in eadem urbe Deo in honorem Sanctissimi Cordis Iesu dicatum, ad dignitatem et fastigium Ecclesiae Cathedralis evehatur.

Congregatio pro Episcopis, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, catholicae religionis atque navitatis pastoralis incrementum prae oculis habens, oblatis precibus annuendum, censuit.

Quapropter quae sequuntur decernit:

1. Titulus Novocastrensis dioecesi Maitlandensi in posterum adiungitur.

2. Paroeciale templum Deo in honorem Sanctissimi Cordis Iesu in urbe vulgo Newcastle exstans dicatum titulo ac fastigio Ecclesiae Cathedralis decoratur, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis Exc.mum P.D. Franciscum Brambilla, Pro-Nuntium Apostolicum in Australia deputat, necessarias et opportunas ei tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere

imposito ad eandem Congregationem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 14 mensis Iunii anno 1995.

83 BERNARDINUS card. GANTIN, *Praef.*

83 Jorge Mejía, *a Secretis*

L. ©S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 167/95

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 12 Septembris 1995. Cathedrali Ecclesiae Neritonensi-Gallipolitanae, R. D. Victorium Fusco, e clero archidioecesis Campobassensis-Boianensis.

— Cathedrali Ecclesiae Norvicensi, Exc.mum P. D. Danielem Antonium Hart, hactenus Episcopum titularem Tepeltensem et Auxiliarem archidioecesis Bostoniensis.

die 23 Septembris 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Leavenvorthiensi Exc.mum P. D. Marion Franciscum Forst, hactenus Episcopum emeritum Dodgepolitanum.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Da Giovedì 14 a Mercoledì 20 Settembre 1995, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Camerun, Sud Africa e Kenya.

Da Giovedì 4 a Lunedì 9 Ottobre 1995, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio negli Stati Uniti d'America

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

22 settembre 1995. S. E. mons. Lajos Kada, Arcivescovo tit. di Tibica, *Nunzio Apostolico in Spagna*

30 » » S. E. mons. Patrik Coveney, Arcivescovo tit. di Satriano, Pro-Nunzio Apostolico in Etiopia, *Nunzio Apostolico in Eritrea.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

31 agosto 1995. P. Ivan 2uzek, S.I., *Consultore del Pontificio Consiglio per l'Interpretazione dei testi Legislativi « ad quinquennium ».*

23 settembre » P. Karl Becker, S.I., *Consultore della Congregazione per la Dottrina della Fede « in aliud quinquennium ».*

29 » » S. E. mons. Angelo Scola, Rettore Magnifico della Pontificia Università Lateranense, *Preside dell'Istituto « Giovanni Paolo II » per Studi su Matrimonio e Famiglia.*

NECROLOGIO

13 agosto 1995. Mons. Benedict Jacob Ach'aruparampil, Vescovo em. di Trivandrum dei Latini *(India).*

10 settembre » Mons. Alessandro Piazza, Vescovo em. di Albenga-Imperia *(Italia).*

12 » » Mons. Odilo Etspueler, Vescovo em. di Bangued *(Filippine).*

14 » » Mons. Emerson J. Moore, Vescovo tit. di Curubi.

18 » » Mons. Andrei Katkoff, Vescovo tit. di Nauplia.

23 » » Mons. Luigi Bellotti, Arcivescovo tit. di Voncariana.

An. et vol. LXXXVH 10 Novembris 1995 N. 11

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

« Ut unum sint »: de Oecumenico Officio

INTRODUCTIO

1. UT UNUM SINT! Haec ad christianorum unitatem cohortatio, quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II tanto edidit studio, vehementius usque resonat in credentium animis, praesertim Anno Bis Millesimo imminente, qui Iubilaeus sacer erit eis, Filii Dei Incarnationis memoria, qui homo factus est ut hominem salvum faceret.

Strenuum tot martyrum huius saeculi testimonium, ad alias quoque Ecclesias et Communitates ecclesiales pertinentium, non in plena cum Ecclesia catholica communione, hortationi conciliari novam inicit vim nosque obligationis commonefacit eandem hortationem accipiendi et perficiendi. Nostri hi fratres ac sorores, in generosa vitae suae oblatione pro Regno Dei consociati, aperta admodum ratione comprobant quodlibet divisionis elementum in integra sui ipsius causae Evangelii donatione transcendí posse et superari.

Christus omnes discipulos suos ad unitatem vocat. Ardenter exoptamus hanc invitationem hodie iterare, firmo animo illam rursus proponere ea recordantes, quae ad Colosseum Romanum anno 1994 Feria Sexta in Passione Domini illustravimus, meditationem de Via Crucis concludentes, verbis ductam venerati Fratris Bartholomaei, Patriarchae Oecumenici Constantinopolitani. Tunc affirmavimus credentes in Christum, in martyrum assectatione coniunctos, divisos manere non posse. Si vere et efficaciter volunt obstare mundi inclinationi ad Redemptionis Mysterium vacuefaciendum, pro-

fitenda coniunctim iis est eadem de Cruce veritas.[1] Crux! Opinatio christiano nomini contraria proponit sibi ut eius momentum deprimat, eius significationem reddat inanem, negando hominem novae vitae suae in ea radices habere; contendendo Crucem nec prospectus alere posse nec spes: homo — inquiunt — solummodo terrestre est animal, quod vivere debet ac si Deus non sit.

2. Neminem latet provocatio, quam haec omnia 'credentibus proponunt. Hi non possunt illam non accipere. Quomodo namque omnia, quae fieri possunt, facere recusent ut, Deo adiuvante, divisionis ac diffidentiae diruant muros, impedimenta superent et praeiudicia, quae Evangelii salutis per Iesu Crucem, unici Redemptoris hominis, cuiusvis hominis, nuntium impediunt?

Domino gratias agimus, quod nos ad progrediendum duxit in via, difficili sane, sed tam laeta, unitatis et communionis inter christianos. Dialogi inter confessiones, ad gradum theologicum habiti, fructus ediderunt certos ac manifestus: quod quidem ad procedendum incitat.

Christiani tamen, praeter dissensiones de doctrina profligandas, pondus minuere non possunt avitarum falsarum interpretationum, quas a maioribus acceperunt, errorum et praeiudicatarum opinionum aliorum de aliis. Insuper non raro segnities atque neglegentia et quaedam non sufficiens alterna cognitio hanc aggravant condicionem. Quocirca munus oecumenicum cordium conversione niti debet ac deprecatione, quae inducet etiam ad necessariam memoriae historicae purificationem. Spiritus Sancti gratia discipuli Domini, amore impulsi, virtute veritatis et sincera voluntate sibi invicem ignoscendi atque in mutuam gratiam redeundi, sollicitantur ad coniuncte recognoscenda acerba sua praeterita ac vulnera, quae profecto hodie quoque ex iisdem fieri non desinunt. Nova semper Evangelii vi invitantur ad agnoscendos coniuncte, sincera totaque cum veritate commissos errores atque elementa adiuncta quae interfuerunt initio eorum deprecandarum separationum. Obtutu quieto limpidoque veritatis opus est, misericordia divina vivificato, ad spiritus liberandos apto et ad suscitandam in omnibus novam voluntatem, prorsus respectu nuntii Evangelii hominibus cuiusvis populi ac nationis.

3. Per Concilium Oecumenicum Vaticanum II Ecclesia catholica modo irreversibili se tradidit itineri inquisitionis oecumenicae conficiendo, ita au-

[1] **Cfr Sermo post «Viam Crucis» Feria Sexta in Passione Domini habitus (1 Aprilis 1994), 3: *AAS* 87 (1995), 88.**

res erigens ad Spiritum Domini, qui docet quemadmodum « signa temporum » attente legenda sint. Ea, quae his annis experta est et experiri pergit, altius etiam illam illuminant de ipsius identitate deque munere, quo in historia fungitur. Ecclesia catholica filiorum suorum infirmitates agnoscit et confitetur, conscia eorum peccata totidem esse proditiones et impedimenta perficiendo consilio Salvatoris allata. Se igitur animadvertens constanter ad renovationem evangelicam vocari, de agenda paenitentia non desistit. Sed simul agnoscit et magis etiam Domini potentiam collaudat, qui eam dono sanctitatis repletam trahit atque ad Suam passionem Suamque resurrectionem conformat.

Multiplicibus historiae suae eventibus erudita Ecclesia operam dat ut omne adiumentum simpliciter humanum deponat, ut alte colat Beatitudinum legem evangelicam. Gnara non aliter veritatem sese imponere nisi « vi ipsius veritatis, quae suaviter simul ac fortiter mentibus illabitur »,[2] nihil aliud sibi quaerit, nisi Evangelium nuntiandi libertatem. Eius enim auctoritas in servitio veritatis et caritatis exercetur.

Ipsi omnem curam adhibere volumus, ut totius communitatis catholicae testimonium in sua integra claritate et constantia cognoscatur, praesertim respectu horae, quae Ecclesiam exspectat in primo limine proximi Millennii; horae sane singularis, pro qua ea a Domino postulat ut omnium christianorum unitas crescat, donec plenam consequatur communionem.[3] Pulcherrimum hoc propositum hae quoque Litterae Encyclicae persequuntur, quae pro sane pastorali natura sua eo spectant, ut ad eorum nisum sustinendum conferant, qui unitatis causae operam navant.

4. Sollemnis haec est cura Episcopi Romani qua Apostoli Petri successoris. Illam Nos explicamus impensa cum persuasione oboediendi Domino plenaque humanae fragilitatis Nostrae conscientia. Etenim, si Christus ipse Petro peculiare hoc munus in Ecclesia commisit eique ut fratres confirmaret mandavit, Ipse simul effecit ut is suam agnosceret infirmitatem humanam et peculiarem conversionis necessitatem: « Tu, aliquando conversus, confirma fratres tuos » *(Lc* 22, 32). Utique in humana Petri infirmitate prorsus apparet quomodo, ut hoc expleat in Ecclesia singulare ministerium, Summus Pontifex omnino ex gratia pendeat et Domini deprecatione: «Ego (...) rogavi pro te, ut non deficiat fides tua» *(Lc* 22, 32). Petri eiusque successo-

[2] CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 1.

[3] Cfr Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 16: *AAS* 87 (1995), 15.

rum conversio defixa est in ipsa Redemptoris deprecatione et Ecclesia constanter hanc invocationem participat. Hac nostra aetate oecumenica, Concilio Vaticano II signata, munus Episcopi Romani potissimum intendit, ut plenae discipulorum Christi communionis necessitatem commonefaciat.

Romanus Episcopus debet ipse cum fervore suam facere Christi deprecationem pro conversione, quae est « Petro » necessaria ut possit fratribus servire. Ex animo postulamus hanc deprecationem communicent Ecclesiae catholicae fideles omnesque christiani. Nobiscum omnes pro hac conversione preeentur.

Scimus Ecclesiam in sua terrena peregrinatione simultates ac persecutiones passam esse et pati perrecturam. Spes, qua sustinetur, inconcussa est tamen, sicut indelebile est gaudium quod ex eiusmodi spe proficiscitur. Firma enim et perennis petra, qua innititur, Iesus Christus est, Dominus eius.

5. Cum omnibus Christi discipulis Ecclesia catholica in Dei consilio suam ponit oecumenicam curam omnes in unitatem congregandi. Constat enim « Ecclesiam non esse clausam in seipsa, sed permanenter apertam impulsui missionario et oecumenico, utpote missam in mundum ad annuntiandum et testificandum mysterium communionis quo ipsa constituitur, ad idipsum actuale reddendum et expandendum: ut omnes et omnia coadunet in Christo; ut sit omnibus "inseparabile unitatis sacramentum" ».[4]

Iam in Vetere Testamento Ezechiel propheta, ad id temporis condicionem populi Dei respiciens, simplici adhibito symbolo lignorum duorum ante distinctorum, quorum deinde unum est alteri admotum, divinam significavit voluntatem « congregandi undique » membra populi sui dilaniati: « Ero eis Deus, et ipsi erunt mihi populus; scient gentes quia ego Dominus sanctificator Israelis» (cfr 37, 16-28). Evangelium Ioannis, quod ad illud attinet, et prae condicione populi Dei tunc temporis, in Iesu morte causam videt unitatis filiorum Dei: «Moriturus erat pro gente et non tantum pro gente, sed et ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum» (11, 51-52). Namque, sicut Epistula ad Ephesios interpretabitur, « medium parietem maceriae solvit, (...) per crucem interficiens inimicitiam in semetipso», qui « fecit utraque unum » (cfr 2, 14-16).

[4] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Litterae ad Catholicae Ecclesiae Episcopos de aliquibus aspectibus Ecclesiae prout est communio *Communionis notio* (28 Maii 1992), 4: *AAS* 85 (1993), 840.

6. Voluntas Dei est totius humani generis laniati unitas. Eam ob rem Filium suum Is misit: ut moriendo et resurgendo Spiritum nobis donaret caritatis suae. Pridie sacrificium Crucis ipse Iesus Patrem rogat pro discipulis suis proque omnibus qui sunt in eum credituri, ut unum sint, viva communio. Inde non solum officium, verum etiam responsalitas oritur, quae coram Deo, ante eius consilium, ad eos spectat et ad eas, qui per Baptismum in Corpus Christi inseruntur: in quo Corpore perfici debent in plenitudine reconciliationis et communionis. Quomodo liceat nobis manere divisos, si Baptismo in mortem Domini « mersi sumus », nempe ipso actu quo, per Filium, Deus muros deiecit separationis? Divisio « aperte voluntati Christi contradicit et scandalo est mundo atque sanctissimae causae praedicandi Evangelium omni creaturae affert detrimentum ».[5]

7. « Dominus vero saeculorum, qui propositum gratiae suae erga nos peccatores sapienter et patienter prosequitur, novissime in christianos inter se disiunctos animi compunctionem et desiderium unionis abundantius effundere incepit. Qua gratia permulti ubique homines permoti sunt atque inter fratres quoque nostros seiunctos amplior in dies motus, Spiritus Sancti fovente gratia, exortus est ad omnium christianorum unitatem restaurandam. Hunc autem unitatis motum, oecumenicum nuncupatum, participant qui Deum trinum invocant atque Iesum confitentur Dominum et Salvatorem, nec modo singuli seiunctim, sed etiam in coetibus congregati, in quibus Evangelium audierunt quosque singuli Ecclesiam dicunt esse suam et Dei. Fere omnes tamen, etsi diverso modo, ad Ecclesiam Dei unam et visibilem adspirant, quae sit vere universalis et ad universum mundum missa ut mundus ad Evangelium convertatur et sic mundus fiat ad gloriam Dei ».[6]

8. Hoc Decreti *Unitatis redintegratio* pronuntiatum est in contextu totius magisterii conciliaris legendum. Concilium Vaticanum II indicat Ecclesiam munus oecumenicum sumere velle pro christianorum unitate illudque cum persuasione et vigore proponere: « Haec Sancta Synodus cunctos fideles catholicos adhortatur ut, signa temporum agnoscentes, operi oecumenico sollerter participent ».[7]

In declarandis catholicis oecumenismi principiis, Decretum *Unitatis redintegratio* recolit imprimis totam doctrinam de Ecclesia, Constitutione *Lu-*

[5] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 1.

[6] *Ibid.*

[7] *Ibid.,* 4.

men gentium comprehensam, capite quod de populo Dei tractat.[8] Simul autem animadvertit quae Declaratio conciliaris *Dignitatis humanae* de libertate religiosa affirmat.[9]

Ecclesia catholica cum spe onus oecumenicum sumit tamquam conscientiae christianae praeceptum, fide illustratae et caritate rectae. Hic quoque adhiberi possunt sancti Pauli verba ad prístinos Romae christianos: « Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum »; hinc « spes » nostra «non confundit» *(Rom* 5, 5). Haec spes est unitatis christianorum, quae in unitate Trinitaria Patris et Filii et Spiritus Sancti fontem suum divinum invenit.

9. Ipse Iesus Passionis suae tempore rogavit « ut omnes unum sint » *(Io* 17, 21). Unitas haec, quam Dominus suae donavit Ecclesiae et qua vult omnes amplecti, non aliquid est supervacanei, sed eius operis est cardo; nec tantum est nota discipulorum eius communitatis, sed ad ipsam huius communitatis pertinet naturam. Deus Ecclesiam vult, quia unitatem vult, et in unitate tota eius *Agapes* altitudo significatur.

Etenim haec unitas a Spiritu Sancto data non est solum personarum concursus, ex quibus summa conficitur; sed unitas vinculis professionis fidei, sacramentis et communione hierarchica constituta.[10] Fideles unum sunt quia, in Spiritu, in communione Filii sunt et, in eo, in communione cum Patre: « Communio autem nostra est cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo» *(1 Io* 1, 3). Ecclesiae catholicae igitur communio christianorum non est aliud, nisi manifestatio in eis gratiae, per quam Deus illos participes facit propriae suae communionis, quae eius est vita aeterna. Christi verba « ut omnes unum sint », sunt ergo deprecatio ad Patrem ut consilium eius plene efficiatur, ut innotescat omnibus « quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit» *(Eph* 3, 9). Credere in Christum idem valet ac unitatem velle; unitatem velle idem valet ac Ecclesiam velle; Ecclesiam velle idem valet ac communionem gratiae velle, quae ex omni aeternitate Patris consilio respondet. Ecce deprecationis Christi significatio: « Ut unum sint ».

10. In praesenti condicione, divisione christianorum notata atque fidenti plenae communionis inquisitione, fideles catholici se ab Ecclesiae Domino

[8] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 14.

[9] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 1 et 2.

[10] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 14.

graviter interrogari animadvertunt. Concilium Vaticanum II eorum munus confirmavit visione ecclesiologica lucida et aperta ad omnes valores ecclesiales qui sunt in ceteris christianis. Fideles catholici rem oecumenicam oppetunt in fidei spiritu.

Concilium affirmat Ecclesiam Christi subsistere «in Ecclesia catholica, a successore Petri et episcopis in eius communione gubernata», simul autem agnoscit « extra eius compaginem elementa plura sanctificationis et veritatis inveniri, quae ut dona Ecclesiae Christi propria, ad unitatem catholicam impellunt ».[11]

« Proinde ipsae Ecclesiae et Communitates seiunctae, etsi defectus illas pati credimus, nequaquam in mysterio salutis significatione et pondere exutae sunt. Iis enim Spiritus Christi uti non renuit tamquam salutis mediis, quorum virtus derivatur ab ipsa plenitudine gratiae et veritatis quae Ecclesiae catholicae concredita est ».[12]

11. Quam ob rem Ecclesia catholica affirmat duobus milibus annorum historiae suae se esse in unitate servatam cum omnibus bonis, quibus Deus Ecclesiam suam donare vult: et hoc, quamquam multa fuerunt discrimina, saepe gravia, quae eam concusserunt, multaeque ministrorum eius infidelitates atque culpas in quas eius membra cotidie incurrunt. Ecclesia catholica scit, ob munimentum quod ei ex Spiritu provenit, fragilitates, mediocritates, peccata, interdum aliquorum filiorum suorum proditiones, destruere non posse quae Deus in eam infudit respectu sui gratiae consilii. Ne portae quidem inferi praevalebunt adversus eam *(Mt* 16, 18). Tamen Ecclesia catholica non obliviscitur a multis in sinu suo consilium Dei obscurari. In memoriam revocans christianorum divisionem Decretum de Oecumenismo non ignorat « hominum utriusque partis » culpam,[13] agnoscens hanc non posse solum « ceteris » ascribi. Gratia Dei tamen non est eversum quod ad structuram pertinet Ecclesiae Christi nec communio illa, quae cum ceteris Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus manet.

Etenim, sanctificationis et veritatis elementa quae in ceteris Communitatibus christianis sunt, gradu in alia ab alia diverso, fundamentum sunt, in natura positum, communionis etsi imperfectae inter eas et Ecclesiam catholicam intercedentis.

[11] ***Ibid.,* 8.**

[12] **CONC. OECUM. VAT. II,** Decr. de Oecumenismo ***Unitatis redintegratio,* 3.**

[13] ***Ibid.***

Prout eiusmodi elementa sunt in ceteris Communitatibus christianis, unica Christi Ecclesia praesentiam habet in eis efficientem. Idcirco Concilium Vaticanum II de quadam loquitur communione, etsi imperfecta. Constitutio *Lumen gentium* illustrat Ecclesiam catholicam nosse « semetipsam plures ob rationes coniunctam »[14] his Communitatibus vera quadam unitatis communione in Spiritu Sancto.

12. Eadem Constitutio fuse lateque « elementa sanctificationis et veritatis » statuit, quae, modo diverso, ultra fines visibiles Ecclesiae catholicae inveniuntur et operantur: « Sunt enim multi, qui Sacram Scripturam ut normam credendi et vivendi in honore habent sincerumque zelum religiosum ostendunt, amanter credunt in Deum Patrem omnipotentem et in Christum, Filium Dei Salvatorem, baptismo signantur, quo Christo coniunguntur, immo et alia sacramenta in propriis Ecclesiis vel communitatibus ecclesiasticis agnoscunt et recipiunt. Plures inter illos et episcopatu gaudent, sacram Eucharistiam celebrant necnon pietatem erga Deiparam Virginem fovent. Accedit orationum aliorumque beneficiorum spiritualium communio; immo vera quaedam in Spiritu Sancto coniunctio, quippe qui donis et gratiis etiam in illis sua virtute sanctificante operatur, et quosdam illorum usque ad sanguinis effusionem roboravit. Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur ».[15]

Decretum conciliare de Oecumenismo, Ecclesias orthodoxas respiciens peculiariter declaravit: « per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit ».[16] Ut haec omnia agnoscantur veritas postulat.

13. Huius condicionis Decretum *Unitatis redintegratio* consectaria ad doctrinam pertinentia modice enucleat. De membris harum Communitatum hoc declarat: « Iustificati ex fide in Baptismate, Christo incorporantur, ideoque christiano nomine iure decorantur et a filiis Ecclesiae catholicae ut fratres in Domino merito agnoscuntur ».[17]

De multiplicibus bonis loquens, quae in ceteris Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus sunt, Decretum addit: « Haec omnia, quae a Christo proveniunt et ad ipsum conducunt, ad unicam Christi Ecclesiam iure perti-

[14] N. 15.

[15] *Ibid.*

[16] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 15.

[17] *Ibid.,* 3.

nent. Non paucae etiam christianae religionis actiones sacrae apud fratres a nobis seiunctos peraguntur, quae variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque Ecclesiae vel Communitatis procul dubio vitam gratiae reapse generare possunt atque aptae dicendae sunt quae ingressum in salutis communionem pandant ».[18]

De textibus oecumenicis agitur maximi ponderis. Ultra Communitatis catholicae fines non est vacuum ecclesiale. Plura eximia elementa quae in Ecclesia catholica instrumentorum salutis et donorum gratiae, unde fit Ecclesia, plenitudine explentur, inveniuntur etiam in ceteris Communitatibus christianis.

14. Omnia haec elementa de unitate commonent, ut suam in ea inveniant plenitudinem. Non agitur de summa facienda omnium divitiarum, quae in Communitatibus christianis sunt disseminatae, ut ad Ecclesiam perveniatur, ad quam Deus spectet in futurum. Secundum magnam Traditionem, quam Patres Orientales et Occidentales testantur, Ecclesia catholica credit Deum in Eventu Pentecostes iam ostendisse Ecclesiam in sua veritate eschatologica, quam Ipse parabat « a tempore iusti Abel ».[19] Iam ea data est. Ob eam causam nos iam in ultimis sumus temporibus. Elementa huius Ecclesiae iam datae exsistunt, in sua plenitudine coniuncta, in Ecclesia catholica et, sine hac plenitudine, in ceteris Communitatibus,[20] ubi mysterii christiani quidam aspectus efficacius interdum sunt in luce positi. Oecumenismus plane contendit ut communionem ex parte, quae est inter christianos, augeat ad plenam communionem in veritate inque caritate.

15. Pergens a principiis, ab officio conscientiae christianae, ad iter oecumenicum erga unitatem conficiendum, Concilium Vaticanum II in primis ante oculos ponit conversionis interioris necessitatem. Nuntius messianicus « impletum est tempus et appropinquavit Regnum Dei » et consequens adhortatio: «Paenitemini et credite Evangelio» *(Mc* 1, 15), qua Iesus suum auspicatur munus, elementum indicant potissimum, quod proprium esse debet cuiusvis novi initii: praecipuum evangelizationis postulatum omni tempore itineris Ecclesiae salvifici. Hoc attinet peculiariter ad processum quem Concilium Vaticanum II iniit, renovationi tribuens munus oecumenicum

[18] *Ibid.*

[19] Cfr S. GREGORIUS MAGNUS, *Homiliae in Evangelia* 19, 1: *PL* 76, 1154 mem. in CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 2.

[20] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.

christianos inter se divisos in unum cogendi. Verus oecumenismus non est sine interiore conversione.[21]

Concilium cum ad personalem conversionem hortatur, tum ad communem. Unitatis studium, quo omnis ducitur Communitas christiana, eius fidelitati erga Evangelium inhaeret. Cum de personis agitur quae suam colunt vocationem christianam, Concilium de conversione interiore loquitur, de mentis renovatione.[22]

Quisque igitur debet ad Evangelium altius converti et, numquam Dei consilio e conspectu amisso, obtutum mutare. Per oecumenismum contemplatio mirabilium Dei novis spatiis locupletior facta est, in quibus Deus Trinitarius gratiarum actionem suscitat, quae spatia sunt: perceptio Spiritum in ceteris Communitatibus christianis agere, exemplorum sanctitatis inventio, pergrandium communionis sanctorum divitiarum experientia, ratio cum inopinatis aspectibus muneris christiani. Ob congruentiam, paenitentiae necessitas et ipsa amplificata est; sicut etiam quarundam exclusionum conscientia, quae caritatem fraternam vulnerant; quarundam ignoscendi recusationum; cuiusdam superbiae, illius non evangelici se claudendi in « reliquorum » condemnatione; alicuius contemptus, qui oritur ex prava arrogantia. Ita tota vita christianorum sollicitudine oecumenica distinguitur iique sollicitantur ut quodammodo ea se sinant formari.

16. In Concilii magisterio clare renovatio, conversio et reformatio conectuntur. Illud enim affirmat: « Ecclesia in via peregrinans vocatur a Christo ad hanc perennem reformationem qua ipsa, qua humanum terrenumque institutum, perpetuo indiget; ita ut si quae... minus accurate servata fuerint, opportuno tempore recte debiteque instaurentur ».[23] Nulla christiana Communitas potest se de hoc arcessitu subducere.

Cum sinceritate sermocinantes, Communitates adiuvant se ad videndas simul se ipsas in luce Traditionis apostolicae. Hoc eas inducit ad quaerendum num ipsae aeque ea omnia exprimant, quae Spiritus per Apostolos transmisit.[24] Quod pertinet ad Ecclesiam catholicam, crebro sicut pro anniversaria memoria Baptismi Rus'[25] vel commemoratione, post undecim sae-

[21] *Ibid.,* 7.

[22] Cfr *ibid.*

[23] *Ibid.,-n.*

[24] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de divina Revelatione *Dei Verbum,* 7.

[25] Cfr Epist,. Ap, *Euntes in mundum* (25 Ianuarii 1988): *AAS* 80 (1988), 935-956.

cula, operae evangelizatricis sanctorum Cyrilli et Methodii,[26] de his postulatis hisque prospectibus commonuimus. Nuper, Directorium principiis et normis exsequendis de Oecumenismo, Nobis approbantibus editum a Pontificio Consilio ad Unitatem Christianorum Fovendam, ea in provincia pastorali applicavit.[27]

17. Quod ad ceteros attinet christianos, praecipua documenta Commissionis Fides et Constitutio[28] et declarationes multorum dialogorum bilateralium iam Communitatibus christianis utilia praebuerunt instrumenta ad ea discernenda, quae necessaria sunt motui oecumenico et conversioni, quam ille debet suscitare. Eiusmodi commentationes magnum habent momentum duplici ratione; namque et magnos progressus ostendunt iam adeptos, et spem afferunt, quandoquidem fundamentum certum sunt inquisitionis prosequendae et altius introspiciendae.

Crescens in continua reformatione communio, effecta Traditione apostolica illustrante, est profecto in praesenti condicione populi christiani oecumenismi nota ex singularissimis et gravissimis. Ceterum, princeps est etiam eius futuri praesidium. Ecclesiae catholicae fideles non possunt ignorare studium oecumenicum Concilii Vaticani II unum ex eventibus rerum esse, quas Ecclesia facere nisa erat ut se sub Evangelii ac magnae Traditionis lumine scrutaretur. Id bene intellexerat Antecessor Noster Papa Ioannes XXIII, qui in convocando Concilio separare recusavit accommodationem ad praesentia et aperturam oecumenicam.[29] Coetu illo conciliari ad finem adducto Papa Paulus VI, instaurando dialogum caritatis cum Ecclesiis in communione cum Patriarcha Constantinopolitano et cum eo definitum ac significantissimum factum patrando, quod « in oblivionem reiecit » — ac « de memoria deque Ecclesia abstulit » — excommunicationes praeteriti temporis, Concilii vocationem oecumenicam consecravit. Interest commemorare constitutionem peculiaris corporis pro oecumenismo in idem tempus incidere ac Concilii Vaticani II praeparationem et, per illud corpus, sententias atque opiniones ceterarum Communitatum christianarum suam habuisse

[26] Cfr Ep. Encycl. *Slavorum apostoli* (2 Iunii 1985): *AAS* 77 (1985), 779-813.

[27] Cfr *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'œcuménisme* (25 Martii 1993): *AAS* 85 (1993), 1039-1119.

[28] Cfr praesertim Conventum Limanum vocatum: *Baptismus, Eucharistia, Ministerium* (Ianuario 1982): *Ench. Oecum.* 1, 1392-1446, et Documentum n. 153 «Fidei et Constitutionis» de *Confessione unicae fidei,* Genavae 1991.

[29] Cfr Allocutio in inchoando Concilio Oecumenico Vaticano II (11 Octobris 1962): *AAS* 54 (1962), 793.

partem in magnis disputationibus de Revelatione, de Ecclesia, de oecumenismi natura deque libertate religiosa.[30]

18. Mentem repetens quam ipse Pontifex Ioannes XXIII enuntiaverat in aperiendo Concilio,[31] Decretum de Oecumenismo mentionem facit rationis exponendi doctrinam inter continuae reformationis elementa.[32] Non agitur, hoc in contextu, de fidei deposito immutando, de dogmatum significatione varianda, de tollendis ex eis verbis essentialibus, de veritate ad arbitrium alicuius aetatis accommodanda, de quibusdam Fidei Symboli delendis, excusando eos non amplius hodie comprehendi. Unitas quam Deus vult sola effici potest communi assensione integritati continentiae fidei revelatae. In materia fidei compromissum Deo repugnat, qui est Veritas. In Corpore Christi, qui est «via, veritas, vita» *(Io* 14, 6), quis iustam putet reconciliationem actam impendio veritatis? Declaratio conciliaris de libertate religiosa *Dignitatis humanae* dignitati tribuit humanae quaesitionem veritatis, « praesertim in iis quae Deum eiusque Ecclesiam respiciunt »[33] et eius postulationibus adhaesionem. Itaque illud « una simul esse » quod veritatem prodat, a Dei natura discrepet, qui suam offert communionem, et a postulato veritatis, quod inest in imo cuiusvis hominis corde.

19. Doctrina tamen modo exhibenda est, quo comprehensibilis fiat iis, ad quos illam ipse Deus destinat. In Epistula Encyclica *Slavorum apostoli* memoravimus Cyrillum et Methodium, ob eandem hanc causam, nisos esse notiones Bibliorum et theologiae Graecae sententias exprimere in contextu experientiarum historicarum et cogitationis quam maxime dissimilium. Volebant enim unicum verbum Dei fieret « intellegibile secundum rationes quibus in unaquaque cultus civilis forma res exprimuntur ».[34] Intellexerunt ergo non posse se « populis praedicationi suae concreditis imponere ne praestantiam quidem, in controversiam non vocandam, linguae Graecae atque

[30] Agitur de SECRETARIATU AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM a IOANNE PP. XXIII condito Motu Proprio *Superno Dei nutu* (5 Iunii 1960), 9: *AAS* 52 (1960), 436 et subsequentibus documentis confirmato: Motu Proprio *Appropinquante Concilio* (6 Augusti 1962), c. III, a. 7, 2, I: *AAS* 54 (1962), 614; cfr PAULUS PP. VI, Const. Ap. *Regimini Ecclesiae universae* (15 Augusti 1967), 92-94: *AAS* 59 (1967), 918-919. Hoc Dicasterium nunc appellatur PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM: cfr IOANNES PAULUS PP. II, Const. Ap. *Pastor Bonus* (28 Iunii 1988), V, art. 135-138: *AAS* 80 (1988), 895-896.

[31] Cfr Allocutio in inchoando Concilio Oecumenico Vaticano II (11 Octobris 1962): *AAS* 54 (1962), 792.

[32] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 6.

[33] CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 1.

[34] Ep. Encycl. *Slavorum Apostoli* (2 Iunii 1985), 11: *AAS* 77 (1985), 792.

cultus humani Byzantini vel consuetudines et mores societatis, magis expolitae, in quibus ii adoleverant ».[35] Ii ergo ad effectum adducebant perfectam illam caritatem quae « Ecclesiam tuetur a quavis ratione partium vel exclusorii habitus gentici vel commenti phyletici, necnon ab omni arrogantia propriae nationis superextollendae ».[36] Pro eodem spiritu dicere non dubitavimus aboriginibus Australiae: « Esse non debetis populus in duas partes divisus... Iesus vos vocat, ut sua verba suaque bona accipiatis intus in vestro proprio cultu ».[37] Quoniam, natura sua, elementum fidei toto humano generi destinatur, illud postulat ut in omnes cultus transmittatur. Etenim, elementum quod statuit de communione in veritate, veritatis est significatio. Declaratio veritatis potest multiformis esse. Et generum declarationis renovatio necessaria fit ad nuntium evangelicum in sua immutabili significatione transferendum ad hominem hodiernum.[38]

« Haec igitur renovatio insigne obtinet momentum oecumenicum ».[39] Nec tantum renovatio in fidei significandae ratione, verum etiam ipsius vitae fidei. Sed quaeri potest: cui ea est efficienda? Concilium huic interrogationi clare respondet: «Ad totam Ecclesiam... spectat, tam ad fideles quam ad Pastores, et unumquemque secundum propriam virtutem afficit, sive in vita christiana quotidiana, sive in theologicis et historicis investigationibus »-[40]

20. Omnia haec maximum habent momentum et praecipuam significationem quod attinet ad actionem oecumenicam. Hinc haud ambigue perspicitur oecumenismum, motum nempe pro christianorum unitate, non modo quandam esse « appendicem », quae translaticiae Ecclesiae navitati addatur. Ex contrario natura ille pertinet ad eius vitam et actionem debetque igitur hoc totum pervadere et fructus esse quodammodo plantae quae, sana et über, crescit donec suam adipiscatur plenitudinem.

Ita in unitatem Ecclesiae credebat Papa Ioannes XXIII sicque ad omnium christianorum unitatem aspiciebat. De ceteris christianis recogitans, de magna christiana familia, animadvertit: « Multo fortius est quod nos iungit, quam quod nos dividit ». Atque Concilium Vaticanum II adhortatur: « Meminerint omnes christifideles se christianorum unionem eo melius promovere, immo exercere, quo puriorem secundum Evangelium vitam degere

[35] *Ibid.,* 13, *l.m.,* 794.
[36] *Ibid.,* 11, *l.m.,* 792.
[37] Allocutio ad incolas indígenas (29 Novembris 1986), 12: *AAS* 79 (1987), 977.
[38] Cfr S. VINCENTIUS LERINENSIS, *Commonitorium primum,* 23: *PL* 50, 667-668.
[39] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 6.
[40] *Ibid.,* 5.

studeant. Quo enim arctiore communione cum Patre, Verbo et Spiritu Sancto unientur, eo intimius atque facilius mutuam fraternitatem augere valebunt ».[41]

21. «Haec cordis conversio vitaeque sanctitas, una cum privatis et publicis supplicationibus pro christianorum unitate, tamquam anima totius motus oecumenici existimandae sunt et merito oecumenismus spiritualis nuncupari possunt ».[42]

In via proceditur quae ad cordium conversionem ducit rhythmo amoris, qui ad Deum se confert pariterque ad fratres, eos quoque qui non sunt nobiscum in plena communione. Ex amore optatio oritur unitatis etiam in eis qui illius necessitatem ignoraverunt. Amor artifex est communionis inter personas interque Communitates. Si nos amamus, tendimus ad nostram communionem confirmandam, ad eam in perfectionem dirigendam. Amor se vertit ad Deum utpote perfectum communionis fontem — unitatem Patris, Filii et Spiritus Sancti —, ut vim hauriat ab eo suscitandi communionem inter personas et Communitates, aut illam redintegrandi inter christianos adhuc divisos. Amor est aqua profluens altissima, quae vitam dat et vigorem infundit processui ad unitatem.

Eiusmodi amor perfectissime declaratur oratione communi. Cum fratres, qui non in plena sunt communione inter se, una conveniunt ut orent, Concilium Vaticanum II eorum orationem definit animam totius motus oecumenici. Ea est — docet etiam Concilium — «perefficax medium gratiae unitatis », « genuina significatio vinculorum, quibus catholici cum fratribus seiunctis adhuc coniunguntur ».[43] Tum etiam, cum non sensu formali oratur pro unitate christianorum, sed ob alias causas, veluti, exempli gratia, pro pace, oratio per se significatio fit et confirmatio unitatis. Oratio communis christianorum ipsum Christum invitat ad eorum visitandam communitatem, qui illum implorant: « Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » *(Mt* 18, 20).

22. Cum una inter christianos oratur, unitatis exitus propior apparet. Longa christianorum historia, multiplicibus fragminibus signata, tunc recomponi videtur, ad illum tendendo unitatis Fontem, qui est Iesus Christus. Is «est heri et hodie; ipse et in saecula» (cfr *Heb* 13, 8). In commu-

[41] ***Ibid.,* 7.**
[42] ***Ibid.,* 8.**
[43] ***Ibid.***

nione orationis Christus vere adest; precatur « in nobis », « nobiscum » et « pro nobis ». Is nostram dirigit orationem in Spiritu Consolatore, quem Ecclesiae suae promisit et dedit iam in cenáculo Hierosolymitano, cum illam in sua primigenia unitate constituit.

In unitatis via oecumenica primae partes haud dubie ad orationem communem spectant, ad coniunctionem orantem eorum, qui simul ad ipsum Christum se applicant. Si christiani, quamvis divisi sint, magis usque Christo se circumfundent in oratione communi, magis conscii erunt quam angustum sit id, quo dividuntur, prae eo, quo iunguntur. Si crebrius et constantius coram Christo ad orandum convenient, ad obeundam integram acerbam humanamque divisionum summam confirmabuntur, et una erunt in communitate illa Ecclesiae, quam Christus in Spiritu Sancto format continuo, etsi fragilitates et humanae angustiae non desunt.

23. Denique, orationis communio inducet ad respiciendam oculis novis Ecclesiam atque Christianitatem. Non est enim obliviscendum Dominum a Patre discipulorum suorum unitatem imploravisse, ut haec eius testificaretur munus et mundus in Patrem crederet, qui misit eum (cfr *Io* 17, 21). Affirmari potest motum oecumenicum ex experientia irrita ortum esse eorum qui, unicum Evangelium nuntiantes, recogitabant quisque de sua Ecclesia et Communitate ecclesiali; quae inconsequentia fugere non poterat eos, qui nuntium salutis audiebant in eaque impedimentum inveniebant ne nuntius evangelicus acciperetur. Grave hoc impedimentum pro dolor non est superatum. Id verum est; nondum in plena communione sumus; attamen, quamvis divisiones exsistant, iter facimus ad plenam unitatem, eam unitatem, quae Ecclesiae apostolicae in suis exordiis propria erat quamque nos sincere quaerimus: hoc probat oratio nostra communis, fide ducta. In ea nos congregamur in Christi nomine, qui Unus est. Is nostra unitas est.

Oratio « oecumenica » muneri christiano servit eiusque probabilitati. Eam ob rem peculiari modo praesens esse debet in vita Ecclesiae et in omni industria quae unitati faveat christianorum. Idem est hoc, ac si semper nobis conveniendum sit in cenaculum Feria Quinta in Cena Domini, tametsi nostra praesentia in eo loco communis suum exspectat effectum, donec, impedimentis superatis perfectae communioni ecclesiali interpositis, omnes christiani in unicam Eucharistiae celebrationem convenient.[44]

[44] Cfr *ibid.*, 4.

24. Gaudii causa est perspicere tam multas congressiones oecumenicas fere semper orationem admittere, immo ea confici. Hebdomada orationis pro unitate christianorum, quae mense Ianuario celebratur, vel circiter Pentecosten in aliquibus nationibus, pervulgata consuetudo et firmata facta est. Sed etiam extra eam multae sunt, per annum, opportunitates, quibus christiani ad coniunctim orandum inducuntur. Hoc in contextu, cupimus Nos ad peculiarem illam experientiam revocare, quod est Papae peregrinatio per Ecclesias, per varias Continentes variasque nationes oikoumenes huius aetatis. Concilium Vaticanum II suasit — huius rei bene conscii sumus — Christi Vicario ut in se susciperet hoc ministerii sui apostolici peculiare exercitium. Sed plus dici potest. Concilium effecit ut haec Papae peregrinatio clara fieret necessitas, quo melius expleret munus Episcopi Romani in servitium communionis.[45] Nostrae hae visitationes fere semper occursum oecumenicum attulerunt et orationem fratrum communem, qui in Christo in eiusque Ecclesia unitatem quaerunt. Singulari omnino animi commotione reminiscimur orationem communem Deo adhibitam Cantuariae cum Communionis Anglicanae Primate in cathedrali ecclesia Cantuariensi, die 12 mensis Maii anno 1982, cum, mirabili in illo aedificio, nostrorum longorum communis hereditatis annorum et tristium separationis, qui illam secuti sunt annorum significans agnoscebamus documentum;[46] nec possumus precationes oblivisci, quas in Nationibus Scandinavis et Septentrionalibus peregimus, in utraque America vel in Africa, vel apud Consilium Oecumenicum Ecclesiarum (die 12 mensis Iunii anno 1979), quod corpus sibi proponit ut vocet Ecclesias, quae illud participant, « ad metam communionis visibilis in una fide et in una communione eucharistica, in cultu atque in vita communi in Christo significata ».[47] Et quomodo Nostram obliviscamur liturgiae eucharisticae participationem in ecclesia sancti Georgii, in Patriarchatu oecumenico (die 30 mensis Novembris anno 1979), et celebrationem in Basilica Sancti Petri inter Romae visitationem Nostri venerati Fratris, Patriarchae Demetrii I (die 6 mensis Decembris anno 1987)? Tunc, apud altare Confessionis, simul Symbolum Nicaenum-Constantinopolitanum professi sumus, secundum textum nativum Graecum. Pauca verba non sufficiunt ad describendas proprias notas cuiuslibet horum orationis congressuum. Ob

[45] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Ep. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 24: *AAS* 87 (1995), 19-20.

[46] Cfr Allocutio habita in cathedrali ecclesia Cantuariensi (29 Maii 1982), 5: *AAS* 74 (1982), 992.

[47] COETUS OECUMENICUS ECCLESIARUM, *Constitutio,* III, 1, in *Ench. Oecum.* 1, 1392.

condiciones praeteriti temporis, quibus eorum quisque, modo dissimili, afficiebatur, omnes propriam et singularem habent eloquentiam; omnes insculpti sunt in Ecclesiae memoria, quae a Paraclito dirigitur ad inquirendum plenam omnium in Christum credentium unitatem.

25. Non solus Papa factus est peregrinus. His annis tot digni ceterarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium legati Nos Romae visitaverunt et cum eis precati sumus, in publicis ac privatis circumstantiis. Iam diximus de praesentia Patriarchae oecumenici Demetrii I. Velimus nunc mentionem etiam facere eius occursus orationis, quo sumus in eadem Basilica Sancti **PetYi,** cum Archiepiscopis Lutheranis, primatibus Suetiae et Finniae, coniuncti in vesperarum celebratione, quinto exacto saeculo a canonizatione sanctae Brigidae (die 5 mensis Octobris anno 1991). Exemplum quidem est hoc, quandoquidem conscientia officii precandi pro unitate vitae Ecclesiae pars facta est necessaria. Non est eventus gravis, significans, quin mutua praesentia et precatione christianorum fruatur. Sed a nobis non possunt cuncti eiusmodi occursus percenseri, licet quisque sit dignus qui memoretur. Vere Dominus nos manu prehendit et ducit. Haec mutua, hae precationes permultas iam paginas scripserunt in nostro « Libro de unitate », qui « Liber » est semper nobis volvendus et lectitandus, ut ex eo impulsum hauriamus et spem.

26. Precatio, precationis communitas, nos sinit semper iterum invenire evangelicam horum verborum veritatem: « Unus est Pater vester » *(Mt* 23, 9), Pater ille, Abba, quem Christus ipse rogat, qui est Filius eique consubstantiales. Et etiam: « Unus est magister vester et omnes vos fratres estis » (cfr *Mt* 23, 8). Oratio « oecumenica» hanc detegit fundamentalem fraternitatis mensuram in Christo, qui mortuus est ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret, quo nos, facti filii in Filio (cfr *Eph* 1, 5), plenius patefaceremus incomprehensibilem veritatem paternitatis Dei, et simul veritatem de humanitate cuiusque nostrum propria.

Oratio « oecumenica », oratio fratrum sororumque haec omnia significat. Ii, idcirco quod sunt invicem seiuncti, eo maiore spe coniunguntur in Christo, ei suae unitatis suaeque communionis futurum committentes. Huic contextui rursus feliciter adhiberi potest Concilii doctrina: « Dominus Iesus, quando Patrem orat "ut omnes unum sint [...] sicut et nos unum sumus" *(Io* 17, 21-22), prospectus praebens humanae rationi impervios, aliquam si-

militudinem innuit inter unionem Personarum Divinarum et unionem filiorum Dei in veritate et caritate ».[48]

Ipsa cordis conversio, condicio potissima omnis verae inquisitionis unitatis, ex oratione manat eaque ad suum effectum adducitur: « Ex novitate mentis, ex sui ipsius abnegatione atque ex caritatis libérrima effusione proficiscuntur et maturescunt desideria unitatis. Ideo a Spiritu divino imploranda nobis est gratia sincerae abnegationis, humilitatis et mansuetudinis in serviendo, atque fraternae in alios animi liberalitatis ».[49]

27. Precatio pro unitate tamen non solum ad illum pertinet, qui vivit in contextu divisionis christianorum. In intimo illo et personali dialogo, quem quisque nostrum confert cum Domino in oratione, unitatis cura removeri non potest. Sic solummodo enim ea plene pars erit veritatis vitae nostrae et officiorum, quae in Ecclesia sumpsimus. Ut hanc necessitatem confirmaremus, voluimus fidelibus Ecclesiae catholicae specimen proponere, quod exemplare Nobis videtur; specimen nempe sororis Ordinis Cistercensium Strictioris Observantiae, beatae Mariae Gabrielae ab Unitate, quam Beatam proclamavimus die 25 mensis Ianuarii anno 1983.[50] Soror Maria Gabriela, vocatione sua illecta ut segregata esset a mundo, vitam consumpsit in meditatione et in deprecatione, nisis tamquam centro capite 17 Evangelii sancti Ioannis, eamque pro Christianorum unitate devovit. Ecce: haec est cuiusvis deprecationis summa: devotio plena, et sine exceptione, propriae vitae Patri per Filium in Spiritu Sancto. Exemplum sororis Mariae Gabrielae nos docet efficitque ut intellegamus non unica esse tempora, condiciones vel loca precandi pro unitate. Christi oratio ad Patrem omnibus, semper et ubique exemplar restat.

28. Si oratio est « anima » renovationis oecumenicae et appetitionis unitatis, in ea posita sunt et ab ea sustentationem hauriunt omnia quae Concilium « dialogum » appellat. Haec definitio non est, haud dubie, sine nexu cum hodierna cogitandi ratione privata et propria. Habitus « dialogi » se

[48] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius aetatis *Gaudium et spes,* 24.

[49] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 7.

[50] Maria Gabriela Sagheddu, in Sardiniae oppido Dorgali nata anno 1914 monasterium Cistercense Strictioris Observantiae Cryptae Ferratae ingressa est. Cognita per actionem apostolicam sacerdotis Pauli Couturier, orationum et oblationum spiritalium necessitate pro unitate christianorum, anno 1936, occasione data *Octo dierum supplicationis pro unitate,* vitam suam pro hac causa devovit. Post gravem morbum Soror Maria Gabriela mortua est die 23 mensis Aprilis anno 1939.

collocat in gradu naturae personae eiusque dignitatis. Philosophica ratione haec collocatio coniungitur cum veritate christiana de homine a Concilio enuntiata: is enim « in terris sola creatura est quam Deus propter seipsam voluerit »; homo igitur non potest « plene seipsum invenire nisi per sincerum sui ipsius donum ».[51] Dialogus est transitus necessarius itineris faciendi ad exitum, quo homo seipsum perficit, sicut et quisque homo et omnis humana communitas. Quamvis ex notione « dialogi » exstare in primo gradu videatur momentum agnitionale (dia-logos), omnis tamen dialogus dimensionem habet complexivam, exsistentialem. Is hominem implicat in sua integritate; dialogus inter communitates astringit peculiari modo subiectivitatem cuiusvis earum.

Huiusmodi de dialogo veritatem, tam alte a Papa Paulo VI declaratam in Litteris Encyclicis *Ecclesiam Suam,*[52] etiam doctrina et usus oecumenicus Concilii adhibuerunt. Dialogus non solum opinationum commercium est; is quodammodo semper « commercium donorum » est.[53]

29. Qua de re etiam Decretum conciliare de Oecumenismo ut primum ponit « omnes conatus ad eliminanda verba, iudicia et opera, quae fratrum seiunctorum condicioni secundum aequitatem et veritatem non respondeant, ideoque mutuas cum ipsis rationes difficiliores reddant ».[54] Decretum hoc quaestionem tractat ex prospectu Ecclesiae catholicae et refertur ad regulam quae ei est usurpanda erga ceteros christianos. Sed haec omnia necessitatem vicissitudinis continent. Hanc servare regulam est officium singularum partium, quae dialogum conferre velint, et condicio praevia est ad illum ineundum. Oportet mutetur status aemulationis ac certaminis in statum in quo ambo se agnoscant socios. Cum dialogus initur, utraque pars conicere debet voluntatem reconciliationis in eo, quocum sermocinatur, unitatis in veritate. Ut hoc efficiatur, deficere debent simultatis indicia. Hoc solum modo dialogus adiuvabit ad divisionem superandam et poterit ad veritatem admovere.

30. Affirmari potest, multa cum grata in Spiritum veritatis memoria, Concilium Vaticanum II tempus fuisse benedictum, quo praecipuae effectae sunt condiciones, in quibus Ecclesia catholica dialogum oecumenicum com-

[51] CONC. OECUM. VAT. II, Const. past. de Ecclesia in mundo huius aetatis *Gaudium et spes,* 24.

[52] Cfr *AAS* 56 (1964), 609-659.

[53] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 13.

[54] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.

municat. Ceterum, frequentium observatorum variarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium praesentia, impensa eorundem implicatio in eventu conciliari, tam multae congressiones orationesque communes, quas Concilium possibiles reddidit, comparandis condicionibus ad simul colloquendum profuerunt. Per Concilium legati Ecclesiarum atque Communitatum christianarum experti sunt episcopatum catholicum totius mundi ad dialogum esse paratum, praesertim vero, Sedem Apostolicam.

31. Officium dialogi oecumenici, sicut se ostendit a tempore Concilii, non solius Sedis Apostolicae est, sed etiam singularum Ecclesiarum locorum vel particularium. Speciales commissiones spiritui et actioni oecumenicae fovendis institutae sunt a Conferentiis Episcopalibus et a Synodis Ecclesiarum orientalium catholicarum. Similes opportunaeque structurae in singulis dioecesibus operantur. Incepta haec testantur veram et universalem Ecclesiae catholicae curam in applicandis propositis conciliaribus de oecumenismo: est motus oecumenici aspectus essentialis.[55] Dialogus non modo initus est, verum et declarata necessitas evasit, una e rebus praecipuis Ecclesiae; idcirco excultum est « artificium » sermocinandi, foto simul spiritus dialogi auctu. Hoc in contextu respicitur in primis « ex diversis Ecclesiis vel Communitatibus... "dialogus" inter peritos apte instructos initus, in quo unusquisque suae Communionis doctrinam profundius explicat eiusque characteres perspicue praesentat ».[86] Attamen omni fideli prodest methodum cognoscere qua dialogus fieri possit.

32. Sicut affirmat Declaratio conciliaris de libertate religiosa, «Veritas... inquirenda est modo dignitati humanae personae eiusque naturae sociali proprio, libera scilicet inquisitione, ope Magisterii seu institutionis, communicationis atque dialogi, quibus alii aliis exponunt veritatem quam invenerint vel invenisse putant, ut sese invicem in veritate inquirenda adiuvent; veritati autem cognitae firmiter adhaerendum est assensu personali ».[57]

Dialogus oecumenicus essentiale habet momentum. « Per hunc enim dialogum veriorem utriusque Communionis doctrinae vitaeque cognitionem et magis aequam aestimationem omnes acquirunt; tum etiam illae Communiones eam consequuntur ampliorem collaborationem in quibusvis officiis ad bonum commune ab omni conscientia christiana postulatis, et in oratione

[65] **Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 755; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 902-904.**

[66] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.**

[67] **CONC. OECUM. VAT. II, Decl. de libertate religiosa *Dignitatis humanae,* 3.**

unanimi, sicut licet, conveniunt. Denique omnes suam fidelitatem voluntati Christi circa Ecclesiam examinant atque, ut oportet, opus renovationis nec non reformationis strenue aggrediuntur ».[58]

33. Pro intentione Concilii dialogus oecumenicus naturam habet communis inquisitionis veritatis, praecipue de Ecclesia. Veritas enim conscientias format earumque dirigit actionem pro unitate. Eodem tempore ea postulat ut conscientia christianorum, fratrum inter se divisorum, eorumque operae Christi precationi pro unitate subiciantur. Synergia exsistit inter precationem et dialogum. Precatio impensior et magis conscia dialogum fructibus copiosiorem reddit. Si hinc precatio est dialogi condicio, hinc eius fit fructus maturior.

34. Dialogi oecumenici gratia loqui possumus de maiore mutuae nostrae orationis communis maturitate. Hoc possibile est, siquidem dialogus fungitur etiam, et simul, vice recognitionis sui. Quomodo non recordemur, quod ad hoc pertinet, verborum Epistulae Primae Ioannis? « Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus et veritas in nobis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est (Deus), et iustus, ut remittat nobis peccata nostra et emundet nos ab omni iniquitate » (1, 8-9). Ioannes plus etiam affirmat: « Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, et verbum eius non est in nobis» (1, 10). Adhortatio tam vehemens ad agnoscendam nostram peccatorum condicionem, debet etiam esse nota spiritus quo dialogus oecumenicus obitur. Si hic recognitio sui non fieret quasi « dialogus conscientiarum », num illi certae rei confidere possemus, quam eadem Epistula nobis transmittit? « Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis; sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi» (2, 1-2). Omnia mundi peccata sacrificio Christi salvifico comprehenduntur, ideoque et peccata contra Ecclesiae unitatem commissa: christianorum peccata, tum pastorum, tum fidelium. Etiam post tot peccata quae in historicas divisiones valuerunt, unitas christianorum possibilis est, dummodo humiliter conscii simus nos contra unitatem peccavisse et persuasum habeamus necessariam nobis esse conversionem. Non tantum peccata personalia remittenda sunt et superanda, verum et socialia, ipsae scilicet peccati « structurae », quae in divisionem inque eius confirmationem valuerunt et valere possunt.

[58] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.

35. Rursus nobis Concilium auxilio venit. Affirmari potest totum Decretum de Oecumenismo spiritu conversionis perfundi.[59] Dialogus oecumenicus in hoc documento sua instruitur proprietate; mutatur enim in « dialogum conversionis », et idcirco, ut dixit Papa Paulus VI, in verum « dialogum salutis ».[60] Dialogus procedere non potest cursum sequens solum ad libellam directum, in occursu contentus, in opinionum commutatione, vel donorum cuiusque Communitatis propriorum; is tendit etiam; immo ante omnia, ad dimensionem verticalem, qua dirigitur ad eum qui, Redemptor mundi et historiae Dominus, nostra est reconciliatio. Dialogi dimensio verticalis consistit in communi ac mutua agnitione nostrae virorum ac mulierum, qui peccaverunt, condicionis. Ipsa haec agnitio pandit ad fratres, qui in communitate vivunt non in plena communione inter se, interius illud spatium, in quo Christus, Ecclesiae unitatis fons, agere potest efficaciter, tota sui Spiritus Paracliti potentia.

36. Dialogus instrumentum quoque naturale est ad diversas opiniones comparandas et in primis ad illas dissensiones considerandas, quae plenae christianorum communioni inter se impedimento sunt. Decretum de Oecumenismo insistit, in primis, describendis habitudinibus moralibus, quibus oppetendae sunt disputationes ad doctrinam spectantes: « In dialogo oecumenico theologi catholici, doctrinae Ecclesiae inhaerentes, una cum fratribus seiunctis investigationem peragentes de divinis mysteriis, cum veritatis amore, caritate et humilitate progredi debent ».[61]

Amor veritatis est verae inquisitionis plenae christianorum communionis altissima ratio. Sine hoc amore suscipi non possunt rerum difficultates theologicae, culturales, psychologicae et sociales, quae in considerandis dissensionibus inveniuntur. Cum hac interiore ac personali ratione artissime consociandus est spiritus caritatis et humilitatis; caritatis in collocutorem, humilitatis erga veritatem quae detegitur quaeque postulare potest affirmationum et habituum recognitiones.

Quod ad studium attinet dissensionum, Concilium poscit ut tota doctrina cum planitate exponatur. Postulat pariter ne modus et methodus enuntiandi fidem catholicam dialogo cum fratribus impedimento sint.[62] Procul dubio possibile est propriam fidem testificari eiusque illustrare doctrinam

[59] Cfr *ibid.*, 4.
[60] Litt. Encycl. *Ecclesiam suam* (6 Augusti 1964), III: *AAS* 56 (1964), 642.
[61] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio*, 11.
[62] Cfr *ibid.*

ratione quae iusta, proba et comprehensibilis sit, ac simul collocutoris categorias mentis et experientiam historicam respiciat.

Manifesto plena communio perficienda erit per acceptionem totius veritatis, in quam Spiritus Sanctus Christi discipulos introducit. Quapropter fugiendum erit quodvis deminutionis genus aut facilis consensionis. Quaestiones graves dirimendae sunt; sin minus, aliis temporibus eadem cum forma, aut diversa, revertentur.

37. Decretum *Unitatis redintegratio* indicat etiam normam sequendam, cum catholicis doctrinae exponendae sunt vel comparandae: « Meminerint existere ordinem seu hierarchiam veritatum doctrinae catholicae, cum diversus sit earum nexus cum fundamento fidei christianae. Sic via sternetur qua per fraternam hanc aemulationem omnes incitentur ad profundiorem cognitionem et clariorem manifestationem investigabilium divitiarum Christi ».[63]

38. In dialogo occurritur necessario quaestioni de diversis formulis, quibus variarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium doctrina significatur: quae res plures habet in munus oecumenicum consecutiones.

Ante omnia, in formulis doctrinalibus quae deflectunt ab iis, quae solitae sunt communitati ad quam quis pertinet, protinus expedit exquirere an non occulte verba eandem significent rem, sicut animadversum est, exempli gratia, in recentibus declarationibus communibus, quibus Nos et Decessores Nostri subscripsimus una cum Patriarchis Ecclesiarum quibuscum a saeculis erat christologica contentio. Quoad veritatum revelatarum formulam, Declaratio *Mysterium Ecclesiae* affirmat: « Etsi veritates, quas Ecclesia suis formulis dogmaticis reapse docere intendit, a mutabilibus alicuius temporis cogitationibus distinguuntur et sine iis exprimi possunt, nihilominus interdum fieri potest, ut illae veritates etiam a Sacro Magisterio proferantur verbis, quae huiusmodi cogitationum vestigia secum ferant. His consideratis, dicendum est formulas dogmaticas Magisterii Ecclesiae veritatem revelatam ab initio apte communicasse et, manentes easdem, eam in perpetuum communicaturas esse interpretantibus ipsas ».[64] Quod ad hoc attinet, dialogus oecumenicus, qui partes stimulat eo implicatas ad se interrogandas, comprehendendas, vicissim aperiendas, inexspectatas inventiones permittit. Concertationes et intolerantes controversiae in affirmationes repugnantes ea

[63] *Ibid.;* cfr CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. circa doctrinam catholicam de Ecclesia *Mysterium Ecclesiae* (24 Iunii 1973), 4: *AAS* 65 (1973), 402.

[64] CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI, Decl. circa doctrinam catholicam de Ecclesia *Mysterium Ecclesiae* (24 Iunii 1973), 5: *AAS* 65 (1973), 403.

mutaverunt, quae re effectus erant duorum obtutuum, idem scrutantium sed rationibus diversis. Oportet hodie formula reperiatur quae, tota veritate deprehensa, transcendere sinat lectiones ex parte ac falsas interpretationes removere.

Una ex oecumenismi utilitatibus ex eo oritur, quod per illum Communitates christianae adiuvantur ad reperiendas investigabiles veritatis divitias. Etiam in hac provincia omnia, quae Spiritus in « ceteris » operatur aedificationi omnis communitatis prodesse potest[66] et quodam modo illi in Christi mysterio erudiendae. Verus oecumenismus est veritatis gratia.

39. Dialogus denique collocutores ponit prae veris dissensionibus quae fidem attingunt. Praesertim hae dissensiones obeundae sunt sincero fraternae caritatis spiritu, observantia eorum, quae propria et proximi conscientia exigit, magna humilitate et veritatis amore. Hac in re comparatio duo quasi signa habet ad quae se referat: Sacras Litteras et magnam Ecclesiae Traditionem. Catholicis Magisterium semper vitale succurrit Ecclesiae.

40. Rationes inter christianos non modo ad mutuam cognitionem tendunt, ad orationem communem et ad dialogum; sed provident etiam et postulant iam nunc omnem possibilem cooperationem effectivam diversis in gradibus: pastorali, culturali, sociali et vel in Evangelii nuntio testificando.[66]

« Omnium christianorum cooperatio coniunctionem illam qua iam inter se uniuntur vivo modo exprimit atque Christi servi vultum in pleniorem lucem ponit ».[67] Haec cooperatio, in fide communi posita, non solum est plena caritatis fraternae, sed Christi ipsius est epiphania.

Insuper, cooperatio oecumenica vera est oecumenismi schola, via est dynamica ad unitatem. Actionis unitas ad plenam ducit unitatem fidei: « Hac cooperatione omnes qui in Christum credunt facile addiscere possunt, quomodo alii alios melius cognoscere et pluris aestimare queant atque ad unitatem christianorum via sternatur ».[68]

Coram mundo cooperatio inter christianos instar est communis testimonii christiani et instrumentum fit evangelizationis pro utrisque.

41. Quae supra dicta sunt de dialogo oecumenico inde a conclusione Concilii inducunt ad gratias agendas Spiritui veritatis a Christo Domino

[66] **Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.**

[66] **Cfr Declaratio christologica communis de Ecclesia catholica et Ecclesia Assyria Orientis: *L'Osservatore Romano* (12 Novembris 1994), p. 1.**

[67] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 12.**

[68] ***Ibid.***

Apostolis Ecclesiaeque promisso (cfr *Io* 14, 26). Nunc primum factum fit in historia ut actio pro unitate christianorum tanta sit tantumque sese extendat. Hoc iam est donum immensum a Deo concessum quod totam meret gratam beneficii memoriam. De plenitudine Christi nos omnes accepimus et «gratiam pro gratia» *(Io* 1, 16). Agnoscere quod Deus iam concessit condicio est, quae nos praeparat ad recipienda dona, quibus adhuc opus est ut officium oecumenicum unitatis perficiatur.

Conspectus novissimorum triginta annorum efficit ut melius comprehendantur multi fructus huius communis conversionis ad Evangelium, cuius Spiritus Dei instrumentum fecit motum oecumenicum.

42. Accidit ut — exempli causa — secundum eundem spiritum Sermonis in Monte, christiani ad aliquam pertinentes confessionem non iam ceteros christianos inimicos putent aut extraneos, sed fratres videant in eos vel sorores. Ceterum, ipsi voci fratribus seiunctis usus hodie inclinat ad verba substituenda magis idonea commemorandae altitudini communionis — characteri baptismali coniunctae — quam Spiritus alit, quamvis discidia historica et canonica non defuerint. Sermo fit de « ceteris christianis », de « ceteris baptizatis », de « christianis ceterarum Communitatum »; sed *Directorium principiis et normis de oecumenismo exsequendis* Communitates, ad quas hi christiani pertinent, appellat « Ecclesias et Communitates ecclesiales quae non sunt in plena communione cum Ecclesia catholica ».[69] Haec lexici amplificatio notabilem indicat mentis progressionem. Conscientia communis condicionis pertinendi ad Christum acrior fit. Id saepe Ipsi experti sumus in celebrationibus oecumenicis, quae unus sunt ex maximis eventibus Nostrorum itinerum apostolicorum per diversas mundi partes, vel in occursibus et in celebrationibus oecumenicis Romae actis. Christianorum « fraternitas universalis » facta est firma persuasio oecumenica. Oblivioni datis excommunicationibus temporis praeteriti, Communitates olim adversariae invicem hodie adiuvant; interdum aedificia cultus commodantur, annuae pensiones studiorum causa tribuuntur ministris formandis Communitatum egentiorum, auctoritates publicae rogantur pro aliis christianis defendendis iniuste incusatis, coarguitur calumniarum inanitas, quibus coetus quidam afficiuntur.

Breviter, christiani conversi sunt ad caritatem, quae omnes amplectitur Christi discipulos. Si contingit ut, propter publicos tumultus violentos ali-

[69] PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM, *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'œcuménisme* (25 Martii 1993), 5: *AAS* 85 (1993), 1040.

qua patefiat ad. provocandum propensio, vel ulciscendi cupiditas, partium auctoritates curant plerumque ut « Lex nova » spiritus caritatis vincat. Eiusmodi spiritus — quod valde dolendum est — nequivit omnes mutare condiciones conflictionis cruentae. Munus oecumenicum his in circumstantiis poscit ab eo, qui illo fungitur, electiones incredibilis animi fortitudinis.

Oportet hac de re confirmare agnitionem fraternitatis non ex philanthropismo manare liberali aut ex vago spiritu familiae. Ea contra insidet in cognitione unius baptismatis et in consequenti necessitate ut Deus in suo opere glorificetur. *Directorium principiis et normis de oecumenismo exsequendis* auspicatur mutuam et publicam Baptismorum agnitionem:[70] quod sane omnem actum excedit comitatis oecumenicae et praecipuam constituit ecclesiologicam affirmationem.

Opportune commemorandum est characterem fundamentalem Baptismi in Ecclesiae aedificandae opere clare esse in lucem prolatum etiam per dialogum ex multis partibus.[71]

43. Crebrius in dies accidit ut, qui Communitates christianas regunt, simul nomine Christi statuant de gravibus quaestionibus, quae ad vocationem humanam respiciant, ad libertatem, iustitiam, pacem, mundi futura. Hoc facientes unam ex partibus muneris christiani « communicant », quae nempe est societatem commonefacere, modo qui ad momenta rerum omnia referat, voluntatis Dei, auctoritates et cives hortando ne declive sequantur, quod ad iura humana conculcanda ducat. Patet — et experientia id confirmat — in aliquibus rerum temporumque adiunctis vocem christianorum communem plus una voce posse.

Non soli tamen Communitatum rectores in hac unitatis cura coniunguntur. Multi omnium Communitatum christiani, ob fidem suam, una participant animosa proposita quae statuunt mundum mutare, prout intendunt ut victrix evadat iurium ac necessitatum omnium, praesertim pauperum, iacentium, inermium, observantia. In Litteris Encyclicis *Sollicitudo rei socialis* laeti hanc extulimus cooperationem, illustrantes Ecclesiam catholicam ab ea se subtrahere non posse.[72] Christiani enim, qui olim agebant separatim, nunc simul huic causae inserviunt, ut Dei benevolentia praevaleat.

[70] *Ibid.*, 94, *l.m.* 1078.

[71] Cfr COMMISSIO «FIDES ET CONSTITUTIO» CONSILII OECUMENICI ECCLESIARUM. *Baptismus, Eucharistia, Ministerium* (Ianuario 1982): *Ench. Oecum.* 1, 1391-1447, et definite 1398-1408.

[72] Cfr Litt. Encycl. *Sollicitudo rei socialis* (30 Decembris 1987), 32: *AAS* 80 (1988), 556.

Evangelii ratio iam agitur. Quam ob causam confirmantes quae scripsimus in primis Litteris Encyclicis *Redemptor hominis,* occasionem habuimus « ad insistendum huic rei et omnem fovendum conatum actum in hac via, omnibus in gradibus, ubi obviam nos ferimus ceteris fratribus nostris christianis »[73] atque Deo gratias egimus « pro iis, quae iam in ceteris Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus fecit et per eos », sicut et per Ecclesiam catholicam.[74] Hodie animadvertimus cum laetitia iam amplum cooperationis oecumenicae intextum magis magisque extendi. Etiam efficacitate Consilii oecumenici Ecclesiarum magnus fit in hac regione labor.

44. Conversionis oecumenicae progressus significantes sunt etiam in parte quae ad Dei Verbum pertinet. Cogitamus in primis de eventu tam gravi pro variis linguarum coetibus, quales sunt Bibliorum conversiones oecumenicae. Post promulgatam a Concilio Vaticano II Constitutionem *Dei Verbum* Ecclesia catholica non poterat non accipere cum gaudio hoc effectum opus.[76] Eiusmodi conversiones, peritorum opus, tutum praebent fundamentum precationi et navitati pastorali omnium discipulorum Christi. Qui meminit quantum in divisiones valuerint, praecipue in Occidente, disputationes de Scriptura, intellegere potest quam notabilis progressio sint eiusmodi conversiones communes.

45. Renovationi liturgicae ab Ecclesia catholica peractae respondit in pluribus Communitatibus ecclesialibus coeptus cultum suum restaurandi. Earum aliquae, auspicio oecumenico nisae,[76] dimissa consuetudine suam liturgiam Cenae celebrandi raris tantummodo casibus, celebrationem dominicam elegerunt. Ceteroquin, cyclos lectionum liturgicarum comparando nonnullarum Communitatum christianarum occidentalium, reperitur easdem quoad necessaria convenire. Semper ad libellam oecumenicam[77] in lumine collocata sunt liturgia et signa liturgica (imagines, icones, vestes sacerdota-

[73] **Allocutio ad Cardinales et ad Curiam Romanam (28 Iunii 1985), 10: *AAS* 77 (1985), 1158; cfr Litt. Encycl. *Redemptor hominis* (4 Martii 1979), 11: *AAS* 71 (1979), 277-278.**

[74] **Allocutio ad Cardinales et ad Curiam Romanam (28 lumi 1985), 10: *AAS* 77 (1985), 1158.**

[76] **Cfr SECRETARIATUS AD CHRISTIANORUM UNITATEM FOVENDAM ET CONSILIUM EXSECUTORIUM SOCIETATUM BIBLICARUM CONIUNCTARUM, *Principi per la collaborazione interconfessionale nella traduzione della Bibbia,* Documentum accommodatum (1968): *Ench. Oecum.* 1, 319-331, recognitum et completum in Documento *Directives concernant la coopération interconfessionelle dans la traduction de la Bible* (16 Novembris 1987), Tipografia Poliglotta Vaticana 1987.**

[76] **Cfr COMMISSIO « FIDES ET CONSTITUTIO » CONSILII OECUMENICI ECCLESIARUM, *Baptismus, Eucharistia, Ministerium* (Ianuario 1982): *Ench. Oecum.* 1, 1391-1447.**

[77] **Exempli gratia, in ultimis coetibus Consilii Oecumenici Ecclesiarum Vancuverii anno 1983, et Camberrae anno 1991 et « Fides et Constitutio » Compostellae anno 1993.**

les, lux, thus, gestus). Praeterea in theologicis institutis, ubi futuri ministri formantur, studium historiae et significationis liturgiae incipit partes esse rationum studiorum, quasi id necessitas sit, quae nunc denuo detegatur.

Haec sunt consensionis signa ad multiplices vitae sacramentalis aspectus pertinentia. Equidem, ob discrepantias, quae ad fidem spectant, nondum potest eadem liturgia eucharistica celebrari; et tamen ardenter exoptamus unicam Domini Eucharistiam celebrare coniunctim, et haec optatio iam laus communis fit, eadem imploratio. Simul nos ad Patrem convertimus, idque magis usque « uno corde » facimus. Interdum, posse tandem hanc communionem sancire « veram, etsi nondum plenam », propius esse videtur. Quis abhinc saeculum hoc solum cogitaret?

46. Quae cum ita sint, iuvat commemorare ministros catholicos, aliquibus in certis definitisque casibus peculiaribus, sacramenta Eucharistiae, Paenitentiae, Unctionis Infirmorum aliis christianis posse ministrare, qui non in plena sunt communione cum Ecclesia catholica, sed qui ardenter cupiunt illa recipere, ea libere petunt et fidem ostendunt quam Ecclesia catholica in haec confitetur sacramenta. Vicissim in peculiaribus casibus catholici quoque petere possunt eadem sacramenta a ministris earum Ecclesiarum, in quibus ea valida sunt. Condiciones, quibus haec mutue accipiuntur, normis statutae sunt earumque observantia est ad oecumenicum progressum necessaria.[78]

47. Dialogus non solam tractat doctrinam, sed totam implicat personam: est enim etiam caritatis dialogus. Affirmavit Concilium: « Necessarium est catholicos cum gaudio agnoscere et aestimare bona vere christiana, a communi patrimonio promanantia, quae apud fratres a nobis seiunctos inveniuntur. Divitias Christi et virtutum opera agnoscere in vita aliorum, qui pro Christo testimonium ferunt, quandoque usque ad sanguinis effusionem, aequum et salutare est: Deus enim semper mirabilis est et mirandus in operibus suis ».[79]

48. Consuetudines quas membra Ecclesiae catholicae iunxerunt cum ceteris christianis inde a Concilio, aperuerunt quae Deus in iis, qui ad ceteras

[78] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 8 et 15; *Codex Iuris Canonici,* can. 844; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 671; PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM, *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'œcuménisme* (25 Martii 1993), 122-125: *AAS* 85 (1993), 1086-1087; 129-131, *l.m.,* 1088-1089; 123 et 132, *l.m.,* 1087-1089.

[79] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.

Ecclesias Communitatesque ecclesiales pertinent, operatur. Eiusmodi proxima necessitudo, in variis gradibus, inter pastores interque membra Communitatum, edocuit nos testimonium quod ceteri christiani Deo dant et Christo. Hinc amplissimum patuit experientiae oecumenicae spatium, quod eodem tempore nostram provocat aetatem. Vicesimum' saeculum nonne tempus est magni testimonii, usque ad « sanguinis effusionem »? Idque nonne etiam ad alias Ecclesias et Communitates ecclesiales spectat, quae a Christo nomen trahunt, crucifixo et a mortuis suscitato?

Commune hoc sanctitatis testimonium, tamquam erga unum Dominum fidelitas, potentia oecumenica gratiae abundantissima est. Concilium Vaticanum II edixit bona, quae sunt apud veteros christianos, posse aedificationi catholicorum conferre: « Neque est praetereundum, quaecumque Spiritus Sancti gratia in fratribus seiunctis efficiuntur, eadem ad nostram quoque aedificationem conferre posse. Quodcumque vere christianum est, numquam germanis fidei bonis adversatur, immo semper efficere potest ut perfectius ipsum mysterium Christi et Ecclesiae attingatur ».[80] Dialogus oecumenicus, utpote verus salutis dialogus, hunc processum concitabit, iam in se ad veram ac plenam communionem progredientem.

49. Fructus excellens necessitudinum inter christianos et dialogi, quem conferunt iidem, est incrementum communionis. Illae et hic conscios fecerunt christianos elementorum, quae communia habent. Hoc profecit ad amplius eorum munus firmandum in plenam unitatem versus. In his omnibus rebus Concilium Vaticanum II potens manet centrum propulsus et itineris.

Constitutio dogmatica *Lumen gentium* doctrinam de Ecclesia catholica iungit cum agnitione salvificorum elementorum, quae in ceteris Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus inveniuntur.[81] Non de agnitione agitur elementorum immobilium, quae segniter adsunt in illis Ecclesiis et Communitatibus. Quippe cum bona sint Ecclesiae Christi, natura sua impellunt ad unitatem restaurandam. Ex hoc illud consequitur, ut inquisitio unitatis christianorum non actus arbitrarius sit vel ad utilitatem spectans, sed necessitas ex ipsa oriens natura communitatis christianae.

Similiter, dialogi theologici bilaterales cum maximis Communitatibus christianis proficiscuntur ab agnitione gradus communionis iam exsistentis, ut deinde gradatim de dissensionibus disceptent, quae cum unaquaque

[80] *Ibid.*
[81] Cfr n. 15.

exstant Communitate. Dominus christianis nostri temporis concessit ut translatieias possint contentiones minuere.

50. Ad rem quod attinet, singularibus gratiis actis Providenti Deo, in primis agnoscendum est vinculum cum Ecclesiis Orientalibus, per saecula infirmatum, ope Concilii Vaticani II denuo firmatum esse. Harum Ecclesiarum observatores qui Concilio interfuerunt, una cum legatis Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium Occidentalium, manifeste unanimum declararunt optatum, hoc potissimum tempore adeo sollemni pro catholica Ecclesia, communionem perquirendi.

Concilium, sua pro parte, rerum intellectu ac summa benevolentia in Ecclesias Orientales mentem intendit, in luce ponens ipsarum indolem ecclesialem et genuina communionis vincula quibus cum Ecclesia catholica coniunguntur. Decretum quidem de Oecumenismo asserit: « Per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit », ac congruenter addit illas ecclesias quamvis seiunctas, « vera sacramenta » habere, « praecipue vero, vi successionis apostolicae, Sacerdotium et Eucharistiam, quibus artissima necessitudine adhuc nobiscum coniunguntur ».[82]

Orientalium Ecclesiarum agnita est praeclara liturgica et spiritalis traditio, peculiaris indoles processus historici, affirmatae sunt disciplinae inde a primordiis ab ipsis servatae et a sanctis Patribus et Synodis, etiam oecumenicis sancitae, nec non propria methodus enuntiandi doctrinam. Haec omnia dicta sunt cum pro certo habeatur legitimam diversitatem unitati Ecclesiae minime obstare, immo eius decorem augere et ad eius missionem implendam haud parum conferre.

Concilium Oecumenicum Vaticanum II fundamentum dialogi in exsistenti communione instituere optat atque admonet de locupleti natura Ecclesiarum Orientalium: « Quamobrem Sacrosancta Synodus omnes quidem, sed praesertim eos exhortatur qui in instaurationem plenae communionis optatae inter Ecclesias Orientales et Ecclesiam catholicam incumbere intendunt, ut debitam considerationem habeant de hac peculiari condicione nascentium crescentiumque Ecclesiarum Orientalium et de indole relationum, quae inter eas et Sedem Romanam ante separationem vigebant atque rectam de his omnibus existimationem sibi efforment ».[83]

[82] N. 15.
[83] *Ibid.,* 14.

51. Talis conciliaris mens utilis fuit sive necessitudinibus fraternitatis quae in dialogo caritatis gradatim sunt effectae, sive doctrinali disceptationi apud permixtam Commissionem internationalem ad dialogum theologicum fovendum Ecclesiam catholicam inter et Ecclesiam orthodoxam simul totam. Quae mens pariter in necessitudinibus cum antiquis Ecclesiis Orientalibus abundans fuit fructibus.

Tardus et difficilis fuit processus, qui tamen impensi gaudii scaturigo exstitit et animos quoque accendit quoniam permisit ut procedente tempore fraternitas repeteretur.

52. Ad Ecclesiam Romanam nec non ad Patriarchatum oecumenicum Constantinopolitanum quod attinet, processus, quem nuper memoravimus, ortum habuit ex reciproca apertione exhibita hinc a Summis Pontificibus Ioanne XXIII et Paulo VI, hinc a Patriarcha oecumenico Athenagora I eiusque Successoribus. Peracta mutatio historice significata est ecclesiali actu quo « ex Ecclesiarum memoria ac de medio earum evulsa est »[84] recordatio excommunicationum quae, nongentos ante annos, anno scilicet 1054, symbolum evaserant schismatis inter Sedes Romanam et Constantinopolitanam. Ille eventus ecclesialis, studio oecumenico adeo densus, sub Concilii conclusionem contigit, die scilicet VII mensis Decembris anno 1965. Conciliaris Consessio ita conclusa est actu sollemni, qui insimul et purgatio memoriae historicae fuit et reciproca remissio studiumque utriusque partis communionis perquirendae.

Occursatio Pauli VI cum Patriarcha Athenagora I in Hierosolymitana urbe anno 1964 mense Ianuario talem actum praecesserat, cum Paulus VI per Terram Sanctam sacram ageret peregrinationem. Illa data opportunitate is convenire quoque potuit Benedictum, Patriarcham orthodoxum Hierosolymitanum. Deinde Paulus VI die 25 mensis Iulii anno 1967 invisit Patriarcham Athenagoram in Fanar, eius Sede in urbe Constantinopoli; mense autem Octobri eiusdem anni Patriarcha ab eodem Summo Pontifice Romae magna caerimonia exceptus est. Hi occursus in precationibus habiti ostendebat iter percurrendum ad Ecclesiam Orientalem Ecclesiamque Occidentalem reconciliandam nec non ad illam instaurandam unitatem, qua inter se primo millennio iungebantur.

[84] Communis declaratio PAULI PP. VI et Patriarchae Constantinopolitani ATHENAGORAE I (7 Decembris 1965): *Tomos agapis,* Vatican-Phanar (1958-1970), Roma-Istanbul 1971, pp. 280-281.

Post Pauli VI obitum brevemque Ioannis Pauli I pontificatum, cum Romani Pontificis munus Nobis est commissum, primarium servitii pontificii officium duximus in eo esse ut personale restitueretur colloquium cum Patriarcha oecumenico Demetrio I, qui interea in Constantinopolitana Sede successerat Patriarchae Athenagorae. Die 29 mensis Novembris anno 1979, cum adivimus Nos Fanar, Sedem Patriarchae, una simul statuere potuimus ut inter Ecclesiam catholicam et omnes Ecclesias .orthodoxas, in canonica communione cum Sede Constantinopolitana, theologicus incoharetur dialogus. Magni videtur ponderis, quod ad hoc pertinet, addere tunc temporis iam moliri convocationem futuri Concilii Ecclesiarum orthodoxarum. Earum studium concordiam quaerendi confert sane ad vitam vigoremque illarum sororum Ecclesiarum, et hoc etiam ratione habita muneris ab iis explendi in itinere ad unitatem. Patriarcha oecumenicus rependere voluit visitationem quam peregeramus, atque anno 1987 mense Decembri laetantes admodum, sincero affectu sollemnitateque qua par erat Romae eum excepimus. Hoc in ecclesialis fraternitatis contextu, in memoriam est revocanda consuetudo pluribus iam annis tradita, excipiendi Romae, celebritatis die sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, delegationem Patriarchatus oecumenici, itidemque in Panar mittendi delegationem Sanctae Sedis die sollemnis commemorationis sancti Andreae.

53. Constantes hae congressiones fovent profecto immediatum informationum et opinionum commercium ad fraternam rerum agendarum ordinationem. Ceteroqui, reciproca supplicationum participatio nos denuo assuefacit ad vitam coniuncte degendam, impellit nos ad Domini voluntatem de eius Ecclesia una simul accipiendam ideoque ad effectum perducendam.

In via, quam inde a tempore Concilii Vaticani II percurrimus, duo saltem memorandi sunt eventus peculiariter significantes magnumque momentum oecumenicum inducentes in necessitudinibus inter Orientem et Occidentem: in primis, Iubilaeum anno 1985 indictum ad XI expletum saeculum colendum ab opere evangelizationis a sanctis Cyrillo et Methodio inito; quos duos sanctos Slavorum Apostolos, fidei praecones, Europae compatronos aliquot ante annos renuntiaveramus. Paulus VI antea, nempe anno 1964, inter Concilium, sanctum Benedictum Europae patronum pronuntiaverat. Duos fratres Thessalonicenses sociare eximio monachismi occidentalis conditori idem est ac oblique in luce ponere illam geminam ecclesialem culturalemque traditionem adeo significantem viginti Christianae fidei saeculis, quae naturam signarunt historiae continentis Europaeae. Idcirco supervaca-

neum non est recolere sanctos Cyrillum et Methodium provenire ex ambitu Ecclesiae Byzantinae illius temporis, qua aetate haec Ecclesia cum Romana Sede communionem servabat. Europae patronos eos declarantes, una cum sancto Benedicto, non tantum historicam veritatem de Religione Christiana in continente Europaea confirmare cupiebamus, verum etiam argumentum tanti ponderis offerre ad dialogum fovendum inter Orientem et Occidentem, qui tot post Concilium movit exspectationes. Quemadmodum in sancto Benedicto, ita quoque in sanctis Cyrillo et Methodio repperit Europa spiritales suas radices. Secundo Millennio post Christum natum iam exeunte, illi simul sunt venerandi sive ut patroni actae aetatis nostrae sive ut sancti, quibus et Ecclesiae et nationes continentis Europaeae suum concredunt futurum.

54. Alter eventus quem Nos iuvat in mentem revocare celebratio est expleti Millennii a Baptismo nationis Rus' (annis 988-1988). Ecclesia catholica, et praesertim haec Apostolica Sedes participes fuerunt celebrationum iubilarium atque voluerunt in luce ponere Baptismum, qui in urbe Kiovia sancto Vladimiro collatus est, inter praecipuos fuisse eventus quod ad terrarum orbis evangelizationem pertinet. Huic eventui non tantum magnae Slavae nationes Europae Orientalis suam debent fidem, verum etiam illi populi qui ultra Montes Urales degunt et usque ad Alascam.

Hoc in prospectu, locutio quaedam, quam saepius adhibere consuevimus, plenam invenit significationem: Ecclesia duobus pulmonibus suis respirare debet! Primo historiae Christianismi millennio illa respiciebat potius dualitatem: Byzantium-Romam; inde a baptismo nationis Rus' talis locutio dilatat sua confinia: evangelizationis opus diffusum est ad latiores fines ut plenam ea iam Ecclesiae universitatem amplectatur. Si dein censemus talem salvificam missionem, prope ripas fluminis Borysthenis peractam, ortum habuisse tempore quo Ecclesia Orientalis et Ecclesia Occidentalis non erant seiunctae, aperte eruitur illum prospectum, ad quem plena communio est perquirenda, unitatis esse prospectum in legitima diversitate. Haec quidem fortiter asseruimus cum in Epistula Encyclica *Slavorum Apostoli*[85] sanctis Cyrillo et Methodio dicata, tum in Litteris Apostolicis *Magnum Baptismi donum*[86] quas ad fideles Ecclesiae catholicae misimus, Millennium Baptismi nationis Rus' Kioviensis commemorantes.

55. Conciliare Decretum *Unitatis redintegratio* in suo conspectu historico rationem habet unitatis quae, etiam contrariis quibusvis rebus obstantibus,

[85] Cfr *AAS* 77 (1985), 779-813.
[86] Cfr *AAS* 80 (1988), 988-997.

primo millennio est observata, quaeque quodam modo figuram suscipit alicuius exempli: «Sacrosanctae Synodo gratum est [...] omnibus in mentem revocare plures in Oriente florere particulares seu locales Ecclesias, inter quas primum locum tenent Ecclesiae patriarchales, et ex quibus non paucae ab ipsis Apostolis ortum habere gloriantur ».[87] Iter Ecclesiae initium cepit die Pentecostes in urbe Hierosolymitana et primigenia eius evolutio in oikoumene illius temporis circum Petrum et Undecim contrahebatur (cfr *Act* 2, 14). Ecclesiae igitur structurae in Oriente et in Occidente formabantur secundum illud apostolicum patrimonium. Eius unitas, spatio primi millennii circumscripta, in iisdem structuris servabatur per Episcopos, Apostolorum successores, in communione cum Romano Episcopo. Si hodie, secundo millennio iam exeunte, plenam communionem instaurandam curamus, ad hanc unitatem ita constitutam spectare tenemur.

In Decreto de oecumenismo alius singularis in lumine collocatur aspectus, cuius vi omnes Ecclesiae particulares manebant in unitate, id est « sollicitudo et cura servandi fraternas illas in fidei caritatisque communione necessitudines, quae inter Ecclesias locales, ut inter sorores, vigere debent ».[88]

56. Post Concilium Vaticanum II, nexu quodam facto cum illa traditione, usus restitutus est tribuendi appellationem « Ecclesiarum sororum » Ecclesiis particularibus vel localibus circa suum episcopum congregatis. Abolitio insuper mutuarum excommunicationum, qua canonicum et psychologicum sublatum est obstaculum, nisus fuit significantissimus in itinere ad plenam communionem.

Structurae unitatis ante divisionem vigentes patrimonium constituunt experientiae quod viam nobis percurrendam ostendit ad plenam communionem recuperandam. Ut par est, hoc secundo millennio Dominus uberes gratiae et incrementi fructus Ecclesiae suae largiri non desiit. Attamen, pro dolor, progrediens mutua abscessio Ecclesiarum Occidentis et Orientis, reciprocorum eas donorum et auxiliorum divitiis privavit. Vehementer est nitendum, Dei gratia, ad plenam inter eas communionem redintegrandam, tot pro Ecclesia Christi bonorum fontem. Qui nisus quidem requirit promptum et alacrem animum, humiles preces nec non constantem cooperationem, quam nihil deprimat. Sanctus Paulus nos concitat: «Alter alterius onera portate » *(Gal* 6, 2). Quam congruenter nobis aptatur et quam propria

[87] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.
[88] *Ibid.*

est Apostoli adhortatio! Appellatio translaticia, id est « Ecclesiae Sorores », utinam sine intermissione nos comitetur hoc in itinere.

57. Quemadmodum Paulus VI exoptabat, declaratum propositum nostrum intendit ut insimul plenam rursus assequamur unitatem in legitima diversitate: «Deus nobis facultatem tribuit hoc apostolicum testimonium in fide recipiendi. Per baptismum nos sumus unus in Christo Iesu (cfr *Gal* 3, 28). Successionis apostolicae virtute, Sacerdotium et Eucharistia intimius nos sociant; dona participantes quae Deus Ecclesiae suae largitur, communione iungimur Patri, per Filium, in Spiritu Sancto... In singulis Ecclesiis localibus hoc divini amoris mysterium peragitur. Nonne haec est ratio illius traditae locutionis adeoque elegantis ut Ecclesiae locales "Ecclesiae sorores" appellari cuperent? (Cfr Decr. *Unitatis redintegratio,* 14). Hanc vitam Ecclesiarum sororum per saecula duximus, celebrantes simul Concilia oecumenica, quae depositum fidei ab omni mutatione vindicarunt. Nunc, post diuturnam periodum reciprocae incomprehensionis Dominus tribuit nobis ut iterum velut Ecclesiae sorores inveniamur, non obstantibus difficultatibus quae apud nos interponebantur ».[89] Si hodie, instante iam tertii millennii exordio, plenam communionem restaurare nitimur, mentem ad exsecutionem huius propositi intendere debemus ad eamque omnia referre.

Cum hac praeclara traditione consortio fecunda est pro Ecclesia, Concilium enim asserit « Ecclesias Orientis ab origine habere thesaurum, ex quo plura in rebus liturgicis, in traditione spirituali et in ordine iuridico Ecclesia Occidentis deprompsit ».[90]

Ad hunc « thesaurum » pertinent quoque « divitiae illarum traditionum spiritualium, quas praesertim monachismus expressit ». Etenim in Oriente «inde a gloriosis sanctorum Patrum temporibus floruit spiritualitas illa monastica, quae dein ad occidentales partes manavit ».[91] Sicut iam declaravimus in recentiore apostolica Epistula *Orientale lumen,* Ecclesiae Orientales perstudiose suppeditarunt coenobialis vitae officium « ab evangelizatione initium sumentes, qui est excelsissimus famulatus, quem christianus fratri exhibere valeat, subsequentibus spiritalis corporalisque servitii multis aliis generibus. Immo dici etiam potest monachatus antiquis temporibus — et

[89] **Breve Ap. *Anno ineunte* (25 Iulii 1967): *Tomos Agapis,* Vatican-Phanar (1958-1970), Roma-Istanbul 1971, pp. 388-391.**

[90] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.**

[91] ***Ibid.,* 15.**

passim posterioribus quoque aetatibus — populorum evangelizationis praecipuum fuisse instrumentum ».[92]

Concilium non ea solum in lucem profert, quae Ecclesias in Oriente et in Occidente inter se similes reddunt. Secundum historicam veritatem, Concilium absque haesitatione asserit: «Mirum non est quosdam aspectus mysterii revelati quandoque magis congrue percipi et in meliorem lucem poni ab uno quam ab altero, ita ut tunc variae illae theologicae formulae non raro potius inter se compleri dicendae sint quam opponi ».[93] Donorum permutatio inter Ecclesias in earum ratione completiva fecundam reddit communionem.

58. Ex confirmata communione fidei iam exsistente Concilium Vaticanum II pastoralia sumpsit consectaria quae ad certam definitamque fidelium vitam adque spiritus unitatis promotionem prosunt. Artissimis perpensis vinculis sacramentalibus quibus Ecclesia catholica et Ecclesiae orthodoxae iunguntur, Decretum *Orientalium Ecclesiarum* haec declarat: «Praxis pastoralis demonstrat, ad fratres orientales quod spectat, varia considerari posse et debere singularum personarum adiuncta, in quibus nec unitas Ecclesiae laeditur, nec pericula vitanda adsunt, sed necessitas salutis et bonum spirituale animarum urgent. Ideo Ecclesia catholica, pro temporum, locorum et personarum adiunctis, mitiorem saepe adhibuit et adhibet rationem agendi, salutis media et testimonium caritatis inter christianos omnibus praebens, per participationem in sacramentis aliisque in functionibus et rebus sacris ».[94]

Talis theologica et pastoralis mens, experientia annis post Concilium prae oculis habita, in utroque Codice Iuris Canonici recepta est.[95] Illa sub aspectu pastorali aperte explicata est in *Directorio principiis et normis de Oecumenismo applicandis.*[96]

Hac in tanti ponderis tantaeque simul prudentiae causa diligenter pastores oportet fideles instituant ut clare definitas cognoscant rationes tum talis participationis, quod ad liturgicum pertinet cultum, tum diversarum etiam in hac re regularum.

[92] N. 14: *L'Osservatore Romano,* 2-3 Maii 1995, p. 3.

[93] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 17.

[94] N. 26.

[95] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 844, 2 et 3; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 671, 2 et 3.

[96] PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'œcuménisme* (25 Martii 1993), 122-128: *AAS* 85 (1993), 1086-1088.

Numquam est ecclesiologica praetereunda pars communicationis Sacramentorum, in primis Eucharistiae sacrae.

59. Ex quo tempore instituta est, anno nempe 1979, Commissio permixta internationalis de theologico dialogo catholicam inter Ecclesiam et Ecclesiam orthodoxam simul totam, operam sedulo navavit, suas dirigens inquisitiones eas ad metas quae communi consensione erant prius defixae, ea mente ut inter duas Ecclesias plena redintegraretur communio. Eiusmodi communio innixa fidei unitate in perpetuanda antiquae Ecclesiae exsperientia et traditione suam inveniet plenam significationem in sanctae Eucharistiae celebratione. Adfirmato prorsus animo, singula ea persequens quae nobis sunt communia, mixta illa Commissio longe solideque progredi potuit et, quem ad modum Nos una cum venerabili Fratre Sua Sanctitate Demetrio Primo patriarcha oecumenico nuntiavimus, illuc etiam advenit ut id expresserit « quod catholica Ecclesia et orthodoxa Ecclesia iam possunt communiter profiteri sicut communem fidem de Ecclesiae mysterio deque vinculo inter fidem ac sacramenta ».[97] Comprobare dein quoque potuit commissio et adseverare « nostris in Ecclesiis apostolicam successionem quasi quoddam esse fundamentum ipsius sanctificationis unitatisque Populi Dei ».[98] De locis praecipuis agitur unde dialogus protrahatur. Sed plus etiam subest: communiter hae factae declarationes initium quoddam constituunt quod catholicos et orthodoxos idoneos reddit ut iam nunc, nostris diebus, communem expromant testificationem, fidelem atque concordem, ut Domini nomen nuntietur atque glorificetur.

60. Nuperius eadem illa plurium nationum Commissio significantius aliquid effecit in adeo difficili quaestione de via ac ratione sectanda ad plenam reperiendam inter catholicam Ecclesiam atque Ecclesiam orthodoxam communionem, quae quidem disceptatio necessitudines inter catholicos orthodoxosque crebrius iam exacerbavit. Fundamenta quidem doctrinarum iecit unde apta difficultatis colligeretur solutio, quae in doctrina consistit Ecclesiarum sororum. Quod ad hoc pertinet pariter liquido eluxit modum persequendum usque ad plenam communionem esse dialogum veritatis, qui

[97] **Declaratio Summi Pontificis IOANNIS PAULI PP. II et Patriarchae oecumenici DEMETRII I (7 Decembris 1987): *AAS* 80 (1988), 253.**

[98] **COMMISSIO MIXTA INTERNATIONALIS PRO DIALOGO THEOLOGICO INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET ECCLESIAM ORTHODOXAM SIMUL SUMPTAM, Documentum *Il sacramento dell'Ordine nella struttura sacramentale della Chiesa, in particolare l'importanza della successione apostolica per la santificazione* e *l'unità del popolo di Dio* (26 Iunii 1988), 1: *Service d'information* 68 (1988), 195.**

caritatis item dialogo aleretur ac sustineretur. Ecclesiarum orientalium catholicarum agnitum ius, ut sese rite constituant propriumque expleant apostolatum, sicut et effectiva harum Ecclesiarum implicatio in dialogo caritatis et theologiae, favebunt non tantum verae fraternaeque mutuae observantiae inter catholicos et orthodoxos eodem loco degentes, sed communi etiam eorum officio in conquirenda unitate." Aliquis iam progressus est effectus. At studium continuari debet. Animadvertitur tamen iam animorum placatio, qua fructuosior fit unitatis conquisitio.

Ad orientales autem quod attinet Ecclesias cum Ecclesia catholica fruentes communione, hanc protulerat Concilium aestimationem: « Haec Sancta Synodus, gratias agens Deo quod multi orientales Ecclesiae catholicae filii... iam cum fratribus traditionem occidentalem colentibus in plena communione vivunt, declarat totum hoc patrimonium spirituale ac liturgicum, disciplinare ac theologicum in diversis suis traditionibus ad plenam catholicitatem et apostolicitatem Ecclesiae pertinere ».[100] Adiectione permotae ipsius Decreti de Oecumenismo scient profecto orientales Ecclesiae catholicae solido modo participare dialogum caritatis et dialogum theologicum, tam singulis in locis quam universum per orbem, et ita reciprocae conducent sui ipsarum intellegentiae necnon alacri inquisitioni plenae unitatis.[101]

61. Hoc in rerum prospectu haud quidquam aliud studet Ecclesia catholica quam plenam adsequi inter Orientem et Occidentem communionem. Qua in re experientiam sequitur primi millennii. Hoc enim tempore «Processus differentium experientiarum vitae ecclesialis non impediebat quominus per mutuas necessitudines christiani perstarent in persuasione qualibet in Ecclesia se in domo sua esse, quandoquidem ex omnibus Ecclesiis, mirabili eum quadam linguarum varietate modulationeque, uni Patri, per Christum, in Spiritu, laus efferebatur; cunctae erant coadunatae ad Eucharistiam celebrandam, communitati cor et exemplar non modo quod ad spiritalitatem vitam ve moralem spectat, verum et ad ipsam Ecclesiae structuram, ministeriorum munerumque varietate, praeside Episcopo, Apostolorum

[99] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Epistula ad Episcopos Continentis Europae de rationibus inter catholicos et othodoxos nova in rerum condicione Europae medianae et orientalis (31 Maii 1991), 6: *AAS* 84 (1992), 168.

[100] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 17.

[101] Cfr Epist. Ap. *Orientale lumen* (2 Maii 1995), 24: *L'Osservatore Romano,* 2-3 maggio 1995, p. 5.

successore. Prima concilia hanc in diversitate unitatem liquido testantur ».[102] Quo pacto mille ferme post annis redintegrari potest unitas? Permagnum ecce officium, quod explere illam oportet quodque orthodoxam aequabiliter obstringit Ecclesiam. Hinc praesens percipitur dialogi necessitas luce virtuteque Spiritus Sancti suffulti.

62. Inde a Concilii Vaticani Secundi tempore, diversis modis et rhythmis, fraternas coniunctiones catholica Ecclesia resumpsit cum iis Orientis Ecclesiis vetustis, quae Conciliorum Ephesini et Chalcedonensis dogmaticas improbaverant formulas. Omnes illae Ecclesiae spectatores legatos ad Concilium Vaticanum II miserunt; earum Patriarchae salutationis honore Nos adfecerunt, atque cum illis Romanus Episcopus sic colloqui potuit veluti fratribus qui longum post tempus eadem inveniuntur in laetitia.

Fraternitatis vinculorum renovatio cum veteribus Orientis Ecclesiis, quae christianae fidei testes saepius in adiunctis infestis infelicibusque fuerunt, clare indicat qua via nos Christus consociet, quantumvis impedimenta historiae et rei politicae, societatis et culturae obstent. Et in argumento ipso christologico valuimus Nos coniunctim cum quarundam harum Ecclesiarum Patriarchis communem nostram proclamare fidem in Iesum Christum, verum Deum verumque hominem. Paulus VI venerandae memoriae adfirmationes nonnullas hanc in sententiam consignavit una cum Sua Sanctitate Shenouda III, Papa ac Patriarcha orthodoxo Coptarum,[103] cumque Syro Patriarcha orthodoxo Antiocheno Sua Sanctitate Iacobo III.[104] Talem et Nos consensionem christologicam confirmavimus indeque consectaria aliquot deduximus: ad dialogum excolendum cum Papa Shenouda,[105] ad consociatam pastoralem operam cum Patriarcha Syro Antiocheno Mar Ignatio Zakka I Iwas provehendam.[106]

Venerabili dein cum Patriarcha Ecclesiae Aethiopicae, Abuna Paulos, qui Romae Nos invisit die undecimo mensis Iunii anno 1993, altissimam il-

[102] *Ibid.,* 18, *l.m.,* p. 4.

[103] Cfr Declaratio communis a Summo Pontifice PAULO PP. VI et a S.S. SHENOUDA III, Papa Alexandriae atque Patriarcha Sedis sancti Marci Alexandriae, subscripta (10 Maii 1973): *AAS* 65 (1973), 299-301.

[104] Cfr Declaratio communis a Summo Pontifice PAULO PP. VI et a S. S. MAR IGNATIO IACOBO III, Patriarcha seiunctae Ecclesiae Antiochiae Syrorum, subscripta (27 Octobris 1971): *AAS* 63 (1971), 814-815.

[105] Cfr Allocutio ad legatos Ecclesiae Coptae Orthodoxae, (2 Iunii 1979): *AAS* 71 (1979), 1000-1001.

[106] Cfr Declaratio communis a Summo Pontifice IOANNE PAULO PP. II et a S. S. MORAN MAR IGNATIO ZAKKA I IWAS, Patriarcha Syro-Orthodoxo Antiochiae, subscripta (23 Iunii 1984): *Insegnamenti* VII, 1 (1984), 1902-1906.

Iam extulimus communionem quae has inter duas nostras exsistit Ecclesias: « Ab Apostolis receptae fidei participes sumus, eorundem porro sacramentorum et eiusdem ministerii ex apostolica successione enati [...]. Etenim licet hodie adseverare eandem nos in Christum habere fidem, dum vero ea diutius discidii inter nos fuit causa ».[107]

Eximiam vero nuperius Nobis Dominus laetitiam tribuit, cum communem consignavimus christologicam pronuntiationem cum Patriarcha Assyrio Orientis, Sua Sanctitate Mar Dinkha IV, qui idcirco omnino visum Nos Romam mense Novembri venit anno 1994. Ratione distinctarum formulationum theologica habita, valuimus sic tamen veram in Christum profiteri fidem.[108] Quas omnes propter res gaudium Nostrum Virginis verbis volumus vociferan: «Magnificat anima mea Dominum » *(Lc* 1, 46).

63. Quod spectat ad translaticias dissensiones de christologia, oecumenicae actiones effecerunt ergo ut res suapte ex essentia clarescerent, ita denique ut simul eam testari possemus fidem quae nobis est communis. Iterum sane agnoscendum est hanc tanti momenti consecutionem certe esse inquisitionis theologicae effectum necnon fraterni dialogi. Neque id solum. Hortamento pariter ea nobis est: commonstrat enim nobis viam adhuc emensam rectam esse ac rationabiliter hinc sperare licere reliquarum controversiarum dissolutionem iri inventum.

64. Amplo in illo proposito ac prospectu redintegrandae omnium christifidelium unitatis Decretum de oecumenismo pariter necessitudines pondérât cum Occidentis Ecclesiis cumque communitatibus ecclesialibus. Volens condiciones creare christianae fraternitatis ac dialogi, Concilium collocat monitiones suas intra fines duplicis cuiusdam generalis ordinis: hinc, indolis historicae et psychologicae, illinc naturae doctrinalis et theologicae. Hinc docet praedictum documentum: « Ecclesiae et Communitates ecclesiales quae vel in gravissimo illo rerum discrimine, quod in Occidente iam ab Apostolica Sede Romana separatae sunt, cum Ecclesia catholica peculiari affinitate ac necessitudine iunguntur ob diuturnam populi christiani vitam praeteritis saeculi in ecclesiastica communione peractam ».[109] Aliunde autem persimili veritate animadvertitur: « Attamen agnoscendum est inter has Ecclesias et

[107] Allocutio ad Suam Sanctitatem Abuna Paulos, Patriarcham Ecclesiae Orthodoxae Aethiopiae (11 Iunii 1993): *L'Osservatore Romano,* 11-12 Iunii 1993, p. 4.

[108] Cfr Declaratio christologica communis inter Ecclesiam catholicam et Ecclesiam Assyriam Orientis: *L'Osservatore Romano,* 12 Novembris 1994, p. 1.

[109] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 19.

Communitates atque Ecclesiam catholicam magni ponderis discrepantias adesse, non tantum indolis historicae, sociologicae, psychologicae, culturalis, sed imprimis interpretationis revelatae veritatis ».[110]

65. Radices sunt quidem communes suntque similes, quamvis distinctae, ipsae rationes quae direxerunt in Occidente progressum Ecclesiae catholicae et Ecclesiarum Communitatumque ex Reformatione exortarum. Communem igitur illae possident occidentalem notam. « Diversitates » illae licet graves haud excludunt ergo mutuas insertiones completionesque.

Primos gradus effecit oecumenicus motus intra Reformationis Ecclesias et Communitates. Eodem vero tempore, et iam mense Ianuario anno 1920, oecumenicus Patriarchatus optare se nuntiavit ut christianas inter communiones adiutrix quaedam institueretur opera. Id etiam comprobat non primarium esse culturalium adiunctorum pondus. Ad essentiam, contra, fidei quaestio pertinet. Christi unius Domini nostri Redemptoris et Magistri precatio omnes pariter appellat, Orientem nempe atque Occidentem. Necessitas illa fit et praeceptum quod dissensiones abici iubet, ut conquiratur et denuo reperiatur unitas ab iis qui acerbis ipsis impellantur discidii experientiis.

66. Describere non vult Concilium Vaticanum II christianam religionem « post Reformationem », cum Ecclesiae ecclesialesque Communitates « non tantum a nobis, sed etiam inter se non parum differant » et id quidem propter diversitatem originis, doctrinae et vitae spiritualis ».[111] Notat insuper Decretum idem oecumenicum motum concordiaeque cum catholica Ecclesia cupidinem nondum ubique inveteravisse.[112] His tamen sepositis circumstantiis dialogum suadet Concilium.

Contendit deinde conciliare Decretum « quaedam efferre [...] quae fundamentum huius dialogi atque incitamentum esse possunt ».[113] « Mens nostra eos imprimis Christianos respicit, qui Iesum Christum ut Deum ac Dominum et unicum mediatorem inter Deum et homines palam confitentur ad unius gloriam Dei, Patris et Filii et Spiritus Sancti».[114]

Amorem porro hi fratres excolunt et Sacrorum Litterarum venerationem: « Spiritum Sanctum invocantes, in ipsis Sacris Scripturis Deum inquirunt quasi sibi loquentem in Christo, a Prophetis praenuntiatio, Verbo Dei

[110] *Ibid.*
[111] *Ibid.,* 19.
[112] Cfr *ibid.*
[113] *Ibid.*
[114] *Ibid.,* 20.

pro nobis incarnato. In iis vitam Christi contemplantur et ea quae Divinus Magister ad salutem hominum docuit et peregit mysteria praesertim mortis eius et resurrectionis [...]; auctoritatem divinam Sacrorum Librorum affirmant».[115] Simul tamen «aliter ac nos [...] sentiunt de habitudine Scripturas inter et Ecclesiam, in qua, secundum fidem catholicam, magisterium authenticum peculiarem obtinet locum in verbo Dei scripto exponendo et praedicando ».[116] « Nihilominus Sacra Eloquia in ipso dialogo [oecumenico] eximia sunt instrumenta in potenti manu Dei ad illam unitatem adipiscendam, quam Salvator omnibus hominibus exhibet ».[117]

Baptismatis praeterea sacramentum, quod commune nobis est, «vinculum unitatis sacramentale constituit vigens inter omnes qui per illum regenerati sunt ».[118] Theologica vero et pastoralia et oecumenica communis huius Baptismi consectaria complura sunt et pergravia. Quamquam ex se Baptisma « dumtaxat initium et exordium » praestat, nihil setius « ordinatur ad integram fidei professionem, ad integram incorporationem in salutis institutum, prout ipse Christus illud voluit, ad integram denique in communionem eucharisticam insertionem ».[119]

67. De doctrina rebusque historicis dissensiones exstiterunt Reformationis tempore, nempe de Ecclesia et Sacramentis et Ministerio ordinato. Quocirca postulat Concilium ut « doctrina circa Cenam Domini, cetera sacramenta et cultum ac Ecclesiae ministeria obiectum dialogi constituat ».[120]

Dum indicat Decretum *Unitatis redintegratio* quomodo Communitatibus post Reformationem «deficiat... plena nobiscum unitas ex Baptismate profluens », monstrat « illas, praesertim propter sacramenti Ordinis defectum, genuinam atque integram substantiam Mysterii eucharistici non servasse », etiamsi « in Sancta Cena mortis et resurrectionis Domini memoriam faciunt, vitam in Christi communione significari profitentur atque gloriosum Eius adventum exspectant ».[121]

68. Nec spiritalem vitam silentio praeterit Decretum nec morales consecutiones: « Christiana horum fratrum conversatio fide in Christum alitur,

[115] *Ibid.,* 21.
[116] *Ibid.*
[117] *Ibid.*
[118] *Ibid.,* 22.
[119] *Ibid.*
[120] *Ibid.,* 22; cfr 20.
[121] *Ibid.,* 22,.

Baptismatis gratia et verbo Dei audito fovetur. Manifestatur quidem in oratione privata, in meditatione biblica, in familiae christianae vita, in cultu communitatis ad laudem Dei congregatas Ceteroquin cultus eorum nonnumquam elementa conspicua communis antiquae liturgiae prae se fert ».[122]

Non aspectus autem dumtaxat spiritales morales culturales exponit conciliare idem documentum, sed magni etiam aestimat iustitiae veraeque caritatis erga proximum sensum vivum qui invenitur in his fratribus; nec praeterea eorum neglegit opera, quo humaniores reddantur vitae sociales condiciones ipsaque reparetur pax. Haec omnia sincera ex illa voluntate adhaerescendi ad Christi verbum velut christianae vitae scaturiginem.

Quaestionem hoc modo documentum movet quae ethica-morali in causa magis magisque nostris diebus instat: « Inter Christianos multi non semper [...] eadem ratione atque Catholici Evangelium in re morali intellegunt».[123] In hac lata provincia magnum relinquitur spatium dialogo de moralibus Evangelii principiis eorumque usurpatione.

69. Optata ea Concilii Vaticani II atque invitamentum iam sunt ad effectum adducta, atque theologicus dialogus utrimque est paulatim promotus variis cum Ecclesiis et christianis totius orbis Occidentalis Communitatibus.

Ceterum, ad dialogum multilateralem quod spectat, iam anno 1964 coeptus est componi « Coetus Mixtus Operis » cum Oecumenico Ecclesiarum Consilio atque anno 1968 tamquam iure pleno participes theologi catholici intraverunt eiusdem Consilii theologicam partem, Commissionem nuncupatam « Fides et Constitutio ».

Fuit estque adhuc ferax dialogus exspectationum refertus.

Proposita in conciliari Documento argumenta veluti colloquendi materia iam sunt tractata moxque pariter tractabuntur. Plurium dialogorum bilateralium deliberationes, animo sane operibus ita dedito ut totius oecumenicae communitatis promereatur laudem, intentae sunt in multiplices controversas quaestiones, quales sunt Baptismus, Eucharistia, Ministerium ordinatum, sacramentalis natura auctoritasque Ecclesiae, apostolica successio. Sic quidam solutionum insperatarum modi adumbrati sunt eodemque tempore intellectum est quam esset necesse altius quaedam pervestigari argumenta.

70. Difficilem hanc et magnae prudentiae inquisitionem, quae secum nempe quaestiones infert fidei et observantiae conscientiarum tum propriae

[122] ***Ibid.*, 23.**
[123] ***Ibid.***

tum cuiusvis alterius, comitata semper est ac sustentavit precatio catholicae Ecclesiae ceterarumque Ecclesiarum et ecclesialium Communitatum. Pro unitate supplicatio, ita tam penitus infixa et diffusa in ipso ecclesiali arto contextu, comprobat nimirum haud praeterire christianos totius causae oecumenicae momentum. Propterea quod conquisitio plenae unitatis comparationem fidei deposcit inter credentes qui ad unicum se referunt Dominum, fons luminis est precatio super veritate quae 'omnis et integra est amplexanda.

Porro, per precem, inquisitio unitatis tantum abest ut ad regionem solorum peritorum relegetur ut ad omnem potius protendatur baptizatum. Valent omnes, arcana quadam et intima ratione, actuose prodesse, quodcumque eorum in Ecclesia munus est aut culturalis institutio.

71. Agantur divinae Providentiae grates etiam oportet singulis de eventibus qui in via quaerendae unitatis testificantur progressionem. Cum theologico dialogo aliae congruenter commemorantur congressionis formae, communis precatio atque cotidiana actuosa cooperatio. Huic processui validam addidit impulsionem Summus Pontifex Paulus VI, cum Consilii Ecclesiarum Oecumenici sedem Genavae die decimo mensis Iunii anno 1969 invisit, saepiusque conveniendo legatos diversarum Ecclesiarum et Communitatum ecclesialium. Efficienter hae necessitudines adiuvant ut mutua cognitio provehatur augeatur que fraternitas christiana.

Per suum perbrevem pontificatum Summus Pontifex Ioannes Paulus I non semel velle se prosequi dixit idem iter.[124] Nobis autem concessit Dominus ut hanc operemur in viam. Praeter magni momenti Romae oecumenicus congressus, magna itinerum Nostrorum pastoralium pars fere destinatur ad testificandum pro christianorum unitate. Quin immo prae se ferunt quaedam itinera Nostra « principatum » omnino oecumenicum, iis praesertim in nationibus ubi catholicae communitates minor sunt pars inter communitates temporis post Reformationem, vel ubi magnam hae multitudinem constituunt credentium in Christum apud certam quandam societatem.

72. Valet hoc ad civitates Europaeas maxime, ubi discidia haec sunt primitus exorta necnon ad Americam Septemtrionalem. Hac in re, nihil profecto aliis de Nostris itineribus detrahentes, notamus merito peregrinationes illas quae in ipsa terra Continenti Europae bis in Germaniam Nos conduxerunt, Novembri mense anno 1980 et Aprili-Maio anno 1987; saluta-

[124] Cfr Nuntius radiophonicus *Urbi et Orbi* (27 Augusti 1978): *AAS* 70 (1978), 695-696.

tionem in Magna Britannia (Anglia, Caledonia, Vallia) mensibus Maio-Iunio anno 1982; in Helvetia mense Iunio anno 1984, et in Neerlandia, mense Maio anno 1985; apud civitates Scandinavas et septemtrionales (Finniam, Suetiam, Norvegiam, Daniam et Islandiam), quo mense Iunio Nos contulimus anno 1989. Laetantes sane, mutuo omnes observantes, necnon christianam necessitudinem precationemque, tot convenimus fratres incumbentes omnes in persequendam Evangelio fidelitatem. Incitamento permagno ac solacio fuit Nobis harum rerum experientia. Adesse Dominum inter nos plane sumus experti.

Hic actum quendam memorare volumus, fraterna caritate excitatum permeatumque altissima fidei claritate; quo intimo nos intentoque affecti sumus sensu. De eucharisticis loquimur celebrationibus quibus in Finnia et Suetia praefuimus in itinere ad septemtrionales nationes et Scandinavas. Ipsius communionis tempore Lutherani episcopi ad celebrantem accesserunt. Concordi enim signo declarare voluerunt quantum cuperent id pervenire ad momentum, cum catholici et lutherani poterimus nos eandem participare Eucharistiam, atque petiverunt celebrantis benedictionem. Amanter ipsis benedictionem impertivimus. Eadem dein actio tanta abundans significatione Romae repetita est in Missae sacrificio quod in Area Farnesiana celebravimus, sexta recurrente centenaria memoria a sancta Brigida in sanctarum fastos relata, die nempe sexto mensis Octobris anno 1991.

Consimiles deprehendimus sensus et adfectus etiam ultra Oceanum, in Canadia, mense Septembri anno 1984; ac praesertim mense Septembri anno 1987 in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, ubi magna percipitur oecumenica apertio. Ut exemplum adferamus, hoc accidit in oecumenica congressione Columbiae in Carolina Australi die undecimo mensis Septembris anno 1987. Quod crebro hi eveniunt congressus inter fratres «post Reformationem» atque Romanum Pontificem, omnino iam magni ponderis res est. Gratias ex animo habemus quoniam benigne Nos illi susceperunt tum praefecti singularum Communitatum tum integrae ipsae Communitates. Hac profecto ratione, iudicamus valde significantem oecumenicam Verbi celebrationem quae Columbiae contigit, cuiusque familia fuit argumentum.

73. Est praeterea quod vehementer laetemur, cum luculenter constet hoc post concilium intervallo singulas apud Ecclesias locales incepta fervere atque opera pro christifidelium unitate, quae amplam suam vim inter Conferentias episcopales, singulas dioeceses et paroeciales communitates propagant, sicut etiam inter varios motus et ambitus ecclesiales.

74. « Non omnis, qui dicit mihi: "Domine Domine" intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est» *(Mt* 7, 21). Congruentia integritasque voluntatum et adfirmationum ad principia pertinentium tum tantum comprobantur, cum ad vitam cotidianam adhibentur. Conciliare Decretum de oecumenismo illud apud reliquos christianos animadvertit: « Fides qua Christo creditur fructus edit in laude et gratiarum actione pro beneficiis divinitus acceptis; accedit vivus iustitiae sensus et sincera caritas in proximum ».[125]

Quem modo descripsimus, fertilis est campus non solum ad dialogum, verum etiam ad actuosam communicatam operam: « Operosa fides haud pauca etiam instituta ad miseriam spiritualem et corporalem sublevandam, ad iuventutis educationem excolendam, ad sociales vitae condiciones humaniores reddendas, ad Pacem universim constabiliendam protulit ».[126]

Oecumenicae cooperationis campum latissimum socialis et culturalis praebet vita. Crebrius usque una iunguntur christiani ut humanam tutentur dignitatem, ut pacis promoveant bonum, ut Evangelii socialem provehant usum, ut in disciplinis artibusque animum christianum magis reddant praesentem. Saepius usque consentientes inveniuntur, cum interest necessitatibus ac miseriis occurrere temporis nostri, nempe fami, calamitatibus et socialibus iniustitiis.

75. Adiutrix haec opera sociata, quae ipso ex Evangelio suum trahit impetum, numquam Christifidelibus pura est humana quaedam actio. Habet enim cur sit in verbo Domini: « Esuri vi enim, et dedistis mihi manducare » *(Mt* 25, 35). Sicut in luce posuimus, universorum industria christianorum luculenter illum gradum commonstrat communionis qui inter eos iam diu exsistit.[127]

Coram omni orbe consociata christianorum actio intra societatem praeclarum igitur documentum prae se fert testificationis simul redditae Domini nomini. Quandam immo induit nuntiationis naturam cum Christi ostentet vultum.

Quae supersunt doctrinarum diversitates male adficiunt circumscribuntque ipsam hanc cooperationem. Vigens iam inter christifideles fidei communio solida tamen praebet fundamenta non modo communis eorum operae rebus in socialibus, verum in religionis etiam provincia.

[125] **CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo** ***Unitatis redintegratio,*** **23.**

[126] ***Ibid.***

[127] **Cfr** ***ibid.,*** **12.**

Unitatis expediet conquisitionem haec actuositas communis. Decretum de oecumenismo animadvertit ex eadem: « Omnes qui in Christum credunt facile addiscere » posse, « quomodo alii alios melius cognoscere et pluris aestimare queant atque ad unitatem Christianorum via sternatur ».[128]

76. Quis vero hoc loco oecumenici non recordetur studii pacis persequendae quod in precibus actibusque declaratur, pluribus usque christianis eadem communicantibus atque altiore semper addita theologica ratione? Aliter quidem fieri non potest. Nonne fidem enim in Christo reponimus Principe pacis? Solidius in dies conglobantur christiani omnem repudiantes violentiam, genus violentiae omne, bella socialemque iniustitiam.

Incitamur ad impigrius usque munus, quo liquidius eluceat religiosas causas haud veram esse contentionum hodiernarum rationem, licet — pro dolor — periculum non amotum sit ne politicos bellicosve ad fines eae causae detorqueantur.

Assisii anno 1986, recurrente Internationali Die Precationis Pro Pace, diversarum Ecclesiarum christifideles ecclesialiumque Communitatum saeculorum regem Dominum historiae una imploraverunt voce omnes pro totius orbis pace. Eodem illo die, distincte sed similiter, pacem Hebraei petiverunt necnon religionum non christianarum legati, mirabili quadam animorum consonantia quae ut mentis hominis intima maxime emicarent perfecit.

Omittere dein minime volumus Precationis Diem pro Europaea pace potissimum in Balcaniae regionibus, qui nos peregrinos in sancti Francisci oppidum die nono ac decimo mensis Ianuarii anno 1993 reduxit, nec Missae Sacrificium pro pace in Balcanis nominatimque in Bosnia - Herzegovia, cui praesedimus die vicesimo tertio mensis Ianuarii anno 1994 in Petriana Basilica intra illam Hebdomadam precationis pro Christianorum unitate.

Perlustrantibus nobis terrarum orbem laetitia in animum nostrum infunditur. Christifideles enim plus plusque permoveri cernimus pacis ipsa causa quam videlicet cum Evangelii nuntiatione arcte copulari censent ipsiusque Regni Dei cum adventu.

77. Nunc quaerere possumus quantum itineris nos seiungat ab illo felici die, cum plena unitas in fide perficietur et uno animo sanctam Domini Eucharistiam celebrare poterimus. Quae iam amplior intercedit nostrum omnium cognitio atque adeptae doctrinarum concordiae quae re et volunta-

[128] *Ibid.*

te auctum communionis importarunt, sufficere non possunt christianorum conscientiae qui profitentur Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Novissimus finis oecumenici motus est visibilis redintegratio plenae unitatis omnium baptizatorum.

Pro hac meta, omnia quae usque ad hoc tempus obtenta sunt, quaedam tantum sunt itineris pars, quamvis de ea bene sperare liceat et perutilis sit.

78. In oecumenico motu non catholicae Ecclesiae tantum una cum orthodoxis Ecclesiis haec est gravis unitatis notio ad Dei voluntatem. In hanc unitatem proclivitas etiam ab aliis manifestatur.[129]

Oecumenismus requirit ut christianae Communitates inter se adiuvent, ut in eis vere adsint quae omnino continentur et postulantur ab « hereditate quam Apostoli transmiserunt ».[130] Si haec absunt, plena communio effici non potest. Mutuum hoc adiumentum in veritate perquirenda forma est suprema evangelicae caritatis.

Unitatis inquisitio significata est variis in documentis quae complures internationales permixtae dialogi Commissiones ediderunt. His in scriptis de Baptismo, Eucharistia, Ministerio et Auctoritate agitur, initio capto a quadam doctrinae primaria unitate.

Ab hac primaria unitate, at haud tamen integra, ad visibilem necessariam et sufficientem unitatem nunc transeundum est, quae ipsa re exprimatur, ut Ecclesiae perficiant signum illius plenae communionis in una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia, quae in eucharistica celebratione manifestabitur.

Iter hoc ad unitatem visibilem necessariam et sufficientem, in communione unius Ecclesiae quam Christus voluit, constantem animosamque operam poscit. In hac re explenda necesse est nihil ultra imponere oneris praeter necessaria (Cfr *Act* 15, 28).

79. Iam nunc argumenta finiri possunt pervestiganda, ad verum fidei assensum adipiscendum, nempe: 1) inter Sacram Scripturam ratio, quae summa auctoritate de fide pollet, et sacram Traditionem, quae est omnino

[129] Opus, quod perseveranter explevit Commissio « Fides et Constitutio » ad simile pervenit iudicium, quod VII Coetus Consilii oecumenici Ecclesiarum probavit in declaratione, quam Camberrae dicunt (7-20 Februarii 1991, cfr *Signs of the Spirit,* Officiai Report Seventh Assembly, WCC, Geneva 1991), quodque deinceps ab universali Congressione Commissionis « Fides et Constitutio » est confirmatum Compostellana in urbe (3-14 Augusti 1993, cfr *Service d'information,* 85 (1994), 18-38.

[130] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.

necessaria ad Dei verbum explicandum; 2) Eucharistia, sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, ad Patris laudem oblatio, memoriale sacrificii et realis Christi praesentia, Spiritus Sancti sanctificans effusio; 3) Ordinatio, veluti sacramentum, ad triplex ministerium, episcopatum scilicet, presbyteratum et diaconatum; 4) Ecclesiae Magisterium, Summo Pontifici demandatum Episcopisque cum eo coniunctis, intellectum tamquam officium et auctoritas Christi nomine fidei tradendae servandaeque gratia; 5) Virgo Maria, Dei Mater et Ecclesiae Icon, spiritalis Mater quae pro Christi discipulis intercedit et pro cuncta humanitate.

Hoc in alacri ad unitatem itinere, fidei claritas et prudentia iubent ut falsum irenismum vitemus atque Ecclesiae normarum neglegentiam.[131] E contra eadem claritas eademque prudentia nobis suadent ut segnitiam fugiamus in officio sustinendo unitatis, atque magis etiam praeiudicatam oppositionem vel rerum evertendarum studium, quod in malam partem omnia accipit.

Unitatis visionem tenere, quae omnes veritatis revelatae postulationes complectatur, non sibi vult oecumenicum motum coercere.[132] Immo vult ut fleti commodique exitus vitentur, ex quibus nihil oriatur firmi ac solidi.[133] Veritas enim postulat ut usque ad estrema perveniatur. Nonne haec est Evangelii lex?

80. Dum dialogus de novis argumentis producitur vel altius evolvitur, obeundum prostat novum munus, quomodo scilicet effectus ad hoc usque tempus adepti recipiantur. Ipsi veluti pronuntiationes utriusque partis Commissionum haerere non possunt, at commune patrimonium evadere debent. Ut id eveniat vinculaque sic communionis solidentur, acri vestigatione opus est, quae modis, rationibus, muneribus diversis, Dei populum complecti in universum debet. De quaestionibus enim agitur quae saepe ad fidem pertinent, quaeque universalem assensum postulant, ad Episcopos fidelesque laicos respicientem, qui omnes Spiritus Sancti unctionem receperunt.[134] Idem est Spiritus qui Magisterium sustinet atque sensum fidei concitat.

Ut dialogi effectus recipiantur amplo meditatoque iudicandi processu opus est, ut ii inquirantur atque acriter eorum convenientia perpendatur

[131] Cfr *ibid., 4* et 11.

[132] Cfr Oratio ad Cardinales adque Curiam Romanam (28 lumi 1985), 6: *AAS* 77 (1985), 1153.

[133] Cfr *ibid.*

[134] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 12.

cum fidei Traditione, ab Apostolis transmissa, quam credentium communitas iuxta Episcopum coadunata experta est, legitimum eius Pastorem.

81. Processus hic, prudenter sane et fidei mente efficiendus, a Spiritu Sancto sustentabitur. Ut ipse prospere succédât, oportet eius effectus opportune ab idoneis personis vulgentur. Quocirca magni est momenti opus, quod theologi theologicaeque facultates praestare possunt, suum charisma in Ecclesia explentes. Prorsus insuper liquet oecumenicas Commissiones officium munusque hac de re omnino singularia sustinere.

Totum processum persequuntur iuvantque Episcopi et Apostolica Sedes. Docentis auctoritatis est novissimam ferre sententiam.

Toto in hoc negotio, multum iuvabit distinctionem certa ratione sequi, inter fidei depositum et formam quo ipsum significatur, quem ad modum Summus Pontifex Ioannes XXIII in Concilio Vaticano II incohando sua allocutione edixit.[135]

82. Plane intellegitur quomodo oecumenicum opus funditus fideles catholicos interroget. Eosdem Spiritus ad attentam sui recognitionem elicit. Catholica Ecclesia ingredi debet « conversionis dialogum », qui dicitur, in quo interius fundamentum residet oecumenici dialogi. In hoc autem dialogo, qui coram Deo instituitur, unusquisque sua errata perquirere debet, suas culpas confiteri, atque se manibus concredere Illius qui est apud Patrem Intercessor, Iesus Christus.

Procul dubio hac in necessitudine conversionis ad Patris voluntatem simulque penitentiae perfectaeque fiduciae in reconciliatrice veritatis vi, quae est Christus, robur invenitur ut longa difficilisque oecumenica peregrinatio ad finem adducatur. « Conversionis dialogus » cuiusque communitatis cum Patre sine ulla pro se indulgentia, fundamentum est fraternarum necessitudinum, quae aliud sint quam comis quaedam conventio aut plane exterior convivialis consuetudo. Fraternae koinoniae vincula coram Deo sunt conectenda et in Iesu Christo.

Dumtaxat coram Deo se sistere solidum praebere potest fundamentum illius conversionis singulorum christianorum et illius perennis reformationis Ecclesiae, qua humani et terreni quoque instituti,[136] quae in antecessum postulantur, ut omne oecumenicum opus obeatur. Dialogi oecumenici inter praecipuas agendi rationes conatus annumeratur christianas Communitates

[135] Cfr *AAS* 54 (1962), 792.

[136] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 6.

implicandi hoc spiritali spatio, prorsus interiore, in quo Christus, per Spiritus vim, easdem omnes concitat, sine exceptione, ut se coram Patre ipsae perpendant seseque interrogent fuerintne fideles de Ecclesia eius consilio.

83. De Patris voluntate sumus locuti, de spiritali spatio, in quo omnis communitas rogatui paret ad unitatis impedimenta tollenda. Nunc cunctae Communitates christianae sciunt hanc necessitatem, hanc impedimentorum ablationem, Spiritu vim opemque ferente, haud extra suas facultates esse. Omnes enim fidei christianae martyres recensent.[137] Tametsi in seiunctionis acerbitate fuerunt, fratres hi Christo eiusque Patri adhaesionem in se ipsi tam funditus penitusque servarunt, ut usque ad sanguinis effusionem pervenirent. At nonne hoc studium est devocandum in id quod « conversionis dialogum » significavimus? Nonne ipse hic dialogus necessitatem confirmat veritatem penitus experiendi ad plenam communionem consequendam?

84. Illo in rerum prospectu, cuius Deus medium occupat locum, nobis christianis iam commune est Martyrologium. Id nostri quoque saeculi martyres complectitur, plures sane quam quis suspicari potest, quod porro altis rationibus demonstrat quem ad modum Deus inter baptizatos communionem servet in suprema fidei necessitate, quam vitae sacrificio ostenderunt.[138] Si autem possibile est pro fide mori, id ostendit metam attingi posse, cum de aliis eiusdem causae necessitatibus agitur. Animadvertimus iam, et laetanter quidem, communionem, imperfectam sed veram, servari in multis ecclesialis vitae gradibus et adolescere. Consummatam nunc esse ipsam arbitramur in eo quod omnes nos vitae christianae culmen existimamus, in martyria scilicet usque ad mortem, verissima cum Christo communio, qui sanguinem suum effundit et hoc in sacrificio proximos reddit eos qui quondam longinqui erant (cfr *Eph* 2, 13).

Si quidem cunctis christianis Communitatibus martyres virtutis gratiae sunt argumento, non tamen ipsi uni hanc virtutem testantur. Quamvis conspici non possit, haud plena adhuc nostrarum communitatum communio arte reapse coagmentatur in plena communione sanctorum, eorum scilicet qui, terreno vitae gratiae fideli expleto cursu, in communione sunt

[137] Cfr *ibid.,* 4; PAULUS PP. VI, Homilia de martyrum Ugandensium canonizatione (18 Octobris 1964): *AAS* 56 (1964), 906.

[138] Cfr IOANNES PAULUS PP. II, Ep. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 37: *AAS* 87 (1995), 29-30; Litt. Encycl. *Veritatis splendor* (6 Augusti 1993), 93: *AAS* 85 (1993), 1207.

Christi gloriosi. Sancti hi ad omnes Ecclesias ecclesialesque Communitates pertinent, quae eis aditum ad salutis communionem reseraverunt.

Quotiescumque de communi patrimonio fit sermo sunt recensenda in eo non modo institutiones, ritus, salvationis instrumenta, translaticiae consuetudines quae omnes communitates servaverunt quibusque ipsae sunt effictae, sed primo et ante omnia haec sanctitatis veritas.[139]

In splendore manante a « patrimonio sanctorum » pertinentium ad omnes communitates, « conversionis dialogus » ad plenam visibilem que unitatem tunc sub lumine spei manifestatur. Haec enim sanctorum universalis praesentia transcendentiam comprobat Spiritus potentiae. Signum quippe est et documentum Dei victoriae de mali potentiis, quae humanitatem dividunt. Sicut sacrae liturgiae cantant, Sanctorum « coronando merita tua dona coronas ».[140]

Ubi vera exstat Christi sequendi voluntas, saepe suam gratiam effundere scit Spiritus in semitas ab ordinariis diversas. Oecumenica experientia effecit ut id melius intellegeremus. Si in spiritali spatio interiore, cuius fecimus mentionem, Communitates ad plenam visibilemque communionem perquirendam « convertentur », pro ipsis patrabit Deus quod pro earum sanctis. Ipse impedimenta amovebit quae praeterita tempora posuerunt, easdemque per suas semitas ducet quo ille vult: ad visibilem scilicet koinoniam, quae est simul eius gloriae laus, simul servitium eius consilii Salutis.

85. Quandoquidem Deus in interminata sua misericordia semper bonum ex condicionibus quoque erga eius consilium contumeliosis valet eruere, detegere tum possumus effecisse Spiritum ut quibusdam in casibus dissentiones inservirent ad clariores reddendas rationes partesve vocationis christianae, sicut accidit in sanctorum vita. Quamvis scissurae in particulas factae sint, ex quo malo convalescere debemus, gratiae divitiarum communicatio quodammodo peracta est, qua koinonia tandem exornabitur. Dei gratia omnes complectetur, qui, sanctorum exempla persequentes, eiusdem proposita obire satagunt. Nos vero quid sequi cunctamur id quod Pater exspectat? Ipse nobiscum est.

[139] Cfr. Paulus pp. vi, Sermo in claro Urbis Namugongo (Ugandae) templo habitus (2 Augusti 1969): *AAS* 61 (1969), 590-591.

[140] Cfr *Missale Romanum, Praefatio de Sanctis I:* « Sanctorum "coronando merita, tua dona coronas" ».

86. Constitutio *Lumen gentium* sua in quadam primaria sententia, quam Decretum *Unitatis redintegratio* recinit,[141] edicit unicam Christi Ecclesiam subsistere in Ecclesia catholica.[142] Decretum de Oecumenismo confirmat in ea inesse salutis instrumentorum plenitudinem.[143] Plena autem unitas tum efficietur, cum omnes plenitudinem participabunt salutis instrumentorum quae Christus Ecclesiae concredidit.

87. In itinere ad plenam unitatem procedente, oecumenicus dialogus studet ad fraternum mutuumque adiumentum concitandum, quo communitates enituntur inter se id permutare quo opus est, ut secundum Dei consilium crescant ad consummatam usque plenitudinem (cfr *Eph* 4, 11-13). Nos esse conscios diximus, utpote Ecclesiam catholicam, nos multum excepisse ex testificatione, inquisitione, immo etiam ex ratione ipsa qua aestimata sunt et adhibita ab aliis Ecclesiis ecclesialibusque Communitatibus quaedam bona christiana communia. Inter confectos proximis triginta superioribus annis progressus, conspicuus tribuendus est locus fraternae mutuaeque huic actioni. In itineris parte ad quam pervenimus,[144] eiusmodi vis dynamica mutui incrementi serio animo est consideranda. Cum vero in communione, quae iam adest, innitatur, ob ecclesialia elementa in christianis Communitatibus exstantia, eadem ad plenam visibilemque communionem propellet, metam scilicet exoptatam itineris quod nunc conficimus. Oecumenica est forma evangelicae consortionis legis. Hoc nos movet ad iterandum: « Oportet omnibus in rebus curam ostendere iis occurrendi, quae fratres nostri christiani iure a nobis optant et exspectant, eorum cognita cogitandi ratione eorumque sensu. Oportet uniuscuiusque dona crescant in omnium utilitatem et commodum ».[146]

88. Inter omnes Ecclesias Communitatesque ecclesiales, catholica Ecclesia sibi conscia est se Successoris Petri apostoli, Episcopi Romani, ministerium conservasse, quem «unitatis [...] perpetuum ac visibile principium et

[141] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 4.

[142] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 8.

[143] Cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 3.

[144] Post Documentum Limanum, quod dicitur, Commissionis quae est « Fides et Constitutio » de *Baptismo, Eucharistia, Ministerio* (Ianuario 1982): *Ench. Oecum.* 1, 1392-1446, atque ad mentem Declarationis VII conventus generalis Consilii Oecumenici Ecclesiarum de *Unitate Ecclesiae sicut koinonia: donum et necessitas* (Camberrae, 7-20 Februarii 1991): cfr *Istina,* 36 (1991), 389-391.

[146] Allocutio ad Cardinales Curiamque Romanam (28 Iunii 1985), 4: *AAS* 77 (1985), 1151-1152.

fundamentum »[146] constituit Deus atque Spiritus sustentat, ut ceteris cum omnibus hoc primarium bonum communicet. Secundum Gregorii Magni Summi Pontificis expolitum effatum niinisterium Nostrum significat illud servus servorum Dei. Definitio haec optima quidem ratione a periculo eripit ne potestas (primatus potissimum) a ministerio seiungatur, quod iuxta Evangelium potestatis significationi adversatur: «Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat» *(Lc* 22, 27), dicit Dominus noster Iesus Christus, Ecclesiae Caput. Quemadmodum autem in conventu Consilii Oecumenici Ecclesiarum Genavae, die 12 mensis Iunii anno 1984, enuntiavimus, catholicae Ecclesiae persuasio se in fidelitate erga apostolicam traditionem Patrumque fidem, in Episcopi Romani ministerio servasse visibile signum et unitatis vadem, difficultas quaedam plerisque ceteris christianis exsistit, quorum memoria quibusdam acerbis recordationibus notatur. Quarum rerum prout fuimus causa, cum Paulo VI, Praedecessore Nostro, veniam petimus.[147]

89. Significans res tamen est et magnae spei Episcopi Romani primatus quaestionem nunc perquiri vel in prospectu; significans quidem res est et magnae spei hanc quaestionem adesse veluti primarium argumentum non modo in dialogis theologicis quos instituit Ecclesia catholica cum reliquis Ecclesiis et Communitatibus ecclesialibus, verum etiam universaliore ratione in oecumenici motus ordine. Nuper quinti conventus universalis Commissionis, cuius titulus « Fides et Constitutio », Consilii oecumenici Ecclesiarum participes, qui Compostellana in urbe peractus est, suaserunt ut « rursus quaestio poneretur de universali ministerio unitatis christianae».[148] Acrium contentionum post saecula, reliquae Ecclesiae ecclesiaeque Communitates plus plusque renovata mente unitatis hoc ministerium rimantur.[149]

[146] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 23.

[147] Cfr Sermo ad Oecumenicum Ecclesiarum Consilium (12 Iunii 1984), 2: *Insegnamenti* VII, 1 (1984), 1686.

[148] UNIVERSALIS CONFERENTIA COMMISSIONIS QUAE EST « FIDES ET CONSTITUTIO », II Sectionis relatio, Compostellana in urbe (14 Augusti 1993): *Confessing the one faith to God's glory,* 31, 2, Faith and Order Paper n. 166, WCC Geneva 1994, p. 243.

[149] Ut nonnulla dumtaxat supponantur exempla: *Novissima relatio* effecta ab Anglican-Roman Catholic International Commission - ARCIC I (Septembri 1981): *Ench. Oecum.* 1, 3-88; COMMISSIO PERMIXTA INTERNATIONALIS AD DIALOGUM INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET CHRISTI DISCIPULOS INSTITUENDUM, *Relatio 1981: Ench. Oecum.* 1, 529-547; COMMISSIO PERMIXTA NATIONALIS CONIUNCTA CATHOLICA ET LUTERANA, DOCUMENTUM *Ministerium pastorale in Ecclesia* (13 Martii 1981): *Ench. Oecum.* 1, 703-742; quaestio dilucide describitur in inquisitione COMMISSIONIS PERMIXTAE INTERNATIONALIS PRO DIALOGO THEOLOGICO INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET ECCLESIAM ORTHODOXAM ET UNIVERSAM.

90. Episcopus Romanus Episcopus est Ecclesiae quae Petri Paulique martyrii servat vestigia: « Arcano Providentiae consilio Romae ipse [Petrus], Iesum persequens, suum iter perficit, Romae summum dat dilectionis et fidelitatis documentum. Romae Paulus, Gentium Apostolus, supremam testificationem praebet et ipse. Romana sic Ecclesia fiebat Petri et Pauli Ecclesia ».[150]

In Novo Foedere Petri persona praestantem tenet locum. In parte prima Actuum Apostolorum idem princeps exhibetur et apostolici collegii locutor, qui nempe designatur «Petrus [...] cum aliis Undecim» *(Act* 2, 14; cfr quoque 2, 37; 5, 29). Locus in quo Petrus ponitur Christi in ipsis verbis fundatur, quemadmodum ea in evangelicis traditionibus memorantur.

91. Matthaei Evangelium Petri in Ecclesia munus pastorale describit et definit: « Beatus es, Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversum eam. Tibi dabo claves regni caelorum; et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum in caelis, et quodcumque solvens super terram, erit solutum in caelis » (16, 17-19). Lucas dilucide collustrat Christum Petro demandare ut fratres confirmet, sed eidem simul humanam eius imbecillitatem reddere manifestam eiusque conversionis necessitatem (cfr *Lc* 22, 31-32). Ita est perinde ac si, ex humana debilitate Petri, palam declaretur eius in Ecclesia peculiare ministerium omnino a gratia oriri; est tamquam si Magister eius conversioni operam suam peculiariter det, ut eum ad munus paret, quod in Ecclesia sua commissurus est ei ab eoque multum postulet. Idem Petri officium, pariter cum eius imbecillitatis affirmatione in re posita, coniunctum, invenitur in quarto Evangelio: « Simon Ioannis, diligis me plus his? [...] Pasce oves meas» *(Io* 21, 15). Aliquid insuper singulare significat quod secundum Pauli primam epistulam ad Corinthios Christus resuscitatus Cephae apparet et deinceps Duodecim (cfr 15, 5).

Interest animadvertere quemadmodum Petri et Pauli imbecillitas ostendat Ecclesiam in interminata gratiae potentia inniti (cfr *Mt* 16, 17; *2 Cor* 12, 7-10). Petrus continuo post munus collatum admodum severe a Christo reprehenditur, qui dicit: « Scandalum es mihi » *(Mt* 16, 23). Facere non possumus quin in misericordia, qua Petrus indiget, necessitudinem percipiamus aliquam cum illius misericordiae ministerio, quam ipse primus experitur.

[150] **Allocutio ad Cardinales et ad Curiam Romanam (28 Iumi 1985), 3: *AAS* 77 (1985), 1150.**

Ter pariter negabit Iesum. Ioannis quoque Evangelium in luce ponit Petrum munus gregis pascendi recepisse in quadam triplici dilectionis professione (cfr *Io* 21, 15-17), quae triplici negationi respondet (cfr 13, 38). Lucas autem, in Christi verbo quod iam diximus, cui quidem haerebit prima traditio missionis Petri describendae causa, illud confirmat eum debere « aliquando conversum, confirmare fratres suos » (cfr 22, 32).

92. Paulus vero absolvit sui ministerii narrationem mira illa declaratione quam excipere potest ex ore Domini: « Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur », atque edicere potest: « cum infirmor, tunc potens sum » *(2 Cor* 12, 9-10). Primaria haec est christianae experientiae nota.

In Ecclesia sanguine coryphaeorum Apostolorum alta, Petri muneris heres, Episcopus Romanus ministerium sustinet quod suam ex multiformi Dei misericordia originem ducit, quae corda convertit gratiaeque dat robur ubi quidem discipulus experitur amarum gustatum imbecillitatis suae suaeque miseriae. Huius ministerii auctoritas tota ad serviendum destinatur misericordi Dei consilio atque hoc sensu usque est intellegenda. Per ipsam eius potestas declaratur.

93. Triplicem dilectionis Petri professionem repetens, cui triplex proditio respondet, eius Successor novit se esse debere misericordiae signum. Eius nempe ministerium est misericordiae, ex Christi misericordiae actu ortum. Tota haec Evangelii pars usque est perlegenda, ne ministerii Petrini exercitium quidquam amittat veritatis ac perspicuitatis.

Ecclesia Dei a Christo vocatur, ut significet mundo suarum culparum tenebricosiorumque propositorum implicatione capto, nihilominus Deum pro sua misericordia ad unitatem convertere posse corda, ad suam ipsius communionem ea concitantem.

94. Hoc unitatis servitium, quod divinae misericordiae opere radicitus nititur, intra Episcoporum collegium uni eorum demandatur qui a Spiritu munus receperunt, non sane in populum exercendi potestatem — quemadmodum principes Gentium et qui magni sunt faciunt (cfr *Mt* 20, 25; *Me* 10, 42) —, sed eum moderandi ut ad tranquilla pascua ducatur. Munus hoc requirere potest ut propria vita tradatur (cfr *Io* 10, 11-18). Postquam ostendit quemadmodum sit Christus « ille unus in quo uno omnes unus », S. Augustinus cohortatur: « Sint ergo omnes in pastore uno, et dicant vocem pastoris unam, quam audiant oves, et sequantur pastorem suum, et non illum, aut illum, sed unum. Et omnes in illo unam vocem dicant, diversas

voces non habeant [...]. Hanc vocem eliquatam ab omni schismate, purgatam ab omni haerese, audiant oves ».[151] Episcopi Romani munus in Pastorum coetu sibi vult « vigilare » (episkopein), velut excubitoris, ita ut per Pastores, in omnibus Ecclesiis particularibus Christi-Pastoris vera vox exaudiatur. Sic in unaquaque Ecclesia particulari eis demandata efficitur una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia. Omnes Ecclesiae plena visibilique communione fruuntur, quandoquidem cum Petro sociantur Pastores omnes ideoque sunt in Christi unitate.

Potestate et auctoritate, quibus ademptis munus hoc vacuefit, Episcopus Romanus communionem omnium Ecclesiarum praestare debet. Hoc nomine primus ipse est inter unitatis ministros. Huiusmodi primatus variis gradibus exercetur, qui tutelam Verbi transmittendi, sacramentalem liturgicamque celebrationem, missionem, disciplinam atque christianam vitam respiciunt. Ad Petri Successorem pertinet necessitatum commonefacere boni Ecclesiae communis, si quis forte inducatur ad id obliviscendum, suis commodis antepositis. Eius est monere, praemonere, declarare a fidei unitate nonnunquam illam, aut illam crebrescentem opinationem abhorrere. Cum id requirunt condiciones, ipse omnium Pastorum secum iunctorum nomine loquitur. Ipse potest etiam — certis quibusdam condicionibus, quas Concilium Vaticanum I definivit — ex cathedra declarare quamdam doctrinam ad fidei depositum pertinere.[152] Testans sic ipse veritatem, unitati inservit.

95. Haec vero omnia in communione sunt facienda. Cum catholica Ecclesia asseverat Episcopi Romani munus cum Christi voluntate congruere, ipsa hoc munus a missione non seiungit, quae episcoporum coetui credita est, qui « vicarii et legati Christi »[153] ipsi quoque sunt. Episcopus Romanus ad eorum « collegium » pertinet et ii in ministerio sunt eius fratres.

Quod ad unitatem omnium Communitatum christianarum spectat, in provincia, ut liquet, primatus sollicitudinum inest. Ut Romanus Episcopus probe novimus, idque hisce Litteris encyclicis confirmavimus, vehementer a Christo exoptari plenam visibilemque communionem omnium Communitatum, in quibus propter Dei fidelitatem habitat eius Spiritus. Persuasum habemus peculiari nos officio obstringi, cum potissimum perspiciamus plerasque christianas Communitates oecumenica cupiditate flagrare cumque petitionem nobis subiectam exaudiamus, ut aliquam inveniamus formam pri-

[151] *Sermo XLVI,* 30: *CCL* 41, 557.

[152] Cfr CONC. OECUM. VAT. I, Const. dogm. de Ecclesia Christi *Pastor aeternus: DS* 3074.

[153] CONC. OECUM. VAT. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 27.

matus exercitii, quae, nihil essentiae suae deponens, in novam tamen condicionem pateat. Millennium sane christiani iungebantur «fraterna fidei communione sacramentalisque vitae, sede Romana moderante communi consensu, si dissensiones circa fidem et disciplinam inter eas orirentur».[154] Hac ratione primatus partes unitatis agebat. Patriarcham oecumenicum, Suam Sanctitatem Demetrium I, alloquentes diximus Nos esse Nobis conscios « varias propter rationes, atque utriusque partis praeter voluntatem, id quod servitium esse debebat, omnino alio sub lumine esse demonstratum. At [...] ob studium Christi voluntati vere parendi Nos ipsos agnoscimus, veluti Romanum Episcopum, ad ministerium exercendum vocari [...]. Spiritus Sanctus sua luce nos perfundat atque omnes pastores theologosque nostrarum Ecclesiarum illuminet, ut, una simul, ut patet, illas formas perquiramus, in quibus hoc ministerium obire possit amoris opus, quod ab utrisque agnoscatur ».[155]

96. Immane est officium, quod non possumus recusare quodque soli ad exitum adducere non valemus. Communio realis, etiamsi imperfecta, inter nos omnes exsistens, Ecclesiarum responsales eorumque theologos inducere non potest ad instaurandum nobiscum atque de hoc argumento dialogum fraternum ac patientem, in quo possimus nosmet ipsos audire extra steriles altercationes, in mente habentes tantummodo Christi voluntatem erga suam Ecclesiam, sinentes nos transfigi eius exclamatione «ut et ipsi... unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti » *(Io* 17, 21)?

97. Ecclesia catholica, sive in sua praxi sive in documentis publicis, affirmat communionem Ecclesiarum particularium cum Ecclesia Romana eorumque Episcoporum cum Pontifice Romano esse condicionem essentialem — in Dei consilio — plenae visibilisque communionis. Oportet enim ut plena communio, cuius Eucharistia est suprema sacramentalis manifestatio, suam habeat visibilem significationem in ministerio in quo omnes Episcopi agnoscant se cum Christo coniungi atque universi christifideles suae fidei testificationem inveniant. Prima pars Actuum Apostolorum ostendit Petrum tamquam loquentem nomine coetus apostolici et servientem unitati communitatis — idque dum observat auctoritatem Iacobi, praepositi Ecclesiae Hierosolymitanae. Hoc officium Petri in Ecclesia permanere debet ut,

[154] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 14.

[155] Homilia in Petriana Basilica habita, adstante Demetrio I, Archiepiscopo Constantinopolitano et Patriarcha oecumenico (6 Decembris 1987), 3: *AAS* 80 (1988), 714.

sub uno suo Capite, qui est Christus Iesus, ipsa in mundo visibiliter communio sit cunctorum eius discipulorum.

Nonne eiusmodi ministerio multos se egere significant, qui in oecumenismo versantur? Quod nempe est praesidere in veritate et amore ne navicula — pulchra imago quam Consilium oecumenicum Ecclesiarum veluti signum elegit — conquassetur tempestatibus utque olim appellere possit ad litus suum.

98. Motus oecumenicus nostri saeculi, plus quam conatus oecumenici superiorum saeculorum quorum tamen momentum non est neglegendum, signatus est quodam missionali prospectu. In sententia Ioannis quae adhibetur uti ratio ductrix — « et ipsi unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti» — explicatum est illud «ut mundus credat» (17, 21) tanta vi ut periculum sit ne obliviscamur nonnumquam, in mente Evangelistae, unitatem esse in primis ad gloriam Patris. Manifestum est tamen christianorum divisionem adversus Veritatem esse ad quam divulgandam ipsi officio astringuntur, ideoque haec divisio laedit graviter eorum testimonium. Decessor Noster Paulus PP. VI bene hoc intellexerat affirmaveratque in sua Adhortatione Apostolica *Evangelii nuntiandi'.* « Quoniam Evangelii praedicatores sumus, nobis praebenda est fidelibus Christi non species hominum dissidentium ac dissentientium ob controversias, quae nullo modo aedificant, sed species hominum in fide firmatorum, qui sciunt simul congredi, praeter contentiones hic et nunc exorientes, ob communem sinceram et aequam veritatis inquisitionem. Ita est: evangelizationis sors profecto conectitur cum unitatis testimonio ab Ecclesia exhibito [...]. Hoc autem loco denotare iuvat ipsum signum unitatis inter omnes christianos, tamquam modum et instrumentum evangelizationis. Divisio christianorum quaedam praesens res est magnae profecto gravitatis, quae eo usque pertingit, ut ipsum opus Christi debilitet ».[156]

Quomodo enim annuntiari potest Evangelium reconciliationis, nisi eodem tempore cura adhibetur operandi pro christianorum reconciliatione? Si verum est Ecclesiam, Spiritus Sancti impulsu et cum perpetuitatis promissione, omnibus nationibus Evangelium annuntiavisse atque annuntiare, verum est quoque eam difficultates orientes ex divisionibus oppetere debere.

[158] **Adhort. Ap. *Evangelii nuntiandi* (8 Decembris 1975), 77: *AAS* 68 (1976), 69; cfr CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 1; PONTIFICIUM CONSILIUM AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM *Directoire pour l'application des principes et des normes sur l'œcuménisme* (25 Martii 1993), 205-209: *AAS* 85 (1993), 1112-1114.**

Coram fidei praedicatoribus positi qui inter se discordant, etiamsi cuncti ad Christum se referunt, valebuntne increduli accipere verum nuntium? Nonne cogitabunt Evangelium esse divisionis rationem, etiamsi illud exponitur uti lex fundamentalis caritatis?

99. Cum affirmamus Nobis, Episcopo Romano, munus oecumenicum esse « unum ex praecipuis pastoralibus officiis » Nostri Pontificatus,[157] mentem Nostram vertimus ad grave impedimentum quod divisio infert Evangelii nuntiationi. Communitas christiana quae credit in Christum atque desiderat, Evangelii ardore, hominum salutem, nullo modo praecludi potest appellationi Spiritus, qui omnes dirigit christianos ad plenam visibilemque unitatem. Agitur de caritatis praecepto quod penitus est accipiendum. Oecumenismus non est quaestio inhaerens tantum christianis Communitatibus: pertinet enim ad caritatem quam Deus in Christo Iesu tribuit universae humanitati, atque huic caritati obsistere iniuria fit in Ipsum inque eius propositum congregandi omnes in Christo. Summus Pontifex Paulus VI scripsit Patriarchae oecumenico Athenagorae I: « Spiritus Sanctus comitetur nos in via reconciliationis, ut nostrarum Ecclesiarum unitas signum exstet usque fulgidum spei consolationisque pro humanitate cuncta ».[158]

100. Alloquentes nuper Episcopos, clerum et catholicae Ecclesiae fideles, ut viam sequendam indicaremus ad magnum Iubilaeum Anni Bis-Millesimi celebrandum, inter cetera affirmavimus: «Optima igitur occasionis bismillesimae apparatio necessario declarabitur renovato officio applicandae quam fidelissime Concilii Vaticani Secundi doctrinae ad cuiusque personae omnisque simul Ecclesiae vitam ».[159] Magnum initium est Concilium — sicut Adventus — eius itineris, quod ad limina nos ducit Tertii Millennii. Nobis momentum considerantibus, quod Concilium tribuit operi restaurandae christianorum unitatis, hac quidem nostra gratiae oecumenicae aetate, necesse esse visum est potissimas confirmare persuasiones, quas illud in conscientia insculpsit Ecclesiae catholicae, easdem commemorantes sub luce progressuum, qui interea effecti sunt plenam communionem versus omnium baptizatorum.

Non est dubium quin Spiritus Sanctus hoc agat in opere et Ecclesiam ad plenam effectionem consilii Patris adducat secundum Christi vo-

[157] **Sermo ad Cardinales et ad Curiam Romanam (28 Iunii 1985), 4: *AAS* 77 (1985), 1151.**

[158] **Epistula data die 13 Ianuarii 1970: *Tomos agapis,* Vatican-Phanar (1958-1970), Roma-Istanbul (1971), pp. 610-611.**

[159] **Epist. Ap. *Tertio millennio adveniente* (10 Novembris 1994), 20: *AAS* 87 (1995), 17.**

luntatem, tam acerba vehementia significatam in oratione quam, secundum quartum Evangelium, eius labia enuntiaverunt cum Is ad opus salvificum Paschatis sui pergebat. Sicut tunc, hodie quoque Christus poscit ut novus impetus curam excitet cuiusque de plena visibilique communione.

101. Adhortamur igitur Nostros in episcopatu Fratres ut prorsus in hanc intendant se curam. Duo Codices Iuris Canonici in onera ascribunt episcopi onus etiam unitatem fovendi omnium christianorum, omnem sustinendo operam aut inceptum ad illam provehendam ex conscientia Ecclesiae hoc esse faciendum ob Christi ipsam voluntatem.[160] Pars est id muneris episcopalis et officium est directo proficiscens a fidelitate erga Christum, Ecclesiae Pastorem. Omnes fideles, tamen, a Spiritu Dei invitantur, ut quae fieri possunt faciant, quo fortiora evadant communionis vincula inter omnes christianos, et discipulorum Christi crescat cooperatio: « Ad totam Ecclesiam sollicitudo unionis instaurandae spectat, tam ad fideles quam ad pastores, et unumquemque secundum propriam virtutem afficit ».[161]

102. Spiritus Dei potentia alit et aedificat Ecclesiam per saecula. Ecclesia, ad proximum millennium respiciens, gratiam petit a Spiritu ut propriam suam confirmet unitatem efficiatque ut crescat ad plenam communionem cum ceteris christianis.

Quomodo hoc consequi licet? Oratione in primis. Oratio semper debet suscipere onus illius sollicitudinis quae est cupido unitatis, et ideo unum ex necessariis generibus caritatis quo afficimur in Christum et in Patrem divitem misericordiae. Oratio debet primas partes agere hoc in itinere nobis instituendo ceteris cum christianis proximum versus millennium.

Quomodo hoc consequi possumus? « Gratiarum actione », quandoquidem vacuis manibus non pervenimus ad hoc constitutum: « et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram [...] et interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus » *(Rom* 8, 26), et nos instruit ut petamus a Deo id quo indigemus.

Qua ratione hoc consequi possumus? Per spem in Spiritu, qui valet amovere a nobis praeteriti temporis simulacra ac memorias separationis acerbas; nobis concedere potest lucem, robur et animum ad gressus necessarios instituendos, ut nostrum opus usque dignius fiat.

[160] Cfr *Codex Iuris Canonici,* can. 755; *Codex Canonum Ecclesiarum Orientalium,* can. 902.

[161] CONC. OECUM. VAT. II, Decr. de Oecumenismo *Unitatis redintegratio,* 5.

At si nos percontari voluerimus an hoc fieri possit, responsio erit semper: ita. Eadem responsio audita est a Maria Nazarethana, quia nihil Deo est impossibile.

In mentem Nostram veniunt verba quibus a sancto Cypriano explanatur Pater noster, oratio scilicet omnium christianorum: « Sic nec sacrificium Deus recipit dissidentis, et ab altari revertentem prius fratri reconciliari iubet, ut pacificis precibus et Deus possit esse placatus. Sacrificium maius Deo exhibendum est pax nostra et fraterna concordia, est de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».[162]

Novo albescente millennio, cur non efflagitabimus a Domino, renovato ardore maturioreque conscientia, gratiam ut nos omnes instruat ad hoc unitatis sacrificium?

103. Nos, Ioannes Paulus, humilis *servus servorum Dei,* Nostra facimus verba apostoli Pauli, cuius martyrium, apostoli Petri martyrio conexum, huic Sedi Romanae testimonii eius splendorem contulit, omnesque vos, catholicae Ecclesiae fideles, vosque, fratres sororesque ceterarum Ecclesiarum Communitatumque ecclesialium hortamur: «Perfecti estote, exhortamini invicem, idem sapite, pacem habete, et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum [...]. Gratia Domini Iesu Christi et caritas Dei et communicatio Sancti Spiritus cum omnibus vobis» *(2 Cor* 13, 11.13).

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxv mensis Maii, in sollemnitate Ascensionis Domini, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

IOANNES PAULUS PP. II

162 ***De dominica oratione,*** **23:** ***CSEL*** **3, 285.**

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

HAZARIBAGANA

Nova conditur dioecesis in India, Hazaribagana appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam dominici gregis salutem provehendam eiusque regimini facilius et efficacius consulendum petitum sit ut in India nova constitueretur dioecesis, Nos, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditoque pariter faventi voto quorum interest, Apostolica Nostra potestate haec statuimus et decernimus. A Daltonganiensi dioecesi separamus territorium districtuum civilium, qui patrio nuncupantur sermone *Hazaribag, Kodarma, Chatra* et *Bokaro,* excepta parte orientali Bokaro quae pertinere pergit ad dioecesim Iamshedpurensem; ex iisque novam constituimus dioecesim *Hazaribaganam* appellandam, quam Metropolitanae Ecclesiae Ranchiensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus, cuius limites iidem erunt ac illi qui supra sunt definiti. Iubemus insuper ut Episcopi sedes in urbe vulgo Hazaribag ponatur, in templo quod Transfigurationi Domini Nostri Iesu Christi est dicatum quodque ad gradum et dignitatem Ecclesiae cathedralis evehimus. Cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Haec omnia ad perficienda Venerabilem Fratrem Georgium Zur, Archiepiscopum titulo Sestensem et Apostolicum in India Pro-Nuntium, legamus. Re tamen ad exitum perducta, documenta apparentur quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Has denique Apostolicas sub plumbo Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die primo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

SS ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 88 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 370.704

II

TRICHURIENSIS

Nova Provincia ecclesiastica Trichuriensis constituitur, cuius metropolitana sedes erit Ecclesia eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad augendum spirituale bonum Christifidelium Ecclesiae Syro-Malabarensis haec Apostolica Sedes anno millesimo octingentesimo octogesimo septimo constituit Exarchiam Apostolicam Trichuriensem, quae deinceps, anno videlicet millesimo nongentesimo vicesimo tertio, gradum Eparchiae est consecuta. Anno autem millesimo nongentesimo septuagesimo quarto, quadam parte seiuncta ab eadem Eparchia, nova Eparchia Palghatensis est condita atque quattuor post annos, Eparchia Trichuriensi denuo divisa, alia Eparchia Irinialakudensis constituta est. Quo aptius ergo Eparchiae, quas diximus, artioribus vinculis coalescant itemque consociata et efficaci actione pastorali operentur, opportunum est visum eas in novam ecclesiasticam Provinciam erigere. Nos igitur, pro gravissimo, quo fungimur munere de totius Dominici gregis salute solliciti, audito Venerabili Fratre Nostro Achille S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate Provinciam ecclesiasticam *Trichuriensem* constituimus, cuius Ecclesia princeps erit Eparchia hucusque Trichuriensis, quam ad gradum et dignitatem Metropolitanae Sedis evehimus, omnibus

tributis iuribus, officiis ac privilegiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem uti suffraganeas Eparchias Palghatensem et Irinialakudensem. Quae vero iussimus ad effectum adducantur secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium. Insuper de hoc absoluto negotio sueta documenta exarentur et ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis rebus nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Lpco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.370

III

TELLICHERRIENSIS

Nova Provincia ecclesiastica Tellicherriensis constituitur, cuius metropolitana sedes erit Ecclesia eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Spirituali bono Christifidelium Ecclesiae Syro-Malabarensis providere cupiens, haec Apostolica Sedes anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio Eparchiam Tellicherriensem constituit. Anno quidem millesimo nongentesimo septuagesimo tertio, memorata Eparchia divisa, nova Eparchia Manantoddiensis est condita. Anno autem millesimo nongentesimo octogesimo tertio, quadam parte distracta ex eadem Eparchia Tellicherriensi, Eparchia Thamarasserrensis efformata est. Cum nunc opportunum videatur eas, quas diximus, Eparchias in ecclesiasticam Provinciam erigere quo ipsae Ec-

clesiae artiore inter se cohaereant vinculo debitoque honore augeantur, Nos, gravissimo fungentes munere Supremi Pastoris, hanc sententiam accipiendam esse censemus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Achille S.R.E. Cardinali Silvestrini, Praefecto Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus, summa Nostra potestate Provinciam ecclesiasticam *Tellicherriensem* constituimus, cuius Ecclesia princeps erit Eparchia hucusque Tellicherriensis, quam ad gradum et dignitatem Metropolitanae Sedis evehimus, omnibus tributis iuribus, officiis ac privilegiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem uti suffraganeas Eparchias Manantoddiensem et Thamarasserrensem. Quae mandavimus ad effectum adducantur secundum normas Codicis Canonum Ecclesiarum Orientalium actique negotii congrua documenta ad memoratam Congregationem mittantur. Hanc denique Apostolicam Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibus libet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodevicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

ACHILLES card. SILVESTRINI
Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco EB Plumbi
In Secret. Status tab., n. 376.373

IV

MBAIKENSIS

In Republica Africae Mediae nova conditur dioecesis Mbaikensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad efficacius consulendum aeternae spirituali saluti atque regimini Christifidelium in Republica Africae Mediae degentium, nuper est petitum ut e divisa archidioecesi Banguensi nova constitueretur Ecclesia. Quapropter Ve-

nerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Didaci Causerò, Archiepiscopi titulo Metensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, admotae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur de universi Dominici gregis bono solliciti talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. Ab archidioecesi Banguensi separamus territorium Praefecturae civilis patrio sermone nuncupatae « Mbaiki »; ex eoque novam condimus dioecesim *Mbaikensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Banguensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Mbaiki » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem sanctae Ioannae d'Arc dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Didacus Causerò, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad memoratam Congregationem cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

83 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.022

LITTERAE APOSTOLICAE

Venerabili Servae Dei Mariae Rafols Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — « In hoc cognovimus caritatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere» *(1 Io* 3, 16). Mirum sane in modum his sancti Ioannis Aposto-

Ii verbis respondet se devovendi studium Venerabilis Servae Dei Mariae Rafols, utpote quae, Iesu Christi imaginem praesentem in fratribus respiciens, diligenter eis ex animo servierit, seque cotidie, per annos fere quinquaginta, aegrotis curandis impenderit intra saepta Caesaraugustani nosocomii « Dominae nostrae a Gratia » atque diu noctuque se exhibuerit paratam ut indigentes quoslibet iuvaret in magnis illis aedibus stipatos.

Nata est prope Barcinonem, in pago vulgari sermone dicto Villafranca del Panades, die **v** mensis Novembris anno MDCCLXXXI, ex parentibus piis ac tenuis condicionis socialis, quibuscum infantiae ac iuventutis suae annos transegit. Deinde vero, Barcinonem profecta una cum aliis iuvenibus, operibus caritatis et misericordiae exercendis in nosocomio Sanctae Crucis sese dicavit, sub ductu presbyteri Ioannis Bonal. Duodecim autem ex iis mulieribus, confraternitatis forma sibi data et praeeuntibus presbytero Ioanne Bonal ac Maria Rafols — qui sane conditores exstant Instituti deinceps erecti in congregationem religiosam Sororum a Caritate Sanctae Annae —, ut in nosocomio « Beatissimae Dominae nostrae a Gratia » aegrotantium curam agerent Caesaraugustam pervenerunt die xxvin mensis Decembris, anno **MDCCCiv**, eademque die, postquam in percelebri basilica Dominae nostrae a Columna Virgini Deiparae sese crediderunt, nosocomium ingressae sunt. Ad cuius rei recordationem atque in signum grati animi sui in rubro mantello quo Beatissimae Mariae Virginis a Columna imago quibusdam diebus ornatur, Congregatio Sororum a Caritate Sanctae Annae hanc inscriptionem auro plumatam posuit: « Apud Te natae sumus, crevimus et manemus ».

Deditio Mariae Rafols eiusque sociarum fructus edidit in dies uberiores, qui sollicita caritate inter se et cum aegrotantibus praesertim collucebant. Cotidianus earum labor, ab hora quarta summo mane, caelestium rerum meditatione incipiebat, cui Sorores per integram horam vacabant. Permixtis dein aliis pietatis exercitiis necnon temporis intervallis fraternae vitae communi destinatis, dies earum aegrotantibus effusa caritate sublevandis impendebatur integra officiis interdum dicata quae humanus animus recusat, in vigiliis et summa omnium rerum inopia. Casus insuper non defuerunt extraordinarii, quos inter memorandus sane mirus Sororum sese gerendi modus cum bis Caesaraugustana urbs ab exercitu Franco-Gallico obsessa est annis MDCCCVIII et MDCCCIX. EO enim tempore, nosocomio incendio consumpto, Sorores, omni suarum personarum cura praetermissa, aegrotantibus colligendis atque in aliam domum transferendis se dederunt, eo usque pervenientes, ut, ad eos alendos, ostiatim mendicarent et proprio cibo priva-

rentur. His in rerum adiunctis, quamquam urbs ignivomis telis incessanter concutebatur, Mater Rafols sese in Franco-Gallica castra conferre non dubitavit, ut impetraret e duce exercitus licentiam colligendi cibos residuos, quibus aegrotantes ali possent.

Mortua est Caesaraugustae, in nosocomio Dominae nostrae a Gratia, die xxx mensis Augusti, anno MDCCCLIII. Quia vero caritas numquam excidit (cfr *1 Cor* 13, 8), sanctitatis fama Mariae Rafols magis magisque crevit, eiusque sui abnegationis fecunditas viguit maxime per Congregationem Sororum a Caritate Sanctae Annae, quae in fidelitate erga charisma a Fundatrice transmissum viam invenit stratam ac tutam ad Deum diligendum in Ecclesiae Sanctae cunctorumque hominum servitio. Nostris autem diebus eius vita exemplum stat verae caritatis, quae Iesum Christum in fratribus respicit, eorumque necessitatibus, cum spiritalibus tum materialibus, mederi satagit. Opportune igitur haec beatificatio inseritur inter sessiones ix congregationis ordinariae Synodi Episcoporum, in qua quaestio « De vita consecrata deque eius munere in Ecclesia et in mundo » perpenditur.

Canonizationis Causa instituta est apud Curiam Caesaraugustanam, in qua Processus Ordinarius Informativus instructus est annis MCMXXVI-MCMXXVII. Processus vero Apostolicus, anno MCMXXXII inceptus apud eandem Curiam Archidioecesanam, ad conclusionem pervenit anno MCMXXXIV. Omnibus deinde de iure servandis peractis, die vi mensis Iulii, anno MCMXCI, coram Nobis Decretum promulgatum est, quo agnovimus Matrem Mariam Rafols heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse. In actis eiusdem Processus Caesaraugustani probationes adductae sunt de asserta mira sanatione, deprecationi Venerabilis Servae Dei tributa. Quae rite examinata sunt, atque die vi mensis Iulii, anno MCMXCIII, Decretum super miro coram Nobis promulgatum est. Statuimus igitur ut Beatificationis ritus die xvi mensis Octobris, anno MCMXCIV, celebraretur.

Hodie igitur, in foro ante Vaticanam Basilicam spectante, inter Missarum sollemnia, hanc pronuntiavimus formulam:

Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Balland, Archiepiscopi Remensis, Caroli Oviedo Cavada, Archiepiscopi Sancti Iacobi in Chile, Eliae Yanes Alvarez, Archiepiscopi Caesaraugustani, Richardi Mariae Caries Gordo, Archiepiscopi Barcinonensis et Camilli Cardinalis Ruini, Vicarii Nostri pro Romana dioecesi, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Ser-

vi Dei Nicolaus Roland, Albertus Hurtado Cruchaga, Maria Rafols, Petra a Sancto Ioseph Pérez Florido et Iosephina Vannini Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Nicolai Roland die vicesima septima Aprilis; Alberti Hurtado Cruchaga die decima octava Augusti; Mariae Rafols die quinta Novembris; Petrae a sancto Ioseph Pérez Florido die decima sexta Augusti et Iosephinae Vannini die decima sexta Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Beata haec, quae complura pro hominum salute patravit claraque dedit virtutum exempla, non modo colenda est fidelibus, verum etiam imitanda, quandoquidem nostra aetate homines multis negotiis distrahuntur multisque illecebris alliciuntur ideoque nonnumquam rectam semitam amittere videntur.

Quod autem decrevimus, volumus et nunc et posterum tempus vim habere, contrariis rebus minime quibuslibet efficientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Octobris, anno MCMXCIV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

ЕB ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

Loco 68 Sigilli
In Secret. Status tab., n. 366.034

ALLOCUTIONES

I

Portu Moresbiensi occasione oblata beatificationis Petri To Rot habita.*

Dear Brothers and Sisters,

1. "Rejoice... insofar as you share Christ's sufferings".[1] Today, the People of God in Papua New Guinea repeat these words of the Apostle Peter with fervent hearts. You rejoice because the Universal Church recognizes

*** Die 17 Ianuarii 1995.**

[1] ***1 Pt* 4:13.**

that your fellow countryman, Peter To Rot, shared Christ's sufferings to the point of martyrdom and has been found worthy of being numbered among the Blessed.

With the joy which this occasion brings, I greet the People of God in Papua New Guinea. I thank Archbishop Kurongku and the whole Archdiocese of Port Moresby for the warm welcome given to me. Archbishop Hesse and the Catholic community of Rabaul would have liked this Beatification to be held in the place where Blessed Peter To Rot lived and was martyred. With love and solidarity, my thoughts turn to all the inhabitants of New Britain — those present here and the great majority unable to attend — who have been affected by the recent volcanic eruption. I gladly greet all my Brother Bishops, all the priests, Religious and laity of this land and of Solomon Islands, and those who have come from other Islands of the vast Pacific, and from Australia and New Zealand. I extend my hand in friendship to our Brothers and Sisters of other Christian Churches and ecclesial communities. I thank all the civil authorities for their presence at this solemn ceremony.

The first Beatus from Papua New Guinea begins a new epoch in the history of the People of God in this country. Martyrdom has always been a part of the pilgrimage of the People of God through history. In the Old Testament Reading of this Mass, the Second Book of Maccabees tells the story of Eleazar's unflinching fidelity to the holy law of God, his readiness to accept death rather than compromise with evil. Faced with the supreme test, he says: "Although I could have escaped death, I am not only enduring terrible pain in my body from this scourging, but also suffering it with joy in my soul because of my devotion to God".[2]

Likewise in the New Covenant. Beginning with the deacon Stephen[3] and the Apostle James,[4] the New Testament records that a "great cloud of witnesses"[5] gave their lives in order to profess their faith in Christ and their uncompromising love for him. And down the centuries, glorious pages of the Church's Martyrology have been written in every generation. The sons and daughters of many Churches in Asia are inscribed in "the

[2] *Mh* 6:30.
[3] Cf. *Acts* 7:54-60.
[4] *Acts* 12:1-2.
[5] Cf. *Heb* 12:1.

archives of truth written in letters of blood".[6] I myself have had the grace of canonizing the Korean and Vietnamese Martyrs. We can also recall Saint Paul Miki and his Companions, martyred in Japan; Lorenzo Ruiz, the first saint of the Philippines; and Saint Peter Chanel who suffered a martyr's death in the Islands of the Pacific. Throughout this century the "faithful witnesses" have been present in great numbers.[7] The wars, concentration camps and intolerance of our own time have yielded a rich harvest of martyrs in many parts of the world! Also in Papua New Guinea where there were many Christians belonging to the various Churches and ecclesial communities who gave the supreme witness. Today your fellow countryman Peter To Rot, an honoured son of the Tolai people, a catechist from New Britain, has been listed among them. The Church everywhere sings praise to God for this new gift.

2. The sufferings caused by the recent tragic eruption have drawn the Christian community of New Britain closer to the Martyr Peter To Rot. In God's saving plan, "suffering, more than anything else, makes present in the history of humanity the powers of the Redemption".[8] Just as the Lord Jesus saved his people by loving them "to the end",[9] "even to death on a cross"[10] so also he continues to invite each disciple to suffer for the Kingdom of God. When united with the redemptive Passion of Christ, human suffering becomes an instrument of spiritual maturity and a magnificent school of evangelical love.

3. Blessed Peter understood the value of suffering. Inspired by his faith in Christ, he was a devoted husband, a loving father and a dedicated catechist known for his kindness, gentleness and compassion. Daily Mass and Holy Communion, and frequent visits to our Lord in the Blessed Sacrament, sustained him, gave him wisdom to counsel the disheartened, and courage to persevere until death. In order to be an effective evangelizer, Peter To Rot studied hard and sought advice from wise and holy "big men". Most of all he prayed — for himself, for his family, for his people, for the Church. His witness to the Gospel inspired others, in very difficult situations, because he lived his Christian life so purely and joyfully. With-

[6] *Catechism of the Catholic Church,* No. 2474.

[7] Cf. *Tertio millennio adveniente,* 37.

[8] *Salvifici doloris,* 27.

[9] *Jn* 13:1.

[10] Cf. *Phil* 2:8.

out being aware of it, he was preparing throughout his life for his greatest offering: by dying daily to himself, he walked with his Lord on the road which leads to Calvary.[11]

4. During times of persecution the faith of individuals and communities is "tested by fire".[12] But Christ tells us that there is no reason to be afraid. Those persecuted for their faith will be more eloquent than ever: "it is not you who will be speaking; the Spirit of your Father will be speaking in you".[13] So it was for Blessed Peter To Rot. When the village of Rakunai was occupied during the Second World War and after the heroic missionary priests were imprisoned, he assumed responsibility for the spiritual life of the villagers. Not only did he continue to instruct the faithful and visit the sick, he also baptized, assisted at marriages and led people in prayer.

When the authorities legalized and encouraged polygamy, Blessed Peter knew it to be against Christian principles and firmly denounced this practice. Because the Spirit of God dwelt in him, he fearlessly proclaimed the truth about the sanctity of marriage. He refused to take the "easy way"[14] of moral compromise. "I have to fulfil my duty as a Church witness to Jesus Christ", he explained. Fear of suffering and death did not deter him. During his final imprisonment Peter To Rot was serene, even joyful. He told people that he was ready to die for the faith and for his people.

5. On the day of his death, Blessed Peter asked his wife to bring him his catechist's crucifix. It accompanied him to the end. Condemned without trial, he suffered his martyrdom calmly. Following in the footsteps of his Master, the "Lamb of God who takes away the sin of the world",[15] he too was "led like a lamb to the slaughter".[16] And yet this "grain of wheat" which fell silently into the earth[17] has produced a harvest of blessings for the Church in Papua New Guinea!

Yes, the wisdom of the Gospel tells us that eternal life comes through death, and true joy through suffering. In order to understand this we must

[11] Cf. *Mt* 10:38-39.
[12] *1 Pt* 1:7.
[13] *Mt* 10:20.
[14] Cf. *Mt* 7:13.
[15] *Jn* 1:29.
[16] Cf. *Is* 53:7.
[17] Cf. *Jn* 12:24.

judge by God's standards and not by man's![18] This morning's Reading from the First Letter of Peter says: "Happy are you when you are insulted for the sake of Christ, for then God's Spirit... has come to rest on you".[19] These words apply to Peter To Rot. They describe the particular "blessedness" of those "from every tribe and tongue and people and nation"[20] who suffer martyrdom in every age of the Church. In God's eyes, those persecuted for their fidelity to the Gospel are truly blessed, for their "reward is great in heaven".[21]

6. I am particularly happy that there are many catechists here from all over Papua New Guinea. You, dear catechists, are "direct witnesses and irreplaceable evangelizers... the basic strength of Christian communities".[22] From the beginning, the work of lay catechists in Papua New Guinea has made "an outstanding and indispensable contribution to the spread of the faith and of the Church".[23] In the name of the whole Church I thank you for the sacred work which you are doing. May God reward and bless each one of you.

The Martyr's example speaks also to married couples. Blessed Peter To Rot had the highest esteem for marriage and, even in the face of great personal danger and opposition, he defended the Church's teaching on the unity of marriage and the need for mutual fidelity. He treated his wife Paula with deep respect and prayed with her morning and evening. For his children he had the utmost affection and spent as much time with them as he could. If families are good, your villages will be peaceful and good. Hold on to the traditions that defend and strengthen family life!

7. A special greeting to the many young people who are here. Blessed Peter is a model for you too. He shows you not to be concerned only about yourselves but to put yourselves generously at the service of others. As citizens, you should feel the need to work to improve your country, and to ensure that society develops in honesty and justice, harmony and solidarity. As followers of Christ guided by the truths of the Gospel and the teachings of the Church, build on the solid rock of faith and do your duty

[18] Cf. *Mt* 16:23.
[19] *1 Pt* 4:14.
[20] *Rv* 5:9.
[21] *Mt* 5:12.
[22] *Redemptoris missio,* 73.
[23] *Ad gentes,* 17.

with love. Do not be afraid to commit yourselves to the task of making Christ known and loved, especially among the many people of your own age, who make up the largest part of the population.

8. For the Church in Papua New Guinea the Beatification of Peter To Rot opens a new period of Christian maturity. In the history of the local Church in any country, the first native-born martyr always marks a new beginning. For this reason, as Pastor of the universal Church, I have fervently desired to share this great joy with you and join you in giving thanks to God for the first Beatus of Papua New Guinea.

To the intercession of the new Beatus I wish to commend with special affection the people of Bougainville, who for six years have been suffering the tragic consequences of violence, war and destruction. I extend a special word of encouragement to Bishop Gregory Singkai and the Church in Bougainville, who are bearing a heavy physical and spiritual burden. I earnestly appeal to all sides in this dispute to negotiate a settlement in a spirit of goodwill and constructive openness. I pray that the discussions which have recently been initiated will soon lead to a just and lasting peace, with respect for the legitimate aspirations and rights of all concerned. May reconciliation and harmony once more prevail, so that the reconstruction which all yearn for can begin.

To the people of New Britain, the fellow countrymen of Blessed Peter To Rot, Martyr-catechist of Rakunai, I repeat the words of the Letter of Peter: "Rejoice... insofar as you share Christ's sufferings".[24] Your recent tragedy has made you like your Martyr, different in the kind of suffering you have had to undergo, but like him configured to the Passion and Death of the Lord. The crucified Jesus is the sign of God's unfailing love for every one of his children, for each and every one of you.

(In Pidgin-English) Mi laik bai yupela i tingim Peter To Rot oltaim. Yupela i mas tingting oltaim long bilip bilong em; yupela i mas tingting oltaim long famili laif bilong em; yupela I mas tingting oltaim long wok bilong em. Bikos Peter To Rot I soim rot long yumi. Em I soim rot long yumi olgeta, tasol moa yet long ol famili bilong Papua Niugini na long ol yut na long ol manmeri ol I autim tok bilong God long ol pipel.

Yupela amamas! Olgeta wari bilong yupela i ken tanim i go kamap amamas gen. Amen.

[24] *1 Pt* **4:13.**

(I want you to remember Peter To Rot always. You must think always of his faith; you must think always of his life in the family; you must think always of his work as a catechist. Because Peter To Rot shows us the way. He shows the way to all of us, but especially to the families here in Papua new Guinea and to the youth and to all those men and women who preach the word of God to the people.

Rejoice! May your sadness be turned into joy! Amen.)

My brothers and sisters from Papua New Guinea, from Solomon Islands, I share deeply with you in this beatification. The first Beatus from your country, from your people, from your Church. My congratulations to each and everyone of you, to the Bishops, to the priests, missionaries, catechists, to all the catechists, a great feast of all the catechists everywhere in the world — your families... And God bless you and your families and your catechists and all of you, everyone of you, the Church and the society.

Praised be our Lord Jesus Christ!

Merci!

Thank you very much!

II

Columbopoli in Taprobane occasione oblata beatificationis Iosephi Vaz habita.*

Dear Sri Lankan Brothers and Sisters,

1. The Responsorial Psalm of today's Mass speaks to the whole world, to every nation and people. The nations and peoples of the vast continent of Asia also are called to join in a chorus of praise to God. Today, in Colombo, I thank God for enabling me to add my voice to yours in this great symphony of praise, and to rejoice with you for the Beatification of Father Joseph Vaz. I express my gratitude to everyone gathered here, to Archbishop Fernando, my brother Bishops, the priests, religious women and men and all of you whose presence makes this joyful celebration possible. I greet the civil authorities and thank them for their presence at this ceremony.

This is a day of special happiness for Christ's followers in Sri Lanka! From the very beginning of my Pontificate, whenever I have had occasion

*** Die 21 Ianuarii 1995.**

to meet your Bishops they have told me of your great desire to see Father Vaz raised to the honours of the altar. Today Joseph Vaz, the apostle of Sri Lanka, has been proclaimed one of the Blessed in heaven. Sri Lanka's Catholics, with gratitude for all that God has done in the history of his People on this Island, can truly repeat with the Psalmist: "His love for us is strong! His faithfulness is eternal!".[1]

2. Joseph Vaz is rightly considered the second founder of the Church in your country. From his native India he came, a dedicated priest of Jesus Christ, to this land of ancient spiritual traditions, a land steeped in respect for the Sanyasi, the man of holiness, the man of God. During the last few months, as I prepared for today's Beatification, my thoughts often turned to the respect for things spiritual which characterizes the peoples of Asia. This brought to mind the passage of the Second Vatican Council's Declaration on Non-Christian Religions, which expresses the Church's deep esteem for the ancient religions of Asia, and especially for Buddhism and Hinduism.

This is what we read in the document *Nostra aetate.* The Church respects these religions because of their ability to instil deep religious meaning into the lives of their followers. Men and women look to the different religions for answers to the profound and troubling mysteries which surround human existence: Who is man? What is the meaning and purpose of our life? What is the origin and purpose of suffering? How do we attain true happiness? What is the meaning of death, and what is that ultimate mystery which surrounds and penetrates our whole being, the Mystery which is our origin and towards which we are always journeying?[2]

3. And now I read other texts from *Gaudium et spes,* the Constitution *Gaudium et spes* — part of that document. The Catholic Church "rejects nothing of what is true and holy in other religions, for she sees in them a ray of that Truth which enlightens all men".[3] At the same time she exists to proclaim that the fullest answer to life's questions is found in Jesus Christ, the Incarnate Word of God. He is the Eternal Word of the Father and the New Adam. Through him all things were made and in him all people find that light which is the life of the world.[4] Christ, by revealing the

[1] *Ps* 117:2.
[2] Cf. *Nostra aetate,* 1-2.
[3] *Ibid.,* 2.
[4] Cf. *Jn* 1:3-4.

mystery of the Father and his Love, "fully reveals man to himself and makes clear his sublime calling".[5]

For this reason, the Church never ceases to proclaim that Jesus Christ is "the way, and the truth, and the life",[6] the One "in whom the fullness of religious life is found and in whom God has reconciled all things to himself'.[7] Father Joseph Vaz came to this land in order to proclaim this same message. He preached the name of Christ out of obedience to the Truth and out of a desire to share with others the way that leads to eternal life.

4. Father Joseph Vaz was a great missionary priest, belonging to the unending line of ardent heralds of the Gospel, missionaries who, in every age, have left their own land to bring the light of the Faith to peoples not their own. Among those following in the footsteps of Saint Paul, who became all things to all men for the sake of the Gospel,[8] the figure of Saint Francis Xavier shines before us as the great apostle of Asia and the universal Patron of the Missions. Father Vaz was a worthy heir of Saint Francis Xavier; he was also a true son of his native Goa, outstanding for its deep Christian and missionary traditions. Father Vaz was a son of Asia who became a missionary in Asia. The Church today needs more such missionary men and women among the peoples of different continents.

Who was Father Joseph Vaz? Above all, what moved him to come to Sri Lanka? The Gospel we have heard today sheds light on his missionary vocation. Jesus went about proclaiming the Kingdom of God in his native Galilee. People brought their sick to him and he healed them. He freed others from the grip of evil spirits. When he went off by himself to pray, people started looking for him. They did not want him to leave them. But he replied: "I must preach the Good News about the Kingdom of God in other towns also, because that is what God sent me to do".[9]

Father Joseph strove to follow in the path of his Divine Master. He too had been sent by God in order to proclaim "a kingdom of truth and life, a kingdom of holiness and grace, a kingdom of justice, love and peace" (Roman Missal, Preface of Christ the King). Heeding the call of the Holy Spirit, he left his homeland to come to this country where the Church had had

[5] *Gaudium et spes,* 22.
[6] *Jn* 14:6.
[7] *Nostra aetate,* 2.
[8] Cf. *1 Cor* 9:22-23.
[9] *Lk* 4:43.

20	»	»	II	sac	Johannes E. Lavenroth (Regensburg)
»	»	»	II	sac	Augustus Linder (Regensburg)
»	»		II	sac	Aloisius Muller (Regensburg)
25	»	»	II	sac	Francesco Balestrino (Salerno-Campagna-Acerno)
»		»	II	sac	Lazzaro Benincasa (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Benedetto DArminio (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Antonio Ferrentino (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Luigi Iovino (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»		II	sac	Luigi Moccia (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Matteo Mottola (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Antonio Santoro (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Gerardo Tesauro (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Carmine Severino (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Antonio Tozzi (Salerno-Campagna-Acerno)
»	»	»	II	sac	Andrea Vece (Salerno-Campagna-Acerno)
27	»	»	II	sac	Josef Fickler (Augsburg)
»	»		II	sac	Johannes Port (Augsburg)

27	maggio	1995.	Il sac. Angelo Pirovano (Milano)
»	»	»	Il sac. Francesco Terribili (Frascati)
»	»	»	Il sac. Valerio Missori (Frascati)
»	»	»	Il sac. Orlando Raggi (Frascati)
6	giugno	»	Il sac. Gregory A. Cox (Los Angeles)
9	»	»	Il sac. Luciano Monari (Reggio Emilia-Guastalla)
»	»	»	Il sac. Vincenzo Zäkelj (Lubljana)
»	»	»	Il sac. Edward A. Ogidan (Ekiti)
»	»	»	Il sac. Jerome Ayeni (Ekiti)
»	»	»	Il sac. Thomas Kim-Kyung-Hwan (Tae Gu)
10	»	»	Il sac. André Mortari (Jundiai)
»	»	»	Il sac. Antonio de Padua Ferraz (Jundiai)
»	»	»	Il sac. Eduardo Puszkiel (Jundiai)
»	»	»	Il sac. José das Neves Vailati (Jundiai)
»	»	»	Il sac. Mario Malanga (S. Angelo dei Lombardi-Conza-Nusco-Bisaccia)
»	»	»	Il sac. Priamo Trabalzini (Montepulciano-Chiusi-Pienza)
»	»	»	Il sac. Marcello F. Magrini (Montepulciano-Chiusi-Pienza)
»	»	»	Il sac. Averino Mangiavacchi (Montepulciano-Chiusi-Pienza)
»	»	»	Il sac. Alessandro Pompignoli (Faenza-Modigliana)
17	»	»	Il sac. Ossorio Antonini (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Italo Biscazoni (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Oscar Carbonari (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Andrea Frattegiani (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Gualtiero Gioia (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Angelo Gori (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Chino Monagnoli (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Giuseppe Nardelli (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Maurino Sisani (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Rino Valigi (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. James Mochiah (Sekondi-Takoradi)
»	»	»	Il sac. Andreas Ghansah (Sekondi-Takoradi)
»	»	»	Il sac. John Mary Akomo (Sekondi-Takoradi)
»	»	»	Il sac. Christian Reinhardt (Paderborn)
28	»	»	Il sac. Aurelio Padovani (Amalfi-Cava dei Tirreni)
»	»	»	Il sac. Stanislaw Obszyñski (Ordinariato Militare Polacco)
»	»	»	Il sac. Slawomir Zorski (Ordinariato Militare Polacco)
»	»	»	Il sac. Jan Glod (Krakow)
»	»	»	Il sac. Grzegorz Cekiera (Krakow)
»	»	»	Il sac. Edward Staniek (Krakow)
4	luglio	»	Il sac. Giuseppe Cavallone (Vercelli)
7	»	»	Il sac. Giovanni Di Gasbarro (Rieti)
8	»	»	Il sac. Pascal N'Koé (Natitingou)
»	»	»	Il sac. Fortunatus Nwachukwu (Aba)
»	»	»	Il sac. Nicolas Thevenin (Genova)
»	»	»	Il sac. Ramon Tronqued (Legazpi)
»	»	»	Il sac. Robinson A. Wijesinghe (Colombo)

8	luglio	1995.	Il sac. Miroslaw Adamczyk (Gdansk)
»	»	»	Il sac. Julio Murat (Izmir)
»	»	»	Il sac. Józef Haak (Wroclaw)
15	»	»	Il sac. Gustavo Carcon Moctezuma (Acapulco)
»	»	»	Il sac. Daniel E. Flores (Corpus Christi)
»	»	»	Il sac. Wolfgang Sauer (Freiburg)
23	»	»	Il sac. Bernhard Auel (Köln)
»	»	»	Il sac. Antoni Biel (Tarnów)
»	»	»	Il sac. Karol Dziubaczka (Tarnów)
»	»	»	Il sac. Mario A. Magbanua (Palawan)
»	»	»	Il sac. Jose D. Delfín (Palawan)
»	»	»	Il sac. Edgard S. Juanich (Palawan)
28	»	»	Il sac. John Semmanda (Kampala)
»	»	»	Il sac. Joseph Kidz (Kampala)
»	»	»	Il sac. John B. McCann (Allentown)
»	»	»	Il sac. Paolo Colombo (Milano)
»	»	»	Il sac. Carlo Buzzi (Milano)
»	»	»	Il sac. Giuseppe Castiglioni (Milano)
»	»	»	Il sac. Milan Kouba (Olomouc)
»	»	»	Il sac. Josef Steh (Olomouc)
31	»	»	Il sac. Giovanni Bastianoni (Città di Castello)
»	»	»	Il sac. Massimo Boarotto (Verona)
»	»	»	Il sac. Edward Zielski (Pelplin)
»	»	»	Il sac. Robert Kreuzberg (Köln)
»	»	»	Il sac. Alfonso Roca Lara (Yucatán)
9	agosto	»	Il sac. Eduardo Toblier (Graz-Sekau)
»	»	»	Il sac. Alfons Delgado Alarcon (Carora)
»	»	»	Il sac. Thomas M. Ginty (Hartford)
»	»	»	Il sac. Egisto Macellari (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Attilio Santucci (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Il sac. Lino Bottachiari (Camerino-S. Severino Marche)
»	»	»	Il sac. Giuseppe Roselli (Camerino-S. Severino Marche)
»	»	»	Il sac. Francesco Gregori (Camerino-S. Severino Marche)
»	»	»	Il sac. Graziano Marian (Tivoli)
»	»	»	Il sac. Salvatore Bussu (Nuoro)
16	»	»	Il sac. Piergiacomo Grampa (Lugano)
»	»	»	Il sac. Antonio Filipazzi (Ventimiglia-S.Remo)
21	»	»	Il sac. Alessandro Sbarra (Civita Castellana)
»	»	»	Il sac. Giacomo Pulcini (Civita Castellana)
»	»	»	Il sac. Domenico Anselmi (Civita Castellana)
»	»	»	Il sac. Mario Mastrocola (Civita Castellana)
»	»	»	Il sac. Pacifico Chiricozzi (Civita Castellana)
»	»	»	Il sac. Osvaldo Palazzi (Civita Castellana)
29	»	»	Il sac. Orlando C. Sabangan (Lingayen-Dagupan)

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

24	aprile	1995.	A S. E. il sig. Noh Young Park *{Korea)*
10	maggio	»	A S. E. il sig. Kamisese Mara *(Fiji)*
5	giugno	»	*A* S. E. il sig. Jurij Karlov *(Federazione Russa)*
23	agosto	»	*A* S. E. il sig. Carlos Federico Ruckauf *(Argenti^*

La Commenda con Placca dell'Ordine Piano:

7	luglio	1995.	Al sig. Richard Thomas (Westminster)

La Gran Croce dell'Ordine di San Gregorio Magno:

17	maggio	1995.	Al sig. Sergio Abreu Bonilla *{Uruguay)*
10	giugno	»	Al sig. André Damien (Versailles)
19	luglio	»	Al sig. Hermann A. Brück *(Gran Bretagna)*
21	agosto	»	Al sig. Gianfranco Ruggieri (Roma)

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

6	aprile	1995.	Al sig. Sandro Chesi (Reggio Emilia-Guastalla)
21	»	»	Al sig. Michael McGrath (Meath)
27	maggio	»	Al sig. Hans-Peter Ròthlin (Chur)
2	giugno	»	Al sig. Paolo Bruno V. Di Noia *(Italia)*
16	»	»	Al sig. Georges Paquet *(Canada)*
28	»	»	Al sig. Rahmi Koç *(Turchia)*
»	»	»	Al sig. Panayolis Anghelopoulos *(Grecia)*
»		»	Al sig. Marco Rosi (Parma)
30	»	»	Al sig. Rafael Mijares Ferreiro *(Messico)*
8	luglio	»	Al sig. Anacleto Angelini (Santiago del Cile)
23	»	»	Al sig. Renato Battista (Teggiano-Policastro)
	»	»	Al sig. Nicola Femminella (Teggiano-Policastro)
28		»	Al sig. Guido Panico (Perugia-Città della Pieve)
21	agosto		Al sig. Giovanni Maglionico *(Italia)*

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

23	gennaio	1995.	Al sig. Wolfgang Holzmann (Wien)
9	aprile	»	Al sig. Peter Kastelic *(Slovenia)*
21	»	»	Al sig. Gennaro Ferrante (Roma)
»	»	»	Al sig. Alberto Gatti (Roma)

21	aprile	1995.	Al sig. Michele Giannatasio (Roma)
»	»	»	Al sig. Dario Miglietta (Roma)
28	»	»	Al sig. Heinz Eduard Morell (Berlin)
»	»	»	Al sig. Emile Verbruggen (Malines-Bruxelles)
5	maggio	»	Al sig. Hubert Detremmeric (Gand)
»	»	»	Al sig. Joseph William Kinzer *(Stati Uniti d'America)*
»	»	»	Al sig. Renzo Tettamanti (Città di Castello)
»	»	»	Al sig. Ibraim Michel Assaf (Antiochia)
»	»	»	Al sig. Michel Joseph Ibraim Assaf (Antiochia)
»	»	»	Al sig. Faris Ibraim Assaf (Antiochia)
9	»	»	Al sig. Thomas B.J. Cropo (Winnipeg degli Ucraini)
13	»	»	Al sig. John Jackman (Ferns)
»	»	»	Al sig. Sean Scallan (Ferns)
»	»	»	Al sig. Marcel Falbot (Belfort-Montbeliard)
18	»	»	Al sig. Hansgeorg Beine *(Germania)*
27	»	»	Al sig. Alessandro Buzzi (Casale Monferrato)
6	giugno	»	Al sig. Gabriel Gherardini (Roma)
16	»	»	Al sig. Pierre Compain (Strasbourg)
17	»	»	Al sig. Erik Engel *(Austria)*
»	»	»	Al sig. Adriano Franceschini (Ferrara-Comacchio)
24	»	»	Al sig. Raffaele Capomasi (Roma)
26	»	»	Al sig. Vito Cunzolo *(Italia)*
28	»	»	Al sig. Arnaldo Grilli *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Michael Neary (Tuam)
»	»	»	Al sig. Luigi Bernardi (Brescia)
»	»	»	Al sig. Carlos Alberto Muñoz Lesn (Maracay)
7	luglio	»	Al sig. Albert Prévost (Beauveis)
12	»	»	Al sig. Domokos Vekas *(Ungheria)*
15	»	»	Al sig. Ernst Seifert (Münster)
»	»	»	Al sig. Agostino Pepe (Nocera Inferiore-Sarno)
23	»	»	Al sig. Gérard Desos (Strasbourg)
9	agosto	»	Al sig. Moncer Moshy (St. Maron of Brooklyn)
»	»	»	Al sig. Arthur Matney (St.Maron of Brooklyn)
21	»	»	Al sig. Giovanni Fatica (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Roberto Raccanello (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Riccardo Pellegrino (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Alfredo Giacomazzi (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Giacomo Guamera (Civita Castellana)
»	»	»	Al sig. Vincenzo Appice (Civita Castellana)
22	»	»	Al sig. Luigi Papetti (Brescia)
29	»	»	Al sig. Giampiero Catone (Pescara-Penne)

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

8	dicembre	1994.	Al sig. Paulus Johannes H. Valkenier (Utrecht)
5	maggio	1995.	Al sig. Flavio Sanchioni (Fano-Fossombrone-Cagli-Pergola)
»	»	»	Al sig. Fridolin Hallauer (Köln)
9	»	»	Al sig. Julio Toral Vega (Cuenca)

18	maggio	1995.	Al sig. Gregorius Theodorus Folmer ('s-Hertogenbosch)
»	»	»	Al sig. Juan Bremer Gonzalez (Tijuana)
27	»	»	Al sig. Anthony Raheb (St. Marón of Sydney dei Maroniti)
31	»	»	Al sig. Mario Tuffetti (Cremona)
6	giugno	»	Al sig. Claudio Ciatti (Roma)
10	»	»	Al sig. Gino Giardetti (Roma)
17	»	»	Al Sig.. John T. A. Hoban (Westminster)
20	»	»	Al sig. Mauro De Fulvio *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Arturo Esposito *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Canio Videtta *(Italia)*
26	»	»	Al sig. Giancarlo Floris *(Italia)*
28	»	»	Al sig. Giuseppe Buggè (Oppido Mamertina-Palmi)
»	»	»	Al sig. Michel Amin Jereissati (Nossa Senhora do Paraíso em São Paulo dos Gregomelquitas)
7	luglio	»	Al sig. Peter Gazzola (Canada)
»	»		Al sig. Giuseppe Cicolini *(Italia)*
»	»	»	Al Sig. Joseph G. H. Vranken (Rotterdam)
15	»	»	Al sig. Franz Weibels (Köln)
»	»	»	Al sig. Heinrich Scholz (Wien)
22	»	»	Al sig. Jorge Carrion (Tarija)
»	»	»	Al sig. Giancarlo Giozza (Novara)
»	»		Al sig. Francis E. Barse (Camden)
»	»	»	Al sig. William T. Cahill (Camden)
»	»	»	Al sig. John P. Cappelli (Camden)
»	»	»	Al sig. Frank A. lula (Camden)
»	»	»	Al sig. Luke W. Jordan (Camden)
»	»	»	Al sig. Louis A. Keeler (Camden)
»	»	»	Al sig. Eugene J. McCaffrey (Camden)
»	»	»	Al sig. Nicholaus E. Marchione (Camden)
»		»	Al sig. Joseph M. Nardi (Camden)
»	»	»	Al sig. William T. Rennie (Camden)
»	»	»	Al sig. William F. Ryan (Camden)
»	»	»	Al sig. James E. Williams (Camden)
23	»	»	Al sig. Carl H. Lueg (Essen)
28	»		Al sig. Stanislaus James (Castries)
31	»	»	Al sig. Bernard J. Cunningam (Cardiff)
»		»	Al sig. Helmut F.M. Kirchmeyer (Köln)
11	agosto		Al sig. Jaime Fonalledas (San Juan de Puerto Rico)

La Croce di Dama di Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno:

22	aprile	1995.	Alla sijg.ra Carmen Fernandez de Alvear (Madrid)
9	maggio	»	Alla sig.ra Martina P.M. Hohmann - Van Dorne ('s-Hertogenbosch)
7	luglio	»	Alla sig.ra Marie T.L.H. Van Heteren-Hogenhuis (Utrecht)

La Croce di Dama di S. Gregorio Magno:

23	aprile	1995.	Alla sig.ra Virginia C. Cacho *(Filippine)*
28	»	»	Alla sig.ra Lucilie James (Castries)
9	maggio	»	Alla sig.ra Henrietta Tambunting De Villa (Manila)
10	giugno	»	Alia sig.ra Joan Bartlett (Westminster)
7	luglio	»	Alla sig.ra Phyllys Bowman (Westminster)
17	»	»	Alla sig.ra Herta Pamer (Wien)
28	»	»	Alla sig.ra Marjorie Weeke (Los Angeles)
29	»	»	Alla sig.ra Susana Gallardo De Piroli *(Ecuador)*
31	»	»	Alla sig.ra Veronica Clow (Cardiff)

La Gran Croce dell'Ordine di San Silvestro Papa:

21	agosto	1995.	Al sig. Jürgen Weiss *(Austria)*

***Lia** Commenda con Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:*

22	aprile	1995.	Al sig. Ernesto Ilardi (Roma)
27	maggio	»	Al sig. Ugo Aime (Casale Monferrato)
10	giugno	»	Al sig. André Rims (Malines-Bruxelles)
7	luglio	»	Al sig. Silvano Landi (Rieti)
31	»	»	Al sig. Gerardo Diaz Ardila (Girardot)
»	»	»	Al sig. Alvaro Arévalo Vanegas (Girardot)

La Placca dell'Ordine di San Silvestro Papa:

29	agosto	1995.	Al sig. Marcello Bedeschi (Ancona-Osimo)

La Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

22	aprile	1995.	Al sig. Albino Cartini (Concordia-Pordenone)
27	maggio	»	Al sig. Armando Cornacchia (Roma)
»	»	»	Al sig. Antonio Forti (Roma)
2	giugno	»	Al sig. Pasquale De Luca *(Italia)*
6	»	»	Al sig. Lucio Calabrese (Roma)
10	»	»	Al sig. Franco Poggi (Imola)
7	luglio	»	Al sig. Johannes H.G.I. Giesbers (Utrecht)
»	»	»	Al sig. Flavio Vizzuti (Belluno-Feltre)
»	»	»	Al sig. Alessandro Leone (Rieti)
»	»	»	Al sig. Franco Tolomei (Rieti)
»	»	»	Al sig. Filippo Palomba (Rieti)
»	»	»	Al sig. Nicolò Paratore (Rieti)
»	»	»	Al sig. Toraldo Perrotta (Rieti)
15	»	»	Al sig. Silvano Soragni (Modena-Nonantola)

15	luglio	1995.	Al sig. Pietro Colella (Nocera Inferiore-Sarno)
»	»	»	Al sig. Michael Weninger (Wien)
»	»		Al sig. Helmuth Puchebner (Wien)
31	»	»	Al sig. Alfonso Antonacci (Roma)
»	»	»	Al sig. Franz Albert (München und Freising)
»	»	»	Al sig. Matthias Schick (Köln)
11	agosto	»	Al sig. Jürgen Bringmann *(Germania)*
21	»	»	Al sig. Claudio Zonta *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Luciano Cavallo *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Francesco Falcitelli *(Italia)*
22	»	»	Al sig. Winfried Platzgummer (Wien)

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

8	aprile	1995.	Al sig. Antonio Saccani (Reggio Emilia-Guastalla)
7	»	»	Al sig. Giovanni Battista Antonucci *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Giovanni Offmann *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Gianfranco Linzi *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Giovanni Barberis *(Italia)*
28	»	»	Al sig. Johannes Schroeder (Aachen)
4	maggio	»	Al sig. Carlo Augusto Sartori (Treviso)
»	»	»	Al sig. Rodolfo Bianchini (Treviso)
»	»	»	Al sig. Luigino Maccatrozzo (Treviso)
»	»		Al sig. Giacomo Rossato (Treviso)
18	»	»	Al sig. Johannes Gijsbert ('-Hertogenbosch)
»	»	»	Al sig. Rudolf Schrumpf (Eisenstadt)
»	»	»	Al sig. Vincenzo Ciaraffa (Napoli)
»	»	»	Al sig. Salvador B. Cagurungan (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Pedro R. Perez (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Ceferino Aguinaldo (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Enrique Mallabo (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Felipe Tumacder (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Francisco Medinaceli (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Baltazar Febrico (Tuguegarao)
»	»	»	Al sig. Vinicio Benucci (Orvieto-Todi)
»	»	»	Al sig. Marcello Rinaldi (Orvieto-Todi)
27	»	»	Al sig. Alino Buratelli (Massa Marittima-Piombino)
»	»	»	Al sig. Mario Depase (Trieste)
»	»	»	Al sig. Silvio Devoto (Roma)
»	»	»	Al sig. Antonio Finizio (Roma)
6	giugno	»	Al sig. Giuseppe Carserà (Roma)
»	»	»	Al sig. Carlo Amici (Roma)
»	»	»	Al sig. Paolo Crescenzi (Roma)
»	»	»	Al sig. Antonio Miglio (Roma)
»	»	»	Al sig. Giulio Salomone (Roma)
10	»	»	Al sig. Terence Synan (Sale)
»	»	»	Al sig. Aiello Borsetti (Montepulciano-Chiusi-Pienza)

10	giugno	1995.	Al sig. Francesco Giuliano (Pescara-Penne)
17	»	»	Al sig. Norbert Kutschki (München und Freising)
»	»	»	Al sig. Alejandro Bautista (Malolos)
»	»	»	Al sig. Renato T. Ferrer (Malolos)
»	»	»	Al sig. Dudley S. Fox (Westminster)
»	»	»	Al sig. Luca Giovanelli (Perugia-Città della Pieve)
»	»	»	Al sig. Alessandro Menigatti (Perugia-Città della Pieve)
20	»	»	Al sig. Giuseppe Vitale *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Vittorio Smera *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Ferdinando Serra *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Giorgio Angeloni *(Italia)*
28	»	»	Al sig. Antonio Botteon (Vittorio Veneto)
»	»	»	Al sig. Lázaro Pereira da Cunha (Patos de Minas)
»	»		Al sig. Wilhelmus J. Olsthoorn (Rotterdam)
»	»	»	Al sig. Jacques Jozef L. Van Berckel (Haarlem)
»	»	»	Al sig. Franciscus H.C. Cortenraad (Roermond)
»	»	»	Al sig. Johannes L. Diephuis (Roermond)
7	luglio	»	Al sig. Henryk Lipinski (Northampton)
»	»	»	Al sig. Alphonsus A.M. Croes (Utrecht)
»	»	»	Al sig. Giuseppe Franco (Roma)
»	»	»	Al sig. Joseph H.M. Jansen (Haarlem)
»		»	Al sig. Audiface Placidi (Rieti)
»	»	»	Al sig. Alois Halder (Augsburg)
»	»	»	Al sig. Salustiano Vergas Fuente (Cochabamba)
»	»	»	Al sig. Eugen Steiner (Wien)
15	»	»	Al sig. Otto Spengler (Mainz)
23	»	»	Al sig. Guido Clonfero (Udine)
28	»	»	Al sig. Adriano Calcagni (Civita Castellana)
31	»	»	Al sig. Oscar Brazzi (Roma)
11	agosto		Al sig. Roberto de Jesús Toro (San Juan de Puerto Rico)
»	»	»	Al sig. Ricardo Gonzalez (San Juan de Puerto Rico)
21	»	»	Al sig. Paolo Fort *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Marco Parenti Nardi *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Luciano Carta *(Italia)*
	»		Al sig. Goffredo Napoli *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Ferdinando Scognamilio *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Mario Rossi *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Cesare Licchelli *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Claudio Papuzzi *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Antonio Di Flora *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Roberto Pompeo *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Giorgio Francescangeli *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Angelo Trepiccione *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Nunzio Putino *(Italia)*
	»	»	Al sig. Pietro Venezia *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Pasquale Antonio Mancini *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Vincenzo Pettorino *(Italia)*
»	»	»	Al sig. Massimo Abbruzzese *(Italia)*

La Croce di Dama di Commenda dell'Ordine di San Silvestro Papa:

28	aprile	1995.	Alla sig.ra Antoine Maria Rauscher (Rottenburg-Stuttgart)
»	»	»	Alla sig.ra Margret Marquardt (Rottenburg-Stuttgart)
»	»	»	Alla sig.ra Gisela Whöler (Rottenburg-Stuttgart)

La Croce di Dama dell'Ordine di San Silvestro Papa:

25	ottobre	1994.	Alla sig.ra Adriana Panni Cortini (Roma)
4	maggio	1995.	Alla sig.ra Carlottina Cavasi (Treviso)
8	»	»	Alla sig.ra Johanne M.F. Lei-jh-Jehee (Rotterdam)
18	»	»	Alla sig.ra Carmen C. Carag (Tuguegarao)
»	»	»	Alla sig.ra Ofelia Q. Cagurungan (Tuguegarao)
»	»	»	Alla sig.ra Maria B. Cortes (Tuguegarao)
»	»	»	Alla sig.ra Demetria C. Nolasco (Tuguegarao)
»	»	»	Alla sig.ra Concepción C. Caballero (Tuguegarao)
7	luglio	»	Alla sig.ra Anna Schimmel (Augsburg)
»	»	»	Alla sig.ra Johanna Rist (Augsburg)
15	»	»	Alla sig.ra Katharina Eiseisberg (Wien)
23	»	»	Alla sig.ra Mari Weiss-Tessbach (Wien)
»	»	»	Alla sig.ra Waltrud Wack (Fulda)

NECROLOGIO

30	settembre	1995.	Mons. Javier M. Aziz Ruarte Vescovo tit. di Bapara.
1	ottobre	»	Mons. Emiel-Jozef De Smedt, Vescovo em. di Brugge *(Belgio).*
4	»		Mons. José Pont y Gol, Arcivescovo em. di Tarragona *(Spagna).*
7	»	»	Mons. Adriani Mkoba, Vescovo em. di Morogoro *(Tanzania).*
8	»	»	Mons. Zygfrid Kowalski, Vescovo tit. di Asso.
15	»	»	Mons. Alfredo Torres Romero, Vescovo di Toluca *(Messico).*
23	»	»	Mons. Giuseppe Dell'Omo, Vescovo em. di Aqui *(Italia).*
»	»	»	Mons. Mariano Gutiérrez Salazar, Vescovo tit. di Bamaccora.
26	»	»	Mons. Philemon Kurtchaba, Vescovo tit. di Abritto.

An. et vol. LXXXVH 11 Decembris 1995

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano - *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE DECRETALES

Beatae Zdislavae de Lemberk Sanctorum honores tribuuntur

IOANNES PAULUS PP. II

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Laudibus mulier efferenda in divina Scriptura dicitur illa, quam fortitudine et decore ornatam vir eius et filii beatam praedicaverunt atque eleemosynis plenam in portis cives eius laudaverunt (cfr *Prv* 31, 28.31; *Act* 9, 36).

Talis quidem fuit Zdislava, « sanctae vitae domina » antiquitus appellata, quae circiter annum MCMXX Krizanovii in Moravia primo loco genita est quinque liberorum Pribislai et Sibyllae, virtute et opibus divitum; pater namque eius, foris militaris vir, intus vero monachus, arcis Veteris dominus fuit ac deinde Brunae, urbis magni momenti, et etiam Venceslai I regis procurator in Moravia, conventum condidit Fratrum Minorum Brunensëm atque claram Cisterciensium abbatiam de *Zd'ar nad Sázavou,* multaque fovit religionis et caritatis opera. Mater illius, origine Sicula, honoraria fuit matrona in aula Cunegundis reginae et veneranda mulier, digna quae vocaretur « ancilla Christi devota ».

Intra domesticos parietes ergo Zdislava Dei didicit cultum, in Virginem Mariam pietatem, erga egenos caritatem et in ecclesiastica Instituta liberalitatem.

Viginti fere cum esset annorum, nobili Havel seu Gallo de Lemberk, in Venceslaum I regem fidelissimo, nupsit, quem in ipsius feudum est secuta, in Bohemia septentrionali positum. Legi divinae oboediens, munera sui status rectissime sustinuit uxorque fuit fidelis et quattuor filiorum mater studiosa. Nec tantum suis prospexit propinquis, sed divini Magistri exemplum imitata et praecepta, oppressorum fuit auxiliatrix, pauperum et aegrotorum famula, quos suis curabat manibus, contagionis periculi neglegens. Uti e pervetustis chronicis depromitur, quinque mortuos virtute Dei ab inferis excitavit, ut multi caeci vidèrent effecit, claudos et leprosos sanavit aliisque pluribus aegris magno fuit auxilio.

Dei honor et pauperum evangelizatio ei cordi fuerunt; ideoque cum marito copulato merito Ordinem Fratrum Praedicatorum recens institutum amore est prosecuta muneribusque donavit, conditis pro eo ecclesiis adiunctisque conventibus locorum Jablonné et Turno viae: sicque pro modo suo tamquam laica motui spiritali a filiis Sancti Dominici excitato adhaesit.

Caelo maturam habitam eam Dominus ad se vocavit anno MCCLII. Magna cum diligentia est in ecclesia Dominicana Sancti Laurentii loci Jablonné sepulta: cuius tumulum multi petiverunt hodieque petunt, potentes eiusdem apud Deum preces invocantes.

Saeculorum igitur decursu Beata haec, Bohemiae ac Moraviae decus, solida amplaque sanctitatis fama itemque miraculorum exstitit insignis, et pluries eius corpus est recognitum sepulcrumque reiectum et exornatum. Anno MDCii est Sanctorum Patronorum Bohemiae fastis ascripta, et post aliquot annos de ipsius canonizationis Causa iuxta sacros canones agi coeptum est.

Multa exinde incubuerunt venerationis et cultus signa erga Zdislavam, qualia fuerunt tabulae pictae de eius vita et miraculis, donaria, lampades votivae, veteres prodigiorum indices, monumenta et scripta. Tandem annis MDCCCLXXXXVIII-MDCCCIC Episcopus Litomericensis canonicam instruxit inquisitionem, additis processibus rogatorialibus Pragensi, Brunensi atque Vindobonensi, super casu excepto a Decretis Urbani VIII; et die xxvin mensis Augusti anno MCMVII Summus Pontifex Pius X cultum confirmavit et probavit inde ab antiquissimis temporibus Beatae tributum.

Deinceps eius sanctitatis lumen maiore usque effulsit splendore in illius patria et extra, multique Praelati, artifices et scriptores eius laudes varie celebraverunt. Singulare momentum habet epistula, quam Paulus VI die xv mensis Aprilis scripsit anno MCMLXXI, septingentésimo quinquagesimo ab or-

tu Beatae. Tunc Romanus Pontifex praeter cetera haec dixit: «Mater familias fuit coniugialis fidelitatis, exemplum columenque domesticae pietatis et morum disciplinae; filia fuit Ecclesiae, doctrinis catholicis et operibus evangelicis penitus consecrata; civis fuit benefica pro egenorum subsidio advigilans sedulo; Dei amantissima fuit, cui soli domi ac foris serviebat».

Deinde multae ad Sedem Apostolicam pervenerunt epistulae postulatoriae — inter quas Episcoporum Bohemiae et Moraviae, Cardinalis Primatis Francisci Tomašek, Episcopi Litomericensis, Fratrum Praedicatorum Provinciae Bohemiae eorumque Magistri' Generalis, Praesidis nationis — quae omnes canonizationem petebant Beatae Zdislavae, verum uxoris ac matris christianae eam exemplar agnoscentes. Innumerae ceterum familiae in illius natali terra finitimisque regionibus, Beatam Zdislavam patronam et ad vocatam proclamabant.

Quapropter ad legum normas de virtutibus recognoscendis inquisitum est, quas Nos gradu heroico exercitas ediximus die II mensis Iulii anno MCMXCIV. Subinde de miraculo Beatae deprecationi ascripto canonica inquisitio est instructa et Apostolicae Sedis iudicio permissa. Quod mirum Nos pariter declaravimus die vi mensis Aprilis anno MCMXCV.

Demum quinto post die rite convocatum est sacrum Consistorium in quo, favente voto a Patribus Cardinalibus et Episcopis lato, statuimus ut canonizationis ritus die xxi mensis Maii sollemniter celebraretur per Nostram Bohemiae pastoralem visitationem.

Hodie igitur, multis circumstantibus Episcopis, sacerdotibus, Christifidelibus, inter sanctum Missae sacrificium hanc pronuntiavimus formulam:

Ke cti Nejsvétéjší Trojice, pro povznesení katolicke víry a vzrúst kresťanského života, autoritou našeho Pána Ježíše Krista, svätých apoštolú Petra a Pavla a Naši, po dlouhém uvažovaní a óastém vzývaní Boží pomoci, po vyslechnutí mínéní mnohá našich bratří z biskupského sboru, prehlasujeme s konečnou platností svätými blahoslaveného Jana Sarkandra a blahoslavenou Zdislave a zapisujeme je do seznamu svätých. Ustanovujeme, aby spolu s ostatními svätými byli v celé cirkvi zbožné uctíváni. Ve j menu Otce i Syna i Ducha Svätého.

Consueto deinde habito ad populum fidelem sermone de vita atque virtutibus eorum quos publice tunc imitandos proposueramus, eosdem Ipsi venerati sumus atque summa religione primi invocavimus.

Quae autem decrevimus et fecimus, volumus nunc et in posterum vim habere, contrariis rebus minime efficientibus quibuslibet.

Datum Olomucii, die xxi mensis Maii, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

EGO IOANNES PAULUS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*



Loco £8 **Plumbi**
In Secret. Status tab., n. 376.676

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

DIUGUENSIS

In Benino nova conditur dioecesis Diuguensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo aptius proveheretur aeterna salus Christifidelium commorantium in Benino itemque eorum regimini efficacius consuleretur antea est petitum ut in eadem Natione nova constitueretur dioecesis. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione sunt praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi

titulo Saelesiensis atque in Benino Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuerunt esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A Natitinguensi dioecesi separamus territorium districtuum civilium, qui patrio sermone nuncupantur Djougou, Bassila, Copargo et Ouake; ex eoque novam condimus dioecesim *Diuguensem,* quam metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe Djougou atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Sacri Cordis dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Andreas Dupuy, quem diximus, quique, re acta, curabit documenta exaranda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc quidem Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

& ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Loco ✠ **Plumbi**
In Secret. Status tab., n. 375.433

II

DASSANA-ZUMENSIS

In Benino nova conditur dioecesis Dassana-Zumensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad aptius fovendum spirituale bonum et efficacius consulendum simul pastorali regimini Christifidelium in Benino commorantium, antea est petitum ut ibidem nova Ecclesia constitueretur. Quapropter Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, omnibus mature perpensis auditoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Andreae Dupuy, Archiepiscopi titulo Saelesiensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, enixae postulationi concedendum esse putaverunt. Nos igitur, pro summo, quo fungimur, munere de omnibus Ecclesiis particularibus solliciti, talem sententiam ratam habemus atque summa Nostra potestate sequentia decernimus. A dioecesi Abomeiensi distrahimus territorium districtuum civilium patrio sermone nuncupatorum Dassa-Zoumé, Bante, Savalou, Savé, Glazoue et Ouesse; ex eoque novam condimus dioecesim *Dassanam-Zumensern* appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Cotonuensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus Episcopi sedem poni in urbe « Dassa-Zoumé » atque templum ibidem exstans, Deo in honorem « Notre Dame de Fourvière » dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus ad effectum adducet memoratus Venerabilis Frater Andreas Dupuy, qui, re acta, curabit documenta conficienda sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione cito mittenda. Hanc denique Apostolicam Nostram Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

6B ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TQMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.435

III

ECATEPEGENSIS

In Mexico nova conditur dioecesis Ecatepecensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad curam pastoralem aptius fovendam inter Mexicanos fideles commorantes in foederata civili regione « Estado de México ». nuncupata, admodum frequenti incolis, Venerabiles Fratres Maginus Camerinus Torreblanca Reyes, Episcopus Texcocensis, et Emmanuel Pérez-Gil González, Archiepiscopus Metropolita Tlalnepantlanus, audita Conferentia Episcoporum eiusdem Nationis, ab hac Apostolica Sede antea petiverunt ut, quibusdam distractis territoriis a circumscriptionibus ecclesiasticis suis, nova dioecesis conderetur. Nos, favente quoque eidem rei Venerabili Fratre Hieronymo Prigione, Archiepiscopo titulo Lauriacensi et in Mexico Nuntio Apostolico, de consilio Congregationis pro Episcopis admotae postulationi libenter concedendum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate quae sequuntur decernimus. A dioecesi Texcocensi separamus integrum territorium municipii patrio sermone « Ecatepec de Morelos » nuncupati; ab archidioecesi autem Tlalnepantlana seiungimus illam municipii Tlalnepantlani partem quae; appellatur « Isla Municipal de Ixhuatepec »; atque ex ita distractis territoriis novam constituimus dioecesim *Ecatepecensem,* quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicta territoria, simul sumpta, prout in lege civili nunc

exstant. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe « Ecatepec de Morelos » ponimus, ibique templum paroeciale situm, Deo in honorem Sancti Christophori — vulgo San Cristóbal Ecatepec — dicatum, ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus. Praeterea dioecesim Ecatepecensem suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Tlalnepantlanae eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Tlalnepantlani subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insignibus et honoribus ornatum atque oneribus et officiis adstrictum, quae Praesulum Ordinariorum, locorum propria sunt. Mandamus insuper ut quam primum ibi constituatur ad normam iuris Collegium Consultorum, qui Episcopo, consilio et opera valido sint auxilio. Congruae quidem sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae secundum normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici eidem obvenire debent quaeque hactenus ad mensas episcopales dioecesis Texcocensis et archidioecesis Tlalnepantlanae pertinuerunt. In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; suoque tempore selecti Seminarii alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam, si fieri potest, mittantur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae canones Codicis Iuris Canonici praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem clerici Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia respiciunt, a Curiis Texcocensi ac Tlalnepantlana ad Curiam Ecatepecensem quam primum transmittantur. Quae statuimus, perficienda committimus Venerabili Fratri Hieronymo Prigione, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis, cum primum fas erit, remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duodetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Franciscus Cascone, *Protonot. Apost. s.n.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.179

IV

GUVAH ATINA

Provincia ecclesiastica Guvahatina in India conditur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Indorum ecclesiales communitates vigere iam laetantes cernimus atque ut eae usque volumus floreant et Christi salutem omnibus exhibeant. Nunc autem Guvahatina dicio ob oculos versatur, ad cuius salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. De consilio igitur Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Venerabili Fratre Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Apostolico Pronuntio, consentiente, Apostolica Nostra usi potestate, novam Provinciam Ecclesiasticam condimus *Ouvahatinam* appellandam, distractis dioecesibus Guvahatina, Dibrugarhensi, Diphuensi et Tezpurensi a metropolitana Sede Shillogensi, et ea posthac ad Archidioecesim Metropolitanam evehetur, cui nectentur dioeceses Dibrugarhensis, Diphuensis et Tezpurensis, veluti suffraganeae Sedes. Renuntiamus exinde Venerabilem Fratrem Thomam Menamparampil, hactenus Episcopum Guvahatinum, Archiepiscopum Metropolitam, cunctis additis iuribus congruentibus ad sacrorum canonum praescripta. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Georgium Zur deputamus, quem supra memoravimus, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica

dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

© ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.715

V

IMPHALENSIS

In Indiae finibus constituitur nova Provincia ecclesiastica Imphalensis, cuius metropolitana Ecclesia erit Sedes eiusdem nominis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Ecclesia catholica in Indiae finibus, hisce postremis temporibus Episcoporum, sacerdotum, religiosorum virorum et mulierum necnon Christifidelium consociata opera, passim laeta cepisset incrementa, quo aptius iisdem cunctis perhiberetur meritum laudis testimonium eorumque simul animi confirmerentur ad magis in dies sedula navitate adlaborandum in spirituale bonum commune, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit ut in eadem Natione novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Nos vero pro summo Apostolico, quo fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Shillongensi distrahimus dioeceses Imphalensem et

Kohimaënsem atque ex his efficimus novam Provinciam ecclesiasticam *Imphalensem,* cuius Sedes princeps erit Ecclesia Imphalensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus tributis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem alteram, quam diximus, dioecesim uti suffraganeam. Insuper Venerabilem Fratrem Iosephum Mittathany, hactenus Episcopum Imphalensem, Archiepiscopum Metropolitam Imphalensem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Georgio Zur, Archiepiscopo titulo Sestensi atque in India Apostolico Pronuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae exsecutionis ad memoratam Congregationem. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.939

VI

OTUKPOËNA

In Nigeria nova conditur Otukpoëna dioecesis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Gravissimis in muneris Nostri officiis cotidie vigilanter implendis ea quoque consilia inceptaque potissimum curamus persequenda quibus non tantum in universum populi Dei saluti aeternae quam efficacissime consula-

tur sed nominatim in missionum sacrarum regionibus totum evangelizationis opus quam sapientissime prosperetur. Cum igitur ab hac postulatum sit Sede Apostolica ut in Nigeria dioecesis ipsa Makurdensis divideretur, unde nova ecclesialis communitas excitaretur ad commodiorem totius Catholici populi inibi degentis gubernationem, oblatis nihil quidem dubitamus obsequi sic precibus singulaque haec sequentia fieri graviter iubere, apostolicae potestatis Nostrae usi nimirum plenitudine. Per has videlicet litteras loca seu oppida et fines civiles, quibus sunt nomina Otukpo, Ado, Apa, Ogbadibo, Oju et Okpokwu, a superius commemorata dioecesi seiungimus ex quibus novam condimus ecclesiasticam circumscriptionem nomine indito *Tukpoënae* dioecesis quam suffraganeam simul constituimus metropolitanae ecclesiae Abugensi. Episcopalem dein huius dicionis sedem in civitate vulgo Otukpo collocamus ubi aedem sacram Deo ad honorem Sancti Francisci dicatam ad gradum evehimus dignitatemque templi cathedralis, additis iuribus cunctis et privilegiis quae id genus congruunt ad sacros canones aedificiis. Quo autem religiosius haec omnia optatum perducantur ad effectum destinamus Pro-Nuntium ipsum apud Nigerianam nationem, Venerabilem Fratrem Carolum Mariam Vigano, Archiepiscopum titulo Ulpianensem, vel quem ex more legeque is delegaverit, necessariis factis iam facultatibus. Re vero peracta documentorum singulorum certa veraque exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione rite transmittantur. Quandoquidem novam hanc dioecesium in Nigeria ordinationem plurimum confidimus Ecclesiae Catholicae commoditati et Evangelii propagationi profuturam, has ideo Litteras omnem vim suam tam nunc exserere volumus quam in pósteros usque annos, contrariis quibusvis causis aut casibus haudquaquam obsistentibus.

Datum Romae apud S. Petrum die decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri decimo septimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco ffi Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.940

VII

KAFANCANA

Nova in Nigeria constituitur dioecesis Kafancana appellanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum ad aeternam dominici gregis salutem provehendam eiusque regimini facilius et efficacius consulendum Nobis concreditum sit munus, venturae omnium christifidelium prosperitati prospicere festinamus. Cum huiusmodi petitum sit ut in Nigeria nova constitueretur dioecesis, Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales atque Praesules Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi, re mature perpensa, favorabili habito voto Venerabilis Fratris Caroli Mariae Vigano, Archiepiscopi titulo Ulpianensis et in Nigeria Apostolici Pro-Nuntii, auditisque eorum quorum interest votis, admotis precibus libenter concedendum esse putaverunt. Nos igitur eiusdem Congregationis sententiam excipientes ratamque habentes, Apostolica Nostra potestate haec statuimus et decernimus. Territoria districtuum civilium vulgo Kaura, Jema'a et Jaba ab archidioecesi Iosensi, necnon Kaum, Lere et Zangón Kataf ab archidioecesi Kadunaënsi distrafiimus; ex iisque novam constituimus dioecesim *Kafancanam* appellandam, quam metropolitanae Ecclesiae Kadunaënsi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Iubemus insuper ut Episcopi sedes in urbe vulgo Kafanchan ponatur, in templo Sancto Petro Claver dicato, quod simul ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus. Cetera vero secundum leges canonicas temperentur. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Carolum Mariam Vigano, quem supra diximus, legamus. Re tandem ad exitum perducta, documenta apparentur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione diligenter mittantur. Hanc denique Constitutionem Apostolicam ratam esse volumus sive nunc sive in posterum, contrariis rebus quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

68 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 375.941

VIII

CIVITATIS QUESADENSIS

In Costarica nova conditur dioecesis Civitatis Quesadensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Maiori Christifidelium bono studentes consulere sacrorum Antistites Conferentiae Episcoporum Costaricae unanimo consensu ab hac Apostolica Sede petiverunt ut, quibusdam seiunctis territoriis a dioecesibus Alaiuelensi et Tilaranensi, nova dioecesis conderetur, quo aptius ibidem provideretur pastoralibus necessitatibus. Nos vero, favente eidem rei Venerabili Fratre Hyacintho Berloco, Archiepiscopo titulo Fidenatensi et in memorata Natione Apostolico Nuntio, de consilio Congregationis pro Episcopis enixis precibus libenter obsecundandum esse putavimus. Summa igitur Nostra potestate, sequentia decernimus: a dioecesi Alaiuelensi separamus territorium pagorum nuncupatorum San Carlos, Los Chiles et Sarapiquí et a dioecesi Tilaranensi seiungimus territorium pagorum vernacula nempe Upala et Guatuso nominatorum qui ad superius modo commemoratam adhuc pertinuerunt dioecesim atque ex ita distractis territoriis novam constituimus *Civitatis Quesadensis* dioecesim appellandam, quae iisdem limitabitur finibus, quibus praedicti pagi simul sumpti, prout in civili lege exstant, nunc terminantur. Sic conditae Ecclesiae sedem in urbe Ciudad Quesada ponimus, ibique situm paroeciale templum, Deo in honorem Sancti Caroli Borromeo dicatum,

ad gradum et dignitatem ecclesiae cathedralis evehimus cuique propria insignia, privilegia et honores tribuimus. Praeterea dioecesim Civitatis Quesadensis suffraganeam efficimus metropolitanae Sedi Sancti Iosephi in Costarica eiusque Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi Sancti Iosephi in Costarica subicimus iisdem iuribus, privilegiis, insignibus honoribusque ornatum atque oneribus officiisque adstrictum, quibus Praesules Ordinarii locorum fruuntur atque adstringuntur. Mandamus insuper ut quam primum ibi ad normam iuris constituatur collegium consultorum, qui Episcopo, consilio et opera, valido sint auxilio. Congruae quidem ac dignae sustentationi Praesulis novae dioecesis provideatur Curiae emolumentis, fidelium oblationibus ac portione bonorum, quae eidem obvenire debent e divisione ad normam canonis 122 Codicis Iuris Canonici facienda quaeque hactenus ad mensas episcopales dioecesium Alaiuelensis et Tilaranensis pertinuerunt.

In iis autem quae respiciunt ad Seminarii dioecesani aedificationem atque candidatorum ad sacerdotium institutionem, serventur quidem praescripta iuris communis, habita praesertim ratione normarum ac regularum a Congregatione de Institutione Catholica statutarum; cum fas erit, selecti Seminarii alumni, philosophicis ac theologicis disciplinis imbuendi, necnon sacerdotes sua studia completuri, Romam mittantur. Quod vero attinet ad conditae dioecesis regimen, bonorum ecclesiasticorum administrationem, dioecesani Administratoris « sede vacante » electionem, fidelium iura et onera aliaque id genus, quae canones Codicis Iuris Canonici praescribunt ad amussim serventur. Simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, eo ipso sacerdotes illi adscripti censeantur Ecclesiae in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri autem clerici Seminariique alumni incardinati maneant vel incardinentur Ecclesiae in cuius territorio legitimum habent domicilium. Acta et documenta quae ad noviter constitutam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia pertinent, a Curiis Alaiuelensi et Tilaranensi ad Curiam Civitatis Quesadensis quam primum transmittantur. Quae praescripsimus, perducet ad exitum Venerabilis Frater Hyacinthus Berloco, quem diximus, cuique tribuimus necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis de more remittendi. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagésimo quinto, Pontificatus Nostri septimo decimo.

£8 ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

£8 BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 377.036

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Dei Servo Modestino a Iesu et Maria Beatorum honores decernuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — «In hoc novimus caritatem, quoniam ille pro nobis animam suam posuit; et nos debemus pro fratribus animas ponere» *(1 Io* 3, 16). Ea caritate, quam Christus ostendit in Cruce, iugiter inflammatum est ministerium caritatis Venerabilis Servi Dei Modestini a Iesu et Maria, presbyteri ex Ordine Fratrum Minorum, qui peculiare divinae misericordiae testimonium reddidit et primo praeteriti saeculi labente dimidio apud regiones Italiae Australis spei artifex exstitit.

Servus Dei Frattae Maioris, in provincia Neapolitana et dioecesi Aversana, die v mensis Septembris anno MDCCGII primam vidit lucem. Eius parentes Nicolaus Mazzarella et Teresia Esposito, quamvis humiles artifices cannabes confidentes, tamen sapientes filiorum suorum fuerunt institutores. Sequenti die post natalem ille sacro ablutus est fonte in paroecia sancti Sosii Levitae et Martyris et nomen Dominicum suscepit. Ferventi ductus impulsu ad sacras celebrationes participandas, inde a tenera aetate apud templum paroeciale munus serviendi ad altare exercuit, omnes modestia et pietate aedificans. Dein divini Magistri vocationem exaudiens, consilium cepit se bono fratrum vovendi in sacerdotali ministerio. Hac de causa, alumnus apud Seminarium dioecesanum Aversanum aliquot per annos studiis se

Carissimi, vi ringrazio e raccomando alle vostre preghiere questo « Tertio millennio adveniente »; che sia un segno della continuità con il Colosseo romano dei primi secoli. Ci prepariamo alla veglia pasquale di domani e poi alla Domenica della Pasqua vivendo profondamente il mistero di Cristo, mistero salvifico, mistero del nostro Redentore, e confessiamo con tutta la Chiesa, come abbiamo confessato davanti ad ogni stazione della Via Crucis: « Tu, o Cristo, hai salvato il mondo, hai redento il mondo. Il mondo ha sempre bisogno della tua redenzione e ne avrà sempre bisogno in tutti i millenni che rimangono ancora sulla strada da percorrere verso il futuro dell'umanità e della Chiesa ».

Fratelli e sorelle, vi lascio una Benedizione e vi ringrazio della vostra partecipazione, nonostante la pioggia. Alla pioggia dobbiamo ancora un ringraziamento speciale.

Sia lodato Gesù Cristo!

II

Die Paschatis missus.*

1. « Annunziamo la tua morte, Signore, proclamiamo la tua risurrezione». Durante la Settimana Santa, settimana della Passione del Signore, la Chiesa annunzia la morte di Cristo. L'annunzia sin dalla Domenica delle Palme, e poi durante il Triduo pasquale. Giovedì Santo, Venerdì Santo, Sabato Santo: tre giorni nei quali si sviluppa l'annuncio liturgico della morte di Cristo, che si conclude presso la tomba dove è deposto il corpo esanime di Gesù di Nazaret. Oggi la Chiesa ritorna a quella tomba; vi torna anzitutto mediante le donne di Gerusalemme, venute dopo il sabato per ungere il Corpo di Cristo. Esse trovano il sepolcro vuoto ed odono dal di dentro le parole: « So che cercate Gesù il crocifisso. Non è qui. È risorto, come aveva

*** Die 16 Aprilis 1995.**

detto».[1] Da quell'istante la Chiesa comincia a confessare che Colui che era morto, ormai vivo, trionfa: « Annunziamo la tua morte, Signore, proclamiamo la tua risurrezione ».

2. E significativo che prime testimoni della risurrezione siano le donne; esse per prime ricevono dall'interno del sepolcro la notizia inattesa e sconvolgente, fonte all'inizio di grande spavento. La verità, tuttavia, è sotto i loro occhi: il sepolcro è vuoto, privo ormai del corpo di Cristo. Spaventate, avvertono confusamente d'essere testimoni di un evento capace di cambiare la storia dell'uomo. Esse non possono conservare solo per sé l'esperienza di un simile evento! Corrono pertanto dagli Apostoli, per trasmettere loro fedelmente ciò di cui sono state testimoni. Pietro e Giovanni si recano alla tomba e costatano quanto hanno appreso dalle donne. Quel giorno stesso la notizia della tomba vuota si diffonde. La sera, poi, Gesù conferma agli Apostoli, riuniti nel Cenacolo, che il sepolcro vuoto è prova della sua risurrezione.

3. La risurrezione fu per gli Apostoli una totale sorpresa? Non ne avevano udito dalla bocca di Gesù numerosi annunci? Egli aveva preannunciato chiaramente la propria morte in croce a Gerusalemme. E sempre aveva aggiunto: «Il Figlio dell'uomo... il terzo giorno risorgerà».[2] Quanto era successo, quanto avevano costatato le donne e poi gli Apostoli stessi, — realtà prima difficile da credere — da quel giorno è divenuto un dato ovvio. Del resto, Gesù non aveva forse risuscitato dei morti? Non aveva risuscitato Lazzaro, il suo amico, fratello di Maria e di Marta? Non aveva detto a Marta in lacrime per la morte del fratello: «Tuo fratello risusciterà»?[3] Ed aveva poi aggiunto: « Io sono la risurrezione e la vita ».[4] Dopo tutto questo, può la Chiesa non testimoniare la risurrezione di Cristo? Può non annunziarla con forza ed intima gioia?

4. Sì, la Chiesa annunzia il Vangelo della vita, con la forza di Colui che ha vinto la morte, ed invita ciascuno a « lavorare con costanza e coraggio, perché nel nostro tempo, attraversato da troppi segni di morte, si instauri finalmente una nuova cultura della vita, frutto della cultura della verità e

[1] *Mt* 28, 5-6.
[2] *Ibid.,* 17, 22-23.
[3] *Gv* 11, 23.
[4] *Ibid.,* 11, 25.

dell'amore ».[5] Cristo apre il cammino della vita! Alle famiglie scompaginate dalla guerra, alle vittime dell'odio e della violenza, come in Algeria, in Bosnia ed Erzegovina, in Burundi e nel Sudan meridionale, la Chiesa non esita a rinnovare il messaggio pasquale della pace, ricordando a tutti la comune origine dall'unico Dio. A coloro che attendono, nella sofferenza, il riconoscimento di loro profonde aspirazioni, come i palestinesi, i curdi o, tra le altre, le popolazioni indigene dell'America Latina, la Chiesa propone il dialogo come unica via atta a promuovere soluzioni eque, per una convivenza improntata al rispetto ed all'accoglienza reciproca. A quanti sono tentati di riporre, ancora una volta, la speranza nelle armi, come nel Caucaso e più recentemente in Ecuador o in Perù, la Chiesa ripete con sollecitudine accorata che egoismo e volontà di potenza contraddicono la verità dell'uomo, non meno che la dignità del cristiano. A tutti la Chiesa ricorda che la serena convivenza, frutto di stima e mutua comprensione, si nutre di paziente apertura verso ogni fratello.

5. Tutto si rinnova nella luce del Risorto, il quale soltanto può dire: « Io sono la risurrezione e la vita; chi crede in me, anche se muore, vivrà; chiunque vive e crede in me, non morrà in eterno ».[6] La fede della Chiesa è contenuta in queste parole! Cristo, risorto il terzo giorno, è «il primogenito di coloro che risuscitano dai morti »,[7] l'inizio della risurrezione dei corpi e della vita eterna in Dio. La Chiesa vive oggi una grande gioia, che condivide prima di tutto con la Madre di Cristo: « Regina caeli laetare: Alleluia! »: « Regina del cielo rallegrati: Alleluia! ». Dall'alto della Solennità della Risurrezione questa gioia si diffonde su tutta la vita dei cristiani: « Victimae paschali laudes immolent christiani... »: «Alla vittima pasquale s'innalzi oggi il sacrificio di lode. L'agnello ha redento il suo gregge, l'Innocente ha riconciliato noi peccatori col Padre. Morte e Vita si sono affrontate in un prodigioso duello. Il Signore della vita era morto: ma ora, vivo, trionfa ».

[5] ***Evangelium vitae*, *11.***

[6] ***Ovil*, 25-26.**

[7] ***Col* 1, 18.**

ACTA CONGREGATIONUM

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

RESPONSIO AD PROPOSITUM DUBIUM

Responsum ad dubium circa doctrinam in Epist. Ap. «Ordinatio Sacerdotalis» traditam.

Dub.: Utrum doctrina, tradita tamquam definitive tenenda in Epist. Ap. « Ordinatio Sacerdotalis », iuxta quam Ecclesia facultatem nullatenus habet ordinationem sacerdotalem mulieribus conferendi, ut pertinens ad fidei depositum intelligenda sit.

Resp.: Affirmative.

Haec enim doctrina assensum definitivum exigit, cum, in verbo Dei scripto fundata atque in Ecclesiae Traditione inde ab initio constanter servata et applicata, ab ordinario et universali magisterio infallibiliter proposita sit (cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen gentium,* 25, 2). Quapropter, praesentibus adiunctis, Romanus Pontifex, proprium munus fratres confirmandi exercens (cfr. *Lc* 22, 32), eandem doctrinam per formalem declarationem tradidit, explicite enuntians quod semper, quod ubique et quod ab omnibus tenendum est, utpote ad fidei depositum pertinens.

Hoc responsum in Conventu ordinario huius Congregationis deliberatum, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex aedibus Congregationis pro Doctrina Fidei, die 28 mensis Octobris 1995, in festo SS. Simonis et Iudae, Apostolorum.

83 IOSEPHUS card. RATZINGER, *Praefectus*

€8 Tharsicius Bertone, archiep. em. Vercellen., *Secretarius*

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BRIXIEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi Tovini, viri laici (1841-1897).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Laicus quisque perfectus debet esse christianus. Laici non sunt christiani secundarii, dubiae fidelitatis erga Ecclesiam et mediocris debitorum baptismi sui munerum observantiae; ipsi quoque ad christianam vocantur perfectionem, ad Dei amorem et proximi, ad sanctitatem: sanctitatem eorum generi vitae consentaneam in mundo, saecularem, quae dicitur, ad non ideo tepidam ac permittentem erga humanas fragilitates et saeculi temptationes; sanctitatem quae ad plenitudinem caritatis tendit atque ad Christi imitationem» (Insegnamenti di Paolo VI, V [1967], Tip. Pol. Vaticana 1968, p. 856).

Gratiae fidelis et officiis baptismi, laicus Iosephus Tovini in communione vixit cum Deo cumque Ecclesia et, alacriter divini Magistri sequens vestigia, Deum vitae et operum sanctitate glorificavit; apostolici ardoris plenus lumen Evangelii fudit in mundo et multimodis incremento regni Christi in societate temporis sui operam dedit, exemplari modo munus explens laicorum proprium, qui «a Deo vocantur, ut suum proprium munus exercendo, spiritu evangelico ducti, fermenti instar ad mundi sanctificationem velut ab intra conferant, sicque praeprimis testimonio vitae suae, fide, spe et caritate fulgentes, Christum aliis manifestent» (Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 31).

Indefatigabilis hic vineae Domini operarius (cf. *Mt* 20, 1 ss.), a Moyse Tovini ortus est et Rosa Malaguzzi, pridie idus Martias anno 1841, in oppido Cividate Camuno, intra fines posito Brixiensis provinciae, et postridie per baptismum est in Corpus Christi mysticum insertus. Familia, et imprimis pia mater, solida atque austera eum christiana instruxit educatione, quam puer cum docilítate accepit et utilitate. Ludum oppidi Cividate frequentavit atque oppidi Breno et postea alumnus fuit ephebei municipalis loci Lovere, ubi alacritate indolis eminuit, ingenii varietate, diligentia in

muniis scholasticis explendis inque observantia disciplinae ac religionum fervore. Propter familiae indigentiam est gratuito in Instituto acceptus, quod sacerdos Nicolaus Mazza Veronae condiderat pro iuvenibus pauperibus et merentibus. Illo in loco admodum religioso et verae caritatis pleno suam solidavit maturitatem christianam, et aliquamdiu animadvertit se sacerdotio illici atque missionibus, sed ei suasum est ut tamquam laicus Deo serviret et Ecclesiae, eo magis quod imbecillaè valetudinis erat. Curriculo studiorum lycei confecto ordinem studiorum iurisprudentiae apud Patavinam Universitatem frequentavit et deinde Ticinensem, et anno 1865 est doctoris gradum adeptus. Interea, ambobus parentibus orbatus, de multis fratribus ac sororibus curam adhibuit, patris vice functus.

Vicarius rectoris fuit et praeceptor in ephebeo municipali oppidi Lovere simulque in advocati ac libellionis officio laboravit. Anno 1867 Brixiae in omne tempus domicilium collocavit ubi, ad mortem usque, multiplicem explicavit apostolatum et Iesu verba ad effectum adduxit omnibus viribus: «Vos estis sal terrae... vos estis lux mundi» *(Mt* 5, 13-14). Idoneus indicatus qui causas ageret, suum praestitit officium claro advocato lordano Cörbolani et coepit varias privatim causas suscipere, appetitione motus efficiendi ut iustitia praepolleret atque pauperes, sacerdotes et instituta catholica gratis vel fere gratis defendendi.

Deinde Aemiliae Corbolani, filiam advocati cui operam dabat, sibi despondit et viam ad matrimonium est ingressus eo consilio, ut modo quam optimo Dei faceret voluntatem et in itinere sanctitatis progrederetur. Anno 1874 ad sponsam scripsit: « Semper matrimonium optavi tamquam instrumentum perfectionis moralis et religiosae, et numquam Domino satis gratias agere poterò, quod mihi te desponsam dedit. Utique, cara Aemilia: tecum virtutibus ornatior ero, perfectior. Tecum fervidiores adhibebo preces, maiore cum diligentia mea munera exsequar, fortiorem me sentiam in virtutis exercitio; denique tutiorem mei supremi finis adeptionem reddant». Revera magna cum cura et gaudio matrimonium suum, die Epiphaniae anno 1875 celebratum, coluit. Arcte cum uxore coniunctus familiam suam fecit domesticum Ecclesiae sanctuarium atque humanitatis et sanctitatis scholam. Non solum maritus fuit amore et caritate dives, sed etiam decem filiorum suorum studiosus pater, quorum assidue ac sapienter formationem humanam et christianam curavit, existimationem iis iniciens et observantiam doctrinae moralis catholicae atque bonorum supernaturalium appetitionem. Repetere solitus erat: «Filii nostri sine fide numquam erunt divites,

cum fide numquam erunt pauperes ». Benignitatem cum severitate conciliavit et, cum res id postulabat, filiis nec animadversionem nec meritam poenam condonabat. Saepe dicebat eis: «Nolo propter vos in infernum ire; sed ne volo quidem vos ire in infernum propter me». Exigebat ab eis diligentiam in studiis et cupiebat eosdem in doctorum numerum adscribi, persuasum habens personas doctas Ecclesiae et patriae posse maiores utilitates praebere.

Familia non neglecta, per totam vitam professioni advocati apte, diligenter atque probe se dedidit, quam in veram mutavit missionem veritati defendendae atque proximis et Ecclesiae adiuvandis. Eodem tempore, conscius se munus sacerdotale, propheticum et regale Christi communicare (cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia *Lumen gentium,* 34-36; Ioannes Paulus II, Adhort. Apost. *Christifideles laici,* 14), cum humilitate, fervore et perseverantia totum se obtulit Deo totamque suam navitatem, Evangelii novitatem et vim collustravit in vita sua familiari cotidiana et sociali, bonum fovit, contra malum contendit et agitationi christianae ordinis temporalis necnon Dei regni incremento in mundo interfuit. Namque «laicos oportet ordinis temporalis instaurationem tamquam proprium munus assumere et in eo, lumine Evangelii ac mente Ecclesiae ductos et caritate christiana actos, directo et modo definito agere; qua cives cum civibus, specifica peritia et propria responsabilitate cooperari; ubique et in omnibus iustitiam regni Dei quaerere » (Conc. Oecum. Vat. II, Decr. de apostolatu laicorum *Apostolicam actuositatem,* 7).

De bono communi sollicitus, syndicus fuit oppidi Cividate Camuno, consiliarius provincialis pro conventu iuridico loci Pisogne, consiliarius municipalis Brixiensis atque Institutorum beneficorum et liberalium civitatis fautor. Anno 1877, a sacerdote Petro Capretti monitus, Operi Congressuum adhaesit et, munere accepto Praesidis Consilii Dioecesani, nisus est ad vires catholicas excitandas et ordinandas hic illic sparsas et latentes in paroeciis atque ad ferendum inter populum fermentum doctrinae morumque disciplinae christianae, studens ut rationem rei publicae administrandae moderatorum Italicorum illius temporis, clericis infestam, coerceret. Ortui favit non paucorum Consiliorum Paroecialium, Consociationum Operariarum Catholicarum ad suppetias mutuo ferendas, Ar earum Rusticarum et Consortiorum mutuae opis utilitatisque causa initorum, Consilii pro electionibus ad administrationem pertinentibus, Societatis Tabellariae Catholicae, Societatis pro quiete dierum festorum, bibliothecarum circumeuntium et Scholae lectionis

ac relaxationis pro iuvenibus. Operi Congressuum servivit etiam ad libellam regionalem tamquam socius et postea Praeses Consilii Langobardi atque ad libellam nationalem, tamquam Praeses tertiae partitionis « Educatio et Institutio », necnon tamquam eiusdem Operis Vicarius Praesidis. Multiplicibus inceptis scholam catholicam defendit ac libertatem institutionis favitque professorum et alumnorum formationi christianae. Hoc modo ex eius corde orta sunt Pium Opus Conservationis Fidei in Scholis Italiae et Commentaria «Fede e Scuola» atque «La Scuola Italiana Moderna ». Brixiae condidit ephebeum « Ven. Alexander Luzzago » (quod post aliquot annos clausum, est iterum apertum, «Cesare Arici» appellatum), ludum pueritiae «S. Ioseph» aliaque opera sustinendis parentibus, praeceptoribus et alumnis Studiorum Universitatis. Favit etiam consilio instituendae Catholicae Universitati studiorum in Italia. Quod attinet quoque ad libros catholicos typis exscribendos Servus Dei impigram explicavit actionem. Operam dedit commentario condendo « Il Cittadino di Brescia » constituitque commentaria « La Voce del popolo » et « Sorrisi e vagiti di Maria SS. Bambina ». Ut Instituta catholica copiam nummariam haberent operam dedit constituendae argentariae oppidi Breno in Valle Camunorum aliasque duas condidit argentarías: unam Brixiae, alteram Mediolani.

In tot inceptis et negotiis, quae solum breviter et partim commemoravimus, Servus Dei numquam se gerere praetermisit sicuti verum Christi discipulum nec umquam a proposito discessit cotidie in via progrediendi christianae perfectionis, nempe sanctitatis; immo ipsa cupido melius usque testificandi suam erga Iesum fidelitatem eum indefessum reddidit in serviendo Ecclesiae atque societati. Cum insuper pro certo haberet divino opus esse auxilio ut bene ac fructuose suum expleret munus, cum fervore et perseverantia coniunctionem cum Domino coluit; etenim «patet fecunditatem apostolatus laicorum pendere ex ipsorum cum Christo vitali unione, dicente Domino: "Qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere" *(Io* 15, 5) » *(Apostolicam actuositatem,* 4). Adhaesit igitur tota mente, toto corde, totis viribus personae et doctrinae Redemptoris. Firmiter in Evangelium credidit et in magisterium Ecclesiae et impavidus neque erubescens lumen fidei suae solidae ac vivae et suae caritatis ignem in ambitu familiae, professionis, consociationum catholicarum, rei publicae, civilis administrationis et populi diffudit. In quadam acroasi dixit: « Vae nobis si in fide nostra sustinenda sinceritatem omittamus; filii nostri male dicant nobis». Coniunctionem cum Domino aluit pia ac fructuosa

Missae participatione et communione cotidiana, Eucharistiae adoratione, crebra peccatorum confessione, meditatione veritatum aetemarum, deprecatione, exercitationibus spiritualibus annuis, religione erga Sacrum Cor Iesu et Virginem Mariam, quam praesertim recitatione Rosarii honorabat. Deus cardo eius vitae fuit, eius cogitationum, affectuum, multorum negotiorum; propter eius amorem se ipsum abnegavit, innumerabüia obiit labores et incommoda, ex toto divina mandata observavit, leges ecclesiasticas, Summi Pontificis normas, episcoporum suique confessarii; prudenter, ingeniose et humiliter talenta caelitus accepta feneravit; sui immemor numquam sibi pepercit ut proximos adiuvaret, in primis farniliam suam, iuvenes, pauperes, aegrotos, instituta religiosa. Cum respectu adversarios tractavit, eorum aestimationem sibi concilians, et ex animo inimicis ignovit, pro quorum salute deprecabatur. Utilitatem alienam suae anteposuit atque cupiditatem fugit et vanitatem. Magnas divitias potuerat acervare, sed in decora et honesta paupertate vivere maluit, firmiter superfluum recusans omnemque facultatem, vel legitimam, fortunam famuiae amplificandi. Affirmavit: « Non gaudium et commoda oportet quaerere. Laborare oportet solummodo ad caelum consequendum nostrasque vires omnes, nostros actus ad hunc finem dirigere». Ita fideliter ac laete regulam observavit Tertii Ordinis Franciscani, in quem nomen professus erat anno 1882. Quamvis corpore gratius esset et imbecillior valetudine modo exemplari temperantiam coluit, castigationem sui atque sensibus et motibus animi est moderatus singularemque ostendit moralem fortitudinem in facienda Dei voluntate et in se pro eius regno devovendo. Cum vere humilis esset, nisus est in adversis eventibus non animo deficere. Scripsit: «Non debeo nec commoveri nec delectan, quoniam ipse solus ineptus sum; non valeo, nisi ut peccata committam; si quid boni facio, hoc Deo debetur». Eam ob rem saepe caeleste auxilium invocabat et spem suam in Providentia collocaverat. Toleranter et aequo animo vixit cum morbo, qui multos per annos ei causa fuit non paucarum molestiarum, non tamen illum impedivit quominus laborare pergeret solita cum sedulitate et ardore ad extremum usque vitae diem. Phthisi correptus aeternitatem introivit die 16 mensis Ianuarii anno 1897; quam aeternitatem semper appetiverat et ad quam se per totum vitae cursum praeparaverat.

Fama sanctitatis, qua vivus claruerat, post eius mortem duravit et crevit; qua re Episcopus Brixiensis Causae beatificationis et canonizationis initium fecit per celebratum processum informativum ordinarium (annis 1948-1957), cui iunctus est processus additionis. Anno 1964 promulgatum est decretum super scriptis; anno 1977 decretum super Causae introductione et

anno 1993 decretum super processuum validitate. Positione confecta, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes christianas servavisset. Die 25 mensis Novembris anno 1994, prospero cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Deinceps Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Martii anni 1995, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Eduardo Gagnon, professi sunt laicum Iosephum Tovini heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more con vocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Iosephi Tovini, viri laici, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

DUBLINEN.

Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Edmundi Ignatii Rice, Fundatoris Congregationis Fratrum Christianorum et Congregationis Fratrum a Praesentatione (1762-1844).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Edmundus Ignatius Rice in Hibernio loco Westcourt Callan appellato, intra fines comitatus Kilkeniensis, ortus est calendis

Ianuariis anno 1762. Cum peritia et prospero cum exitu in commercium incubuit a iuventute, cum constantia simul vivens ex fide christiana. Paulo post matrimonium in viduitate relictus, Hiberniorum puerorum educationi se dedidit et ad hoc persequendum propositum Congregationem Fratrum Christianorum Vaterfordii condidit, ex qua manavit Institutum Fratrum a Praesentatione. In difficultatibus non paucis suam Domino consecrationem coluit et omnibus viribus pro Dei gloria, iuvenum et pauperum bono laboravit atque antistitis generalis munere est functus cum prudentia usque ad paucos annos ante mortem, quae die 29 mensis Augusti evenit anno 1844.

Perdurante fama sanctitatis, anno 1978 apud Curiam Dublinensem inchoata est beatificationis et canonizationis Causa. Postridie calendas Apriles anno 1993 Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas servavisse declaravit.

Causae Postulatio nuper Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem, in Hibernia effectam et intercessioni huius Venerabilis tributam. Sanatio ad Kevin Ellison pertinet, qui mense Septembri anno 1976, undeviginti annos natus, est in urbe Newry morbi colicae appendicis sectioni subiectus. Paulo post acerbi exorti sunt abdominis dolores cum vomitione cruentata; quam ob rem est iterum in valetudinarium deductus, de ulcere perforato suspectus. Ex laparotomia, die 31 mensis Octobris peracta, ileus apparuit cum tenuis intestini ischaemia et necrosi. Intestino redintegrato et tubis siccationis inductis, est exspectata sanatio. Temporanea facta est salutaris mutatio, sed die 3 mensis Novembris magni renovati sunt abdominis dolores, adeo ut opus fuerit morphino subministrando. Mensis Novembris die 7 fístula faecalis formata est super regione suturae antecedentis sectionis, quae umorem eiciebat purulentum. Iuvenis condiciones valde in deterius versae sunt. Mensis Novembris die 11 secunda facta est laparotomia, quae praesentiam ostendit magni infarctus intestini cum peritonite faecali: nulla fieri potuit therapia chirurgica, quia plaga ad totum se extendebat tenue intestinum. Casus habitus est omni spe destitutus et curantes prognosim fecerunt infaustam quoad vitam. Eodem illo die multi Servi Dei Edmundi Ignatii Rice intercessionem invocare coeperunt, ut a Deo obtinerent iuvenis Kevin sanationem. Die 16 mensis Novembris inspectio radiologica facta est, ex qua tenuis intestini aliquae partes inopinanter etiam tum vitales esse visae sunt. Postridie aegrotus translatus est in valetudinarium urbis Belfast, gravissimis in condicionibus etiam versans propter toxicum defectum cum mentis confusione. Per tertiam la-

parotomiam intestinum corruptum est ablatum et anastomosis termino-terminalis effecta duabus intestini residui particulis. Quarta laparotomia est die 20 mensis Decembris peracta, quandoquidem ilei signa manebant. Post duas tresve hebdomadas condicio gradatim est in melius mutata cum fistulae cessatione.

Super mira sanatione inquisitio canonica facta est anno 1988 apud Curiam Armachanam. De huius processus auctoritate decretum a Congregatione de Causis Sanctorum promulgatum est die 19 mensis Iulii anno 1992. Mensis Maii die 26, anno 1994, sessio acta est Consilii Medicorum quod una voce declaravit: Diagnosis: « Intestini necrosis totam massam afficiens propter ischaemiam ab ileo, quam péritonites faecalis et gravissima toxicocontagiosa condicio sunt secutae »; Prognosis: « Quam maxime suspensa quoad vitam »; Therapia: «Medica et chirurgica idonea»; Sanationis ratio: « Inexplicabilis videtur novus conspectus vitalitatis primae partis ieiunalis (centimetra 30 longae) et ultimae ansae ilealis (longae 40 centimetra) post 18 dies ab ilei instauratione et postquam secunda laparotomia octavo die nullam ostenderat tenuis intestini vitalitatem, sed contra reperta est completa totius intestini necrosis. Sanatio progrediens fuit, perfecta et stabilis ». Die 22 mensis Novembris subsequentis Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est actus ac die 21 mensis Februarii anno 1995 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Villelmo Wakefield Baum.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque adstantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Edmundo Ignatio Bice, Fundatore Congregationis Fratrum Christianorum et Congregationis Fratrum a Praesentatione, videlicet de progrediente, perfecta et mansura sanatione iuvenis Kevin Ellison a «necrosi intestinale massiva per ischemia da volvolo, seguita da peritonite fecale e da gravissimo stato tossinfettivo ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

ES Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

LEOPOLITANA LATINORUM

Canonizationis Beati Ioannis de Dukla, sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (1414-1484).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes de Dukla ortus est in Poloniae regione Duklensi, probabiliter anno 1414. Ordinem Fratrum Minorum ingressus, sacrum recepit presbyteratus Ordinem et cum fervore animarum curae pastorali se dedidit. « Observantiam », qui dicuntur, propositum secutus, vitam absconditam egit, asceticam et apostolatui deditam. Christianorum unitatem fovit. Mortem obiit die 29 mensis Septembris, anno 1484, Leopoli.

Post mortem, in Polonia atque in vicinis nationibus cultu publico est fruitus, quem suprema Ecclesiae auctoritas confirmavit die 21 mensis Ianuarii anno 1733. Postea, rebus peractis iure statutis, coram Summo Pontifice Ioanne Paulo II, die 2 mensis Iulii anno 1994, decretum promulgatum est de Beati virtutibus heroum more exercitis.

Canonizationem respiciens, Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem Leopoli effectam anno 1941 et eiusdem beati Ioannis de Dukla deprecationi tributam. Eventus ad Annam Mariam Maksymiak attinet, quae anno 1927, quinquaginta duorum annorum, ex lithiasi coepit laborare. Anno 1930 appendicis sectio est ei facta et paucos post dies thrombophlebites est orta in artu inferiore dextro. Inter curam dolores coorti sunt magis magisque continui, qui primum artus superiores affecerunt, deinde omnes articulos, praesertim genua. Curae inefficaces apparuerunt; quam ob rem ita in peius mutatae sunt aegrotae condiciones, ut difficihime posset ambulare et in breve spatium. Morbus multorum artuum chronicus factus erat et non solum graves gignebat dolores, verum etiam articulamenta affecta deformaverat, cum gravi debilitate functionali.

Postquam curantes prognosim fecerunt morbum esse insanabilem, aegrota die 19 mensis Septembris anno 1941 magna cum fiducia novendialem incepit supplicationem in honorem beati Ioannis de Dukla, ut a Deo sanationem obtineret. Nocte diei 27 mensis Septembris fortes animadvertit dolores in extremis corporis partibus inferioribus; tunc denuo et cum fervore Beatum invocavit; dein obdormivit. Mane sequentis diei experrecta dolores ex toto desiisse, nec non artuum rigorem et debilitatem functionalem, animadvertit, et ex more gradi potuit. Perfecte sanata eodem mane in ecclesiam se contulit.

De hac sanatione, confestim mira habita, anno 1949 processus canonicus est instructus, in quo ipsa sanata testificata est. Huius inquisitionis auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 26 mensis Februarii anno 1993 promulgato. Die 22 mensis Iunii anno 1994 Consilium Medicorum unanimiter sanationem rapidissimam, perfectam et duraturam esse declaravit pro scientia. Die 28 mensis Octobris eodem anno Congressus Peculiaris est actus Consultorum Theologorum et die 10 mensis Ianuarii anno 1995 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum Causae Ponente Em.mo Domino Cardinali Andrea Maria Deskur.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Ioanne de Dukla, Sacerdote professo Ordinis Fratrum Minorum, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Annae Mariae Maksymiak a «poliartrite cronica evolutiva deformante, a tipo reumatoide, fortemente invalidante».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ✠ S.

✠ Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

LITOMERICEN.

Canonizationis Beatae Zdislavae de Lemberk, matrisfamilias (c. 1220-1252).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beata Zdislava de Lemberk Crizanovii in Moravia orta est circiter annum 1220 a nobilibus parentibus. Anno 1240 cum nobili Havel iuncta, Regis Venceslai I fiduciario, uxor fuit fidelis et mater quattuor filiorum diligens. Christi caritate impulsa, in assiduitatem pauperibus atque aegrotis praebendam incubuit liberalisque beneficiorum auctrix fuit erga Ordinem Fratrum Praedicatorum, pro quibus ecclesias et domus religiosas urbis Jablonné atque Turnoviae aedificavit. Anno 1252 est vita defuncta. Cultu publico est honorata, a Summo Pontifice Pio X die 28 mensis Augusti probato anno 1907. Exinde veneratio Beatae est aucta in eius patria et extra. Augescentibus in dies canonizationis postulationibus, virtutes inspectae sunt et postridie calendas Iulias anno 1994 Ioannes Paulus II declaravit: « Constare de heroicitate virtutum Beatae Zdislavae de Lemberk ».

Deinceps Causae Postulatio Congregationis de Causis Sanctorum iudicio permisit assertam miram sanationem anno 1989 patratam in Republica Ceca et intercessioni ascriptam Beatae Zdislavae. Sanatio ad medicum chirurgum pertinet Franciscum Straka, qui a puero perturbationibus cordis laborare coepit ab ingenita arteriae magnae coartatione exorientibus, quae saepe causa fuerunt exiguitatis circularis sanguinis fluxus. Anno 1987 in valetudinario Brunensi in eo válvula arterica artificiosa collocata est atque cordis impulsor. Die 18 mensis Septembris anno 1989, hora octava matutina, suam exercens medici professionem in valetudinario urbis Nové-Mësto est subitaneo cordis tentu correptus; quam ob rem ilico manuum operationes factae sunt ad eum reiiciendum; postea, ubi est in locum refectionis («rèanimationis ») translatus, machinamentum spirabile automatarium ei applicatum est, cordis fricatione indirecta non intermittente. Hora decima et dimidia ante meridiem cordis pulsus lentus est instauratus; at aeger non respirabat sponte inque alto versabatur veterno, cum diuresi prorsus absente, mydriasi immota sine repercussu tunicarum oculorum, venis manu non tractabilibus, arteriarum pressu, cuius mensura iniri non poterat. Curantes prognosim edixerunt infaustam, irreversibiles existimantes demutationes, ex eo effectas, quod per duas horas atque dimidiam sanguis cerebrum non irroraverat. Interea monachae Dominicanae urbis Moravec cum suo cappella-

no Beatam Zdislavam invocare coeperant ut a Deo doctoris Straka sanationem obtinerent; aliae quoque personae cum fiducia et instanter eandem Beatam precatae sunt. Desperatus pro humanis viribus erat casus et ex consultatione operationes manuum refectioni consequendae interrumpere statutum est. Ob id solum, quod de collega agebatur quodque aegroti uxor insistebat, medici illas refectionis operationes perrexerunt. Primis postmeridianis horis aegri condiciones celerrime sunt meliores factae et per noctem omnes vitales perfunctiones redintegratae sunt simulque status conscientiae.

De hac sanatione apud curiam Brunensem est inquisitio canonica celebrata, cuius auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 20 mensis Ianuarii anno 1995 promulgato. Die 28 mensis Februarii eodem anno est sessio acta Consilii Medicorum, quod uno ore sanationem rapidissimam fuisse, completam et stabilem declaravit et ad scientiae cognitiones inexplicabilem. Postridie nonas Martias subsequentes Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris est habitus et eiusdem mensis die 21 Patrum Cardinalium atque Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beata Zdislava de Lemberk, matrefamilias, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Francisci Straka ab « arresto cardiaco prolungato (2 h 30 m) in paziente con ischemia miocardica cronica, coartazione aortica operata e pregresso intervento di sostituzione di valvola aortica ed impianto di stimolatore cardiaco. Stato di morte cerebrale diagnosticato in base a segni neurologici ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

MARSORUM

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Caietani Tantalo, sacerdotis dioecesani, parochi eccl. S. Petri mart. loci « Tagliacozzo » (1905-1947).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est » *(Mt* 5, 16).

Sacerdos dioecesanus Caietanus Tantalo fulgida est ascetae et apostoli figura, qui totam posuit vitam suam in Dei atque proximi servitio; splendidum est exemplar Ecclesiae ac mundo fidelitatis erga Christum eiusque Evangelium.

Brevis eius exsistentia inde a pueritia iter spiritale fuit continuae ad perfectionem ascesis, quo interiore cum docilítate erga gratiam altaque cum humilitate artam est adeptus familiaritatem cum Deo et alacre proximi studium, quae peculiaris proprietas sunt eius exemplaris sanctitatis.

Servus Dei in pago Villavallelonga ortus est, ad Aquilae provinciam pertinente et in Marsorum dioecesi posito, die 3 mensis Februarii anno 1905, a Luciano Tantalo et Maria Coccia, et pridie idus eiusdem mensis est baptizatus. Confirmationem accepit die 29 mensis Septembris anno 1912 atque insequenti anno primum ad Eucharistiam accessit.

A parvulo peculiari est tutela fruitus Beatae Mariae Virginis quae, de matris sententia aliorumque, illum a lapsu in fossam calcis vivae servavit. Servatus est quoque Servus Dei a terrae motu anni 1915, in quo sepultus est atque ruinis sauciatus.

Mature intentionem ostendit se sacerdotem fieri. Hinc mense Novembri anno 1918 in oppido Tagliacozzo seminarium est ingressus dioecesanum Marsorum, ubi primam gymnasii classem frequentavit, ceteras vero classes gymnasii optimis cum exitibus in seminario Aveanensi, vix redintegrato, et philosophiae atque theologiae scholas in regionis seminario Teatino, ac sacerdos est ordinatus Aveani die 10 mensis Augusti anno 1930. «Accipe, aeterne Pater, tamquam immensi tui amoris victimam, hunc sacerdotem tuum — scripsit dominus Tantalo in imaguncula ad memoriam ordinationis suae sacerdotalis — qui Filii tui pretiosum Corpus et Sanguinem recipit. Eum exue se atque a se ipso solve totaque indue Bonitate tua et nodo alliga ad te, qui numquam expediatur, ut in Ecclesiae horto odorifera sit arbos ».

Post ordinationem suum explicavit ministerium in seminario uti professor ac rectoris vicarius. Eodem tempore (anno 1932) est ei cura pastoralis concredita paroeciae sanctorum Iacobi et Pancratii in vico Castelnuovo (intra fines sito provinciae Aquilanae) nominatusque est coadiutor (anno 1933) in paroecia Sancti Ioannis Decollati Aveani.

Nonis Septembribus factus est parochus Sancti Petri, quae una paroeciarum erat oppidi Tagliacozzo, in qua ad mortem usque mansit, quamvis gracili uteretur valetudine; quam ob rem fuit ei ex intervallis sedes relinquenda ut se curaret. Per suam in oppido Tagliacozzo commorationem Servus Dei animo atque caritate innotuit, quandoquidem anno 1944 Germanicis militibus pro aliquibus iuvenibus obsidibus captis se obtulit, qui in eo erant ut manuballistis interficerentur. Sicut superiore anno evenerat in pago Villavallelonga, ubi primum suam pro aliis obsidibus vitam obtulerat, Servus Dei dimissus est cum obsidibus et oppidi destructioni est parcitum.

Constanter coram Deo vixit. Fides eius continua verbi Dei meditatione illustrata est, assidua deprecatione, personali ferventique pietate erga Eucharistiam, Virginem Mariam et Sanctos.

Haec eadem fides reddidit eum indefatigabilem apostolum, qui maxima cum alacritate pro animis se devovit, iis praesertim, quae eius sacerdotali ministerio creditae erant. Sacerdotum, qui eum cognoverunt, vox significans est: «Omne factum eius ac verbum actus erant fidei. In se et in aliis Deum videbat». Sacras legebat Litteras iisdemque cum assiduitate studebat. Voci magisterii Ecclesiae suoque episcopo sine exceptione oboediebat. Permultum precabatur, interdum nocturnis quoque horis. Saepe tam erat in ea defixus, ut quae circa eum evehiebant non animadverteret. Vita eius, potissimum per extremos morbi annos, precatio facta est. Ante tabernaculum hoc eius cum Christo colloquium peculiariter erat impensum. Longas ibi morabatur horas cum suo Divino Amico.

Maximam de ecclesia adhibebat curam et, in ecclesia, cum alio se conferebat, visitationem faciebat ante omnia. Semper rosarii coronam gerebat secum et Ave recitabat tamquam signum suae religionis in Virginem Mariam, in qua immensam collocaverat fiduciam suam. Cum quis eius manum osculari volebat, is coronam porrigebat, adhortans ut pro se Ave Maria diceret.

Eius fidei addita est spes firma et perseverans. Ex divinae Providentiae fiducia exque Mariae Virginis precibus atque Sanctorum multam hauriebat animi tranquillitatem. A rebus huius mundi alienus, vehementer in caelum ire et cum Domino esse exoptabat.

Amor Dei eius sacerdotis vitam consumebat. Haec virtus erat in eo virtus praecipua, quae omnes eius animabat actiones ceterasque virtutes. Eiusmodi amor in plena fulgebat officii sedulitate, in sui ipsius oblivione constanti, in attenta ac pia liturgiae celebratione, in donatione usque ad extremum pro salute animarum atque in eximia caritate pastorali.

Amor in Deum amore industrio et universali cuiusque proximi sine discrimine significabatur. Vires suas impendit ad exitum usque pro paroeciae suae fidelibus; pueros ad sacramenta praeparabat magna cum cura; eius in pauperes caritas in proverbium celebrabatur (omnibus rebus se privabat ut eos adiuvaret: Missae stipendio, cibo, interdum veste). In pauperibus vultum videbat Christi. Dicere solitus erat: «Non pauperi damus, sed ipsi Deo».

Per bellum haec caritas peculiariter oblativa facta est; namque Hebraeis servandis prospexit; bis manifesto periculo vitam obiecit ut loci captivos servaret, qui in eo erant, ut plumbeis glandibus necarentur. Crebro aegrotos visitabat et senes, eosdem consolans et confirmans, ut suam ferrent infirmitatem spiritu supernaturali.

De domino Caietano Tantalo multa dici possunt, quae breviter astringimus: Servus Dei franciscanus fuit, quia semper pauper; dominicanus, quia quovis verbum Evangelii tulit et ad omnem ordinem praedicavit; certosinus, quia per diem boni telam texuit; camaldulensis, quia omnia adoravit, quae ad Deum adducunt; salesianus demum, quia sicut Ioannes Bosco ad iuvenes adiit eosque paterna cum dilectione christiane educavit. Dominus Caietanus presbyter fuit vere completus atque perfectus.

In oppido Tagliacozzo est vita defunctus primis matutinis horis idibus Novembribus anno 1947 preces Missae recitans. Exsequiae praeconium ei tributum fuerunt. Cum magis magisque fama sanctitatis cresceret iique, qui eum cognoverant, illum altarium honoribus decorari exoptarent, post permissum Congregationis de Causis Sanctorum, idibus Marths anno 1980 concessum, instructus est a die 11 mensis Ianuarii ad diem 18 mensis Novembris anni 1984, apud tribunal ecclesiasticum Marsorum processus cognitionalis de Servi Dei vita ac virtutibus, cuius auctoritatis decretum promulgatum est die 3 mensis Iulii anno 1987. Apparata Positione, disputatum est an constaret de virtutibus heroum in modum exercitis. Felici cum eventu actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 15 mensis Novembris anno 1994. Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Exc.mo Petro Georgio Nesti C. P., Archiepiscopo Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, die 21 mensis Februarii an-

no 1995, professi sunt Servum Dei heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Caietani Tantalo, Sacerdotis dioecesani, Parochi Ecclesiae Sancti Petri Martyris loci « Tagliacozzo », in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

NEAPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Gregorii Caesarii Bühl, religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum (1896-1973).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Fieri sanctus nitar oportet. Virgine Maria adiuvante id posse spero ».

Huic proposito fidelis, in novitiatu statuto, Servus Dei Gregorius Caesarius Bühl in via sanctitatis est continenter progressus, Christi servato praecepto: «Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est» *(Mt* 5, 48). Non conspicua fecit, sed se ipsum in humilitate et in occultatione abnegavit, prompte voluntati Dei oboedivit atque maxima cum alacritate ac diligentia consilia evangelica regulamque custodivit Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, cui cum amore servivit et perseverantia quodque suis eminentibus virtutibus illustravit.

Dignus hic discipulus Sancti Ioannis Baptistae de la Salle natus est in pago Villingendorf, intra fines posito dioecesis Rottenburgensis-Stutgardiensis, idibus Septembribus anno 1896 et paucos post dies baptismi sacramentum accepit Vendelinus vocatus. A parentibus Ioanne Bühl ac Maria Schaumann, agricolis et apiariis, atque a parocho Deum cognoscere eique servire didicit necnon Mariam Virginem venerari. Ludum vici frequentavit et, cum puer esset sedulus, familiares in agris colendis adiuvit. Per deprecationem se Deo consecrandi consilium maturavit et anno 1913 ingressus est Institutum Fratrum Scholarum Christianarum, sperans fore ut missionarius fieret. Nomen cepit Gregorium Caesarium atque magna cum cura novitiatum peregit Favriae Salassorum, in provincia Taurinensi. Tunc scripsit: « In mea vocatione mihi est perseverandum quacumque ratione, eam tamquam tabulam salutis amplectar», et ad exitum usque dierum suorum numquam ab hac discessit sententia. Die 15 mensis Augusti anno 1916 votorum religiosorum annuam fecit professionem et insequenti anno destinatus est ad Beneventanum Collegium « La Salle », ubi in studia theologica incubuit, vota trium annorum suscepit, vestispici munere est laudabiliter functus et ludi magistri. Ripae Altae Taurinensis die 10 mensis Augusti anno 1921 professionem fecit perpetuam et, cum suam non potuisset appetitionem consequi, ad missionem nempe Medii Orientis proficiscendi, reliquum vitae degit in Italia. Aliquamdiu in oppido Martina Franca moratus est ac Romae; in novitiatu Albani Latialis rectoris fuit adiutor et anno 1928 rectoris vicarius talisque mansit tum etiam, cum Communitas domicilium in urbe Torre del Greco collocavit, ad archidioecesim Neapolitanam pertinente (anno 1935). Usque ad annum 1972 cum sedulitate, prudentia et sacrificii spiritu novitiorum humanae ac religiosae formationi se dedidit. Diu noctuque iis adfuit, semper paratus ad illis serviendum, suadendum, animum addendum et ad eos, cum res postulabat, exprobrandos eo consilio, ut eosdem ad christianam perfectionem excitaret. Amorem Dei iniecit eis, proximorum et Sancti Conditoris et regulae praeceptorum, vel minimorum, observantiae. De eorum culturali formatione sollicitus fuit, ut eos idoneos redderet christianae doctrinae institutores. Ad opera manuum eos direxit atque spiritum fovit communem. Cum sibi imperaret, ex more quietus erat, patiens et hilarus. Concorditer egit omnino cum novitiatus rectoribus, qui eum magni fecerunt propter insignes paedagogicas facultates, studium quo suum sustinebat munus vitaeque sanctitatem. Servus enim Dei non solum sapiens ac diligens educator fuit, verum et germanum omnibus novitiis et sodalibus fra-

tribus exemplar, siquidem et quae docebat exsequebatur et virtutes, quas ceteris inculcabat, ipse cum fervore, assiduitate ac spiritali gaudio exercebat.

Fidei soliditate fulsit, quae cordis eius fax fuit et eius gressuum lampas. Firmiter in divinam revelationem credidit et in magisterium Ecclesiae, utque in Dei cognitione progrederetur, Sacras Litteras meditabatur, doctrinae christianae studebat et attente accurateque sacram sequebatur praedicationem. Coniunctionem coluit cum Deo, quoniam — aiebat — « Nisi Deus cogitationum nostrarum est centrum, creaturae erunt. Dei praesentia amorem sui eicit et divinum gignit amorem ». In personali atque communi deprecatione constans fuit inque veritatum aeternarum meditatione; multa religione Missae celebrationi intererat paneque eucharistico cotidie se alebat. Peculiari pietate Iesum crucifixum, Spiritum Sanctum prosequebatur et Virginem Mariam, cui se consecraverat. Scripsit: « A Maria Sanctissima vocationem accepi; per eam est mihi ad eius perfectionem perveniendum », nempe ad sanctitatem. Deum ex tota anima dilexit, ex totis viribus, cuius voluntas omnium, quas gerebat, actionum norma fuit suprema. Mandata, leges Ecclesiae, vota religiosa et sui Instituti regulam diligenter servavit. Desursum accepta talenta sollerter feneravit; omne fugit peccati genus voluitque vitam suam laudis hymnum et amoris in Deum continuum esse. Caritate erga proximum atque observantia dives fuit, in quo Christi vultum videbat; omnes cum obsequio et affabilitate tractabat, suae moderans indoli, natura graviori ac rudiori. Animi motus continuit et, forti cum voluntate in sanctis propositis perseveravit, labores toleravit, morbos atque incommoda et, per quinquaginta ferme annos, navitati suae se tradidit numquam lassitudinem, taedium, animi demissionem ostendens. A vanis mundi rebus alienus fuit, in usu bonorum terrestrium temperans, castigationis studiosus simulque sacrificii ac paupertatis, in gestibus et in verbis vigilans, compositus ac modestus omnibus in rerum temporumque adiunctis. Spe illustratus, praemium aeternum cupivit; multum est vi deprecationis confisus suumque est munus exsecutus non ut ab hominibus laudem acciperet aut propter suam ipsius oblectationem, sed gloriae Dei et saluti animarum operam daret. Humilem se habebat Domini servum semperque exoptavit inter fratres sodales ultimum locum tenere. Affirmabat velle se sub omnes collocare et magnam habere fortunam se decies continuo fatigari, ludificari, videre res contra suas appetitiones cedere, suos prospectus et iussus. Et addebat: « Mica superbiae efficit ut mons sanctitatis concidat ».

Vir hic iustus, cuius verae divitiae voluntas fuit Dei et antistitum, observanter ac tranquille vicarii rectoris Novitiatus munus deposuit, propter

aetatis et valetudinis causam. Cordis perturbationes, quibus iamdiu afficiebatur, anno 1973 in deterius versae sunt. Die 8 mensis Decembris eodem anno est in valetudinarium deductus urbis Torre del Greco, ubi ex improviso e vita decessit die 11 mensis Decembris, fama sanctitatis clarus. Quae fama post mortem etiam perduravit; quapropter archiepiscopus Neapolitanus, permissu obtento a Sancta Sede ad normam M. P. « Sanctitas Clarior », Causam iniit beatificationis et canonizationis per processus cognitionalis celebrationem (annis 1982-1986), cuius auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 24 mensis Iunii anno 1988 promulgato. Comparata Positione, inspectae sunt virtutes. Postridie nonas Décembres anno 1994, secundo cum exitu, actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria, pridie idus Marths habita anno 1995, Causae Ponente Exc.mo Domino Andrea Maria Erba, episcopo Veliterno-Signino, professi sunt Servum Dei Gregorium Caesarium Buhl virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum in modum coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandos, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Gregorii Caesarii Bühl, Religiosi professi Instituti Fratrum Scholarum Christianarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 68 S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

PARMEN.

Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Guidonis Mariae Conforti, archiepiscopi-episcopi Parmensis, Fundatoris Piae Societatis S. Francisci Xaverii pro exteris missionibus (1865-1931).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Guido Maria Conforti in vico Ravadese, intra fines dioecesis Parmensis in Italia, die 30 mensis Martii anno 1865 ortus est. Anno 1888 presbyteratus Ordinem accepit et anno 1895, desiderio impulsus Evangelii lumen gentibus non christianis ferendi, Piam condidit Societatem Sancti Francisci Xaverii pro Exteris Missionibus. Anno 1902 archiepiscopus factus est Ravennatensis, sed paulo post munus ei fuit abdicandum propter valetudinis causam. Episcopus deinde electus est dioecesis Parmensis, quam magna cum caritate pastorali atque apostolica administravit alacritate, labores atque sacrificia oppetens innumerabilia pro gregis sui bono. Piae Societati a se conditae nec non Evangelio mundo praedicando operam navavit. In Domino obdormivit die 5 mensis Novembris anno 1931.

Fama sanctitatis non solum in vita clarus fuit, sed etiam post mortem. Quam ob rem anno 1941 Causa beatificationis et canonizationis apud curiam Parmensem incepta est et, rebus peractis iure eius temporis statutis, Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 11 mensis Februarii anno 1982 Servum Dei heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas exercuisse declaravit.

Ad beatificationem obtinendam Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem iudicandam permisit in Burundiae urbe Bururi effectam et intercessioni Episcopi Guidonis Mariae Conforti tributam. Eventus ad puellam Sabinam Kamariza attinet, quae primis mensibus anni 1965, tredecim annorum, ventris doloribus gravioribus iri dies laborare coepit. Mense Aprili eiusdem anni in valetudinarium urbis Buiumburae deducta est, ubi medici nonnulla ei medicamenta praescripserunt, quae minime efficacia fuerunt. Cum condiciones eius valde in deterius essent mutatae, denuo in valetudinarium est deducta mense Augusto exeunte. Sectione chirurgica opus esse visum est. Ex laparotomia medici certam fecerunt diagnosim de carcinomate in capite glandulae pancreaticae. Paucos post dies est ex valetudinario dimissa cum prognosi infausta post

breve tempus, nempe intra mensem. Medicamentorum mitigatoriorum sumptio una fuit therapia ad dolores abdominales sedandos. Interea status salutis puellulae gradatim ingravescebat. Eam ob rem Sorores Societatis Missionariae Mariae, quae et Missionariae Xaverianae vocantur, una cum aegrota eiusque familiaribus continuo et fidenter intercessionem invocaverunt Servi Dei Guidonis Mariae Conforti ad sanationem obtinendam a Deo. Eadem ratione sancta Missa circiter dimidium mensem Octobrem anno 1965 celebrata est. Dum Eucharistia celebrabatur Sabina ex improviso e lectulo surgere atque ad domus portam ire potuit, ubi parentum reditum a Missa exspectavit. Dolores defecerunt et denuo ea edere coepit, vires quoque recepit et pondus consuetum. Simul tumefactio pancreaticae glandulae régressa est et universa symptomatologia abdominalis abscessit.

De sanatione, rapida, confestim mira habita, celebrata est apud curiam dioecesis Bururiensis inquisitio canonica anno 1993, cuius auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum agnita est decreto promulgato die 22 mensis Octobris eodem anno. Consilium Medicorum in sessione diei 22 mensis Iunii anni 1994 uno ore sanationem « tumefactionis, probabiliter cancerosae, capitis glandulae pancreaticae », celerrimam fuisse, perfectam, mansuram et pro scientia inexplicabilem declaravit. Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris actus est die 9 mensis Decembris eodem anno et die 7 mensis Februarii anno 1995 Patrum Cardinalium atque Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Exc.mo Domino Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Guidone Maria Conforti, Archiepiscopo Episcopo Parmensi, Fundatore Piae Societatis Sancti Francisci Xaverii pro Exteris Missionibus, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione puellae Sabinae Kamariza a « tumefazione della testa del pancreas verosimilmente di natura cancerosa ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. & S.

£8 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

PASTOPOLITANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae ab Incarnatione (in saec.: Mariae Vincentiae Rosal), Reformatricis Instituti Sororum Bethlehemitarum (1820-1886).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Omne, quod ex divina pendet Providentia, mirabile est: quia ex Deo procedit, summa potentia infinitae sapientiae. Hinc admirari non debemus, quod Deus, Dominus noster, tamquam instrumentis operum suorum creaturis utitur perlevissimis huius mundi, quo melius videatur et cognoscatur illum solum supremum artificem esse, qui, quod ei placet, incipit et perficit».

His humilitatis ac divinae Providentiae sensibus Serva Dei Maria ab Incarnatione docile fuit instrumentum in Domini manibus et fide, spe atque caritate corroborata Christi lumen in mundo diffudit, Sororum Bethlehemitarum Institutum reformavit et auxit alacriterque puellarum educationem fovit pluribus in Americae Latinae nationibus.

Intrepida haec Evangelii testis nata est ab Emmanuele de la Incarnation Rosal et Leocadia Gertrude Benitez die 26 mensis Octobris anno 1820 in paroecia Spiritus Sancti in urbe Quezaltenango, tunc intra fines posita archidioecesis Guatimalensis, hodie vero in dioecesi Altensi. Postridie ei baptismi sacramentum collatum est et nomen inditum Maria Vincentia. Fructuose in familia est bona educatione christiana imbuta didicitque Deum amare ac pauperes atque impensam alere pietatem erga Christi nativitatem ac passionem, erga Eucharistiam et Virginem Mariam. Dei obsequens voci, calendis Ianuariis anno 1838 ingressa est Guatimalae conventum Sororum Bethlehemitarum, filiarum spiritalium Beati Petri a Sancto Ioseph Betancur (qui vixit annis 1626-1667), quae collegium administrabant puellis educandis ac nosocomium pro mulieribus aegrotis. Serva Dei nomen

cepit Mariam ab Incarnatione a Corde Iesu, et novitiatu peracto, professionem fecit religiosam (anno 1840). Cum in Communitate recessum non invenisset nec spiritalem fervorem quem cupiebat, a superioribus obtinuit ut se ad conventum Sanctae Catharinae conferret (anno 1842), sed anno secuto, melius cognita Dei voluntate, ad Sorores Bethlehemitas rediit, quae eam non solum benigne acceperunt, sed ei collegium regendum crediderunt, cuius gradus spiritalis et culturalis vitiosior quidem erat. Cum firmitudine et amabilitate studia fovit, disciplinae observantiam et alumnarum vitam spiritalem, copiososque obtinuit exitus. Laudabiliter aliis quoque muneribus est iuncta, inter quae vicariae antistitae ac novitiarum magistrae. Anno 1855 electa coenobii praeses, sine mora Instituti sui reformationem incepit sapienterque praevidit consilia, unde et Sororum communitas, et collegium et valetudinarium profecerunt. Novas etiam constitutiones conscripsit, quae tamen a sororibus sodalibus non sunt acceptae. Eius nihilominus labor non vanus fuit. Novae enim constitutiones adhibitae sunt in conventu urbis Quezaltenango, quod Mater Maria ab Incarnatione condidit anno 1861 et ad quod se transtulit cum aliquibus sociis, ut se Dei servitio addiceret et laudi, puellarum educationi ac mulierum aegrotarum curae. Suam rexit communitatem magna cum sedulitate et sapienter sororibus sodalibus formandis prospexit, nitens apostolicam industriam cum impensa vita interiore temperare. Oboedientiam Deo et superioribus aluit, exercitium mutuae caritatis, humilitatis, paupertatis, castigationis ac deprecationis pietatisque in Sacrum Cor Iesu « Magistrum dolorum » et Virginem Mariam. Novarum vocationum affluentia laetata est et cum fortitudine atque patientia multiplices superavit difficultates, praesertim per religiosam persecutionem, qua astricta est Guatimaliam relinquere. Postquam in Costaricani se transtulit cum sororibus sodalibus anno 1877, conventus condidit Carthaginis et Herediae, qui fructuosum explicaverunt apostolatum. Sed illic quoque facta est persecutio; quapropter alio fuit migrandum. Post varias vicissitudines et res adversas, Pastopoli domicilium collocavit in Columbia (anno 1885). Collegium instituit pro puellulis, novitiatum et orphanotrophium. Providentia adiuvante, Institutum confirmabatur et crescebat et anno 1886 operari coepit etiam in Aequatoria, quo Serva Dei ipsa se contulit ut nova conderet opera. Itineris labores et incommoda in eius valetudinem pondus habuerunt; vires celeriter minutae sunt et, die 24 mensis Augusti anno 1886, Tulcaniae sancte mortem obiit. Aliquot post annis eius corpus Pastopolim translatum est, ubi etiamnunc quiescit a Sororibus Bethlehemitis venera-

tum et a populo Dei, qui numquam magna merita et eminentes Servae Dei virtutes obliti sunt. Ea namque, etiam in casibus difficilibus, mira fulsit fidelitate erga Evangelium, consecrationem religiosam ac munus ipsi a Providentia concreditum. Sui immemor est Christi crucem amplexa et semper gloriam Dei quaesivit ac salutem animarum Spiritusque voci obsequens novum restituit vigorem charismati Beati Petri a Sancto Ioseph Betancur, prudenter necessitatibus Ecclesiae societatisque eius temporis accommodato. In multis negotiis et acerbitatibus coniunctionem cum Domino coluit assidue, precationem, amoris Dei et veritatum aeternarum contemplationem. Peculiarem nutrivit religionem in Sacrum Iesu Cor, in Eucharistiam et in Virginem Mariam ac, per apostolatum, deprecationem et sacrificium nisa est in mundo fidei lumen effundere, proximorum sanctificationi operam navare atque hominum peccatis satisfacere. Domini amore impulsa, eius voluntati oboedivit, in eius imitatione continuos fecit progressus, accurate vota religiosa est exsecuta regulamque servavit quam conscripserat diligenterque quodlibet fugit peccati genus et vitium. Caritatem exercuit in Sorores sodales, in suorum collegiorum discipulas, in pauperes, senes, aegros et in eos, qui eius operi obstiterunt. Dicere solebat: « Pereant omnia, sed ne caritas pereat». Auxilio divino confisa, animose et tranquille mala oppetivit et persecutiones et, ut suum pergere posset apostolicum munus, in diversas nationes migrare non timuit, operibus florentibus relictis novisque susceptis incommodis ac sacrificiis. Prudentia quoque eminuit in anima sua curanda inque suo regendo Instituto quod, fortis et humilis eius moderationis gratia, exstitit et crevit quamvis tristia essent tempora. Iusta fuit erga Deum et homines, a bonis rebusque mundi inanibus aliena, moderatoribus spiritalibus et Ecclesiae auctoritatibus oboediens. In parvo corpore magnam gerebat animam et virtutum praestantem thesaurum. Eam ob rem in vita et post mortem fama sanctitatis claruit apud omnem personarum ordinem. Inter eius eximiarum virtutum admiratores placet commemorare Sanctum Ezechieiem Moreno Díaz, episcopum Pastopolitanum.

Beatificationis et canonizationis Causa inita est celebratione processus ordinarii informativi (annis 1912-1915) Neapoli, ubi curia generalitia constiterat Sororum Bethlehemitarum. Alius processus ordinarius instructus est apud curiam episcopalem Pastopolitanam annis 1951-1952. Anno 1955 promulgatum est decretum super scriptis; anno 1976 decretum super Causae introductione et anno 1992 decretum super horum processuum auctoritate et vi. Die 9 mensis Martii anno 1993 acta est Consultorum Historicorum

sessio et die 11 mensis Novembris anno 1994 Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 7 mensis Februarii anni 1995, Causae Ponente Em.mo Cardinali Vergilio Noè, agnoverunt Servam Dei Mariam ab Incarnatione heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae ab Incarnatione (in saec.: Mariae Vincentiae Rosal), Reformatricis Instituti Sororum Bethlehemitarum, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

SALMANTICEN.

Beatificationis et Canonizationis ven. Servae Dei Candidae Mariae a Iesu (in saec.: Ioannae Iosephae Cipitria et Barriòla), Fundatricis Congregationis Filiarum a Iesu (1845-1912).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Serva Dei Candida Maria a Iesu (in saeculo: Ioanna Iosepha Cipitria et Barriòla) orta est in pago Andoain, tunc intra fines posito dioecesis Pampilonensis, hodie vero in dioecesis Sancti Sebastiani finibus, pridie calendas Iunias anno 1845. Puellis christiane educandis anno 1871 Congre-

gationem condidit Filiarum Iesu, cuius diligens et sapiens antistita generalis fuit usque ad mortem. Summa cum alacritate ac fidelitate suam Deo consecrationem coluit et omni ope Christi regno dilatando, humanae christianaeque mulieris progressioni interfuit suique Instituti bono. Meritis ornata et fama sanctitatis insignis vitam aeternam ingressa est die 9 mensis Augusti anno 1912 Salmantinae.

Anno 1942 beatificationis et canonizationis Causa inita, praescripti canonici processus celebrati sunt; deinde, iis omnibus peractis, quae ius statuit, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, pridie nonas Iulias anno 1993, edixit Servam Dei heroum more virtutes servavisse théologales, cardinales et iis adnexas.

Deinceps Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum coniectam miram sanationem iudicandam permisit, anno 1968 patratam et intercessioni ascriptam Matris Candidae Mariae a Iesu. Sanatio pertinet ad dominam Adorationem Martín Pérez a Villoslada — quod oppidum positum est in provincia Segoviensi — quae anno 1967, 30 annos nata, doloribus laborare coepit brachium dextrum affieientibus, cum imminutione roboris musculorum, motuum, et febri. Matritum ea deducta, inspectiones radiographicae factae sunt, e quibus magnum patuit vulnus osteolyticum diaphysarium. Die 30 mensis Maii anno 1967 est detractio biopsica facta et ex inspectione histológica diagnosis edita est de myelomate plasmocytario. Aliae quoque inspectiones factae sunt in laboratorio. Cyclus secutus est radiotherapiae. Aegrota est domum remissa ex valetudinario mense Iunio exeunte et Iulio ineunte eiusdem anni cum prognosi infausta quoad vitam. Postea alternis vicibus morbus in melius mutatus est aut in deterius. Mense Decembri anno 1968 condiciones infirmae, quae interea gravidata est, gravius aegrotavit, cum, curantis sententia, cancer in alias corporis partes se diffudisset. Visa scientiae inanitate, quaedam mulieres cum fiducia divinum invocaverunt auxilium, sanationem postulantes, per intercessionem Matris Candidae Mariae a Iesu, Adorationis Martín Pérez. Inter novendialem supplicationem celerrime exoptata sanatio facta est.

De eventu, statim miro habito, apud Curiam Segoviensem annis 1980-1981 instructus est, ad normam M. P. « Sanctitas clarior », processus, cognitionalis, cuius auctoritas est a Congregatione de Causis Sanctorum probata per decretum die 17 mensis Decembris anno 1983 promulgatum. Consilium Medicorum die 22 mensis Iunii anno 1994 una voce declaravit sanationem a « myelomate (probabiliter generis IgA) cum amplo vulnere osteolytico hu-

meri dextri et anhaemia » rapidissimam fuisse, perfectam, mansuram et pro scientia inexplicabilem. Insequentis mensis Octobris die 28 Peculiaris Consultorum Theologorum Congressus est actus die 10 mensis Ianuarii anno 1995 Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Serva Dei Candida Maria a Iesu (in saec.: Ioanna Iosepha Cipitria et Barrióla), Fundatrice Congregationis Filiarum a Iesu, videlicet de rapidissima, perfecta et mansura sanatione dominae Adorationis Martín Pérez a « mieloma (probabilmente di tipo lg A) con vasta lesione osteolitica dell'omero destro e anemia ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

83 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

S ALM ANTICEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae Antoniae Bandrés y Elósegui, sororis professae Congregationis Filiarum a Iesu (1898-1919).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Ad metam pervenire est omnino necesse ».

Haec verba semper incitamentum fuerunt efficax, quod Mariam Anto-

niam Bandrés y Elósegui in aseensu ad sanctitatis culmen impulit. Quam sanctitatem vix 21 annos nata est adepta.

Hoc propositum dictum, quod totiens sibi repetivit et aliis, iuvenem Filiam Iesu exemplum reddidit solidae virtutis, quae tamquam exemplar offerri potest ad perfectionem in Christo imitando Magistro consequendam, per Patris voluntatis acceptionem.

Occasio defuit ei magnifica opera faciendi, attamen miro modo virtutes coluit in ordinariis rebus cotidianis. Ipsa scripsit: « Res ordinarias nitar praeter morem facere et semper dicam: "Mi Iesu, propter amorem tuum" ».

Tolosae (ad regionem Guipúzcoa pertinentis) in Hispania nata est pridie nonas Martias anno 1898. Eius parentes, advocatus Raimundus Bandrés et domina Teresia Elósegui, quindecim genuerunt filios, ex quibus Maria Antonia secunda fuit. Ea baptizata est biduo postquam est orta et quattuor annorum confirmationem accepit, Eucharistiam autem primum die 23 mensis Maii anno 1909.

Exinde eius vitae spiritalis centrum, notatae quoque filiali in Virginem Mariam amore, Iesus fuit in Tabernaculo absconditus.

Condicio familiaris, parentum pietas et formatio, qua filii sunt educati praesertim a matre, ortui et auctui vocationis ad vitam consecratam Servae Dei faverunt, sicut antea Nataliae, sororis maioris natu.

Ob imbecilliorem valetudinem domui primas coluit auditiones, deinde ephebeum frequentavit Filiarum Iesu, Tolosae conditum a Venerabili Matre Candida Maria a Iesu.

A primis pueritiae annis virtutibus enituit, impehsa vita spiritali, parum ea aetate communi, et studio apostolico, caritate, amore erga Iesum et Mariam, quem parvis actibus ostendebat, oboedientia, spiritu sacrificii. Alacrem de pauperibus et egenis curam adhibuit atque in suburbio Tolosano, ac praesertim apud syndicatus operarías, peculiarem exercuit operam evangelizatricem et socialem, iis temporibus raram.

Quindecim annos nata, mense Martio anno 1913, dum Loyolae aliquot dies in pias exercitationes spiritales incumbebat cum suo spiritus magistro P. Alexandro Martínez, S. I., hic ei permisit ut votum nuncuparet castitatis. Piae illae exercitationes fuerunt ei opportunitas magni ponderis, quandoquidem tum animadvertit in corde suo vocationem oriri ad vitam consecratam, cui prompte oboedivit.

Mox consilium illud ad exitum adduxit severae vitae rationis. Congregationem Filiarum Iesu est ingressa die 8 mensis Decembris anno 1915 Sal-

manticae, septem et decem annorum. Per pias exercitationes ante vestitionem peractas, de sua cupiditate scripserat fideliter respondendi Dei vocationi, ut vera esset Filia Iesu: « Iustum est me alacri corde proelium committere, cruce armatam et amore Iesu ». Eius propositum constabat prorsus ex humilitate, pleno caritatis servitio, obsequio erga Christum sub Mariae obtutu: « Admodum sancta fieri volo, volo me sanctam efficere in hac Congregatione, ad quam me Iesus elegit, plene spondendo observantiam Regulae, ut ita spiritum adipiscar sacrificii et humilitatis, quoniam credo has a me Iesum postulare virtutes heroum more colendas ».

Pridie calendas Iunias anno 1918 vota religiosa suscepit: « Cum Iesu vivere crucifixa per sancta vota et per eadem tota et semper Dei esse. Iesus solum et Maria meum habeant cor », paucos ante dies scripserat.

Generosa haec consilia, ad effectum adducta, sinunt nos affirmare: «Consummata in brevi, explevit tempora multa» (cf. *Sap* 4, 13).

Sed non facile fuit Servae Dei perfectionem adipisci, si consideratur illam puellam esse indolis vivacis et nervosae, constantis egentis custodiae. Suam tamen affectionem et cordis mollitudinem ad exitus superiores valuit dirigere; quamvis suos vehementi diligeret amore filiali, Deum nihilominus summum suum habuit bonum.

Tota eius vita fide fuit intexta, spe atque caritate.

Fidei virtus animam illuminavit Mariae Antoniae; unde experientiam habuit et sensum propinquitatis Dei, ardorem apostolicum, heroicam vim in sua vita pro aliorum salute devovenda.

Ex inexhausto gratiarum Eucharistiae fonte exque magno in Virginem Mariam amore alimentum hauriebat Maria Antonia atque robur progrediendi ad culmen sanctitatis. «Maria Antonia, ubi Iesum cognovit, dilexit eum », eius affirmavit magister spiritus.

Fiducia Dei et rerum mundi neglectio duae fuerunt notae virtutis spei a Maria Antonia exercitae. Hanc spem in Deum continuo ostendit; in suis sermonibus, in suis curis, actibus illum unum quaerebat. Peculiari modo suam ostendit animi diffusionem in Deo, inconcussam fidelitatem temporibus ariditatis et aegritudinis. Quodlibet sacrificium supernaturalem aequilibritatem in laeta spe invenit. Sic suis novitiatus sodalibus dicere solebat: «Hic nec dura nec difficilis est res, quia religio omnia vincit». Suamque Dei fiduciam ita patefaciebat: « Fac de me quod vis, a te enim me amari scio ».

Per totam vitam gradum non communem habuit caritatis, in qua patet in primis constans pietas. Eius erga Iesum amor aperiebatur in viva eum in

Tabernaculo adorandi cupidine. Magna quoque veneratione Domini Passionem prosequebatur et exercitium explicabat Viae Crucis.

In Virginem Mariam amor eam adduxerat ad se « servam » faciendam secundum doctrinam sancti Aloisii Grignion de Montfort.

Exquisita fuit eius de proximo spiritalis ac materialis cura, caritati simplici, hilari humilique coniuncta.

Etsi valde iuvenis mortua est, tamen propter suam prudentiam et maturitatem est magni facta.

In iustitia erga Deum, proximum et seipsam excellens fuit. Notanda est eius industria pro mulieribus operariis, pro pauperibus, pro quibus id efficere est conata, quod hodie nos « iustitiam socialem » appellamus; sine ostentatane eorum necessitatibus occurrit.

Indole molli ac tenera praedita, fortitudinem reddidit supernaturalem et evangelicam, quae eam fortem fecit erga se ergaque alios in omnibus rerum temporumque adiunctis, aptam ad superandas identidem difficultates: «Voluntas Dei haec est eaque est mihi facienda, quamvis hoc res sit laboriosa ». Clarum eius fortitudinis indicium fuit constantia, qua discrimina spiritalia obiit in itinere perfectionis, tacita patiens et iucunda et, potissimum, eius se gerendi ratio in morbo, quo Dominus eius iuvenis vitae oblationem consummavit.

Humilitatem exsecuta est, temperantiam, paupertatem, castigationem sui et paenitentiam. A puera propter amorem Iesu in calceamentis lapillos ponebat et cilicio utebatur: quibus actibus iter iniit ascesis austerae, per totam vitam continuatum ad mortem usque, animi motus ita moderans et magnam adipiscens interiorem libertatem atque tranquillitatem, morum modestiam et suavitatem, ex qua omnibus iucunda facta est et grata.

Generose oboedientiam exercuit. A puera sic precabatur: « Puer Iesu Nazarethane, doce me tacere et oboedire ». Iii vita consecrata fideliter regulam observavit et obsequenter secuta est antistitum voluntatem atque magistrorum spiritus. Volebat, si quolibet vitae tempore interrogaretur quid tunc ageret, respondere posse: « Oboedio ».

« Tacere usque ad heroum virtutem, pati usque ad mortem, per totam vitam meam »: caput firmum fuit hoc cogitationis Servae Dei, quae proxima morti patefecit: « Mihi omnia dura fuerunt, frigida, arida; Iesus non delicias suas mihi donavit, sed nunc pacis et consolationis plena sum; sentio Virginem Mariam adesse mihi, me a Iesu diligi eumque a me».

Iesus ei fuit in primis Exemplar immolationis pro hominum salute. Iam ante professionem religiosam praestantissimam Domino fecerat oblationem;

namque Deo devoverat, impetum secuta interioris instinctus, vitam suam pro conversione patrui Antonii, sui in baptismate patrini.

Dominus visus est hanc accipere generosam oblationem; etenim Servae Dei valetudo, quae numquam fortis fuerat, minui coepit magis magisque et celeriter morbus apparuit implacabilis qui, anno 1919 ineunte, iudicatus est contagio interanea, ab omni cura abhorrens.

Feria sexta in Passione Domini, nempe die 25 mensis Aprilis, Viaticum accepit multo cum fervore et gaudio. Deinde dixit sibi etiam tum deesse Unctionem Infirmorum ut se occursui cum Deo praepararet. Rogavit et obtinuit ut vota perpetua nuncuparet, eorumque formulam multo cum ardore pronuntiavit. Maxima pace iterabat: « Hoc est mori? Quam dulcis est mors! Quam dulce est in vita religiosa mori! ».

Primis horis diei 27 mensis Aprilis anno 1919, vix 21 annos nata, est aeternitatem ingressa, Virgine Maria invocata, « dementiae Matre ».

Sanctitatis fama, qua viva claruerat, aucta est et confirmata post mortem, praecipue in Congregatione Filiarum Iesu. Beatificationis et canonizationis Causa inchoata est apud Curiam Salmanticensem per celebrationem processus ordinarii informativi (annis 1962-1963), cuius auctoritas a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto die 27 mensis Ianuarii promulgato anno 1983. Anno 1970 decretum proditum erat super scriptis et anno 1978 decretum super Causae introductione. Vacatione concessa a celebratione processus apostolici, apparata est Positio super virtutibus, quae exitu cum prospero est a Congressu Consultorum Theologorum inspecta die 28 mensis Iunii anno 1994. Die 10 mensis Ianuarii anno 1995 Patres Cardinales et Episcopi, in Sessionem Ordinariam congregati, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Martínez Somalo, professi sunt Servam Dei Mariam Antoniam Bandrés y Elósegui heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas observasse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Pru-*

dentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Antoniae Bandrés y Elósegui, Sororis professae Congregationis Filiarum a Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

© Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

SINARUM

Canonizationis Beati Ioannis Gabrielis Perboyre Sacerdotis professi Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, Martyris (1802-1840).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Beatus Ioannes Gabriel Perboyre ortus est postridie nonas Ianuarias anno 1802 in loco Puech, intra fines posito dioecesis Cadurcensis, in Gallia. Congregationem Missionis Sancti Vincentii a Paulo ingressus, vota perpetua suscepit anno 1820 et anno 1825 est sacerdos ordinatus. Decem post annis obtinuit ut ad Sinas missionarius proficisceretur, ubi alacrem explicavit apostolatum. Persecutione oborta contra religionem catholicam, die 15 mensis Septembris deprehensus in acerbos cruciatus datus est. Die 11 mensis Septembris anno 1840 in oppido Wu Ehang capitis damnatus ad suspendium est traditus.

Verus est habitus fidei martyr et paulo post mortem inita est canonizationis Causa atque die mensis Novembris 10 anno 1889 Summus Pontifex Leo XIII eum Beatum proclamavit.

Ad Canonizationem impetrandam Causae Postulatio nuper Congregationis de Causis Sanctorum iudicio coniectam permisit miram sanationem, anno 1889 in oppido Heverlé apud Lovanium patratam in Belgio atque intercessioni adscriptam eiusdem Beati. Sanatio respicit ad Sororem Gabrielam Isoré, Congregationis Sororum a Caritate Sancti Vincentii a Paulo sodalem, quae mense Februario anno 1889, duodequadraginta annorum, pedum doloribus laborare coepit; qui dolores mense secuto ad lumborum regionem se

extenderunt et deinde ad collum, intermissi quidem, sed interdum tam vehementes ut illi fletus causa essent eamque dormire impedirent et vel respirare. Eius condiciones graviores usque factae sunt et ad ultimum erat ferme artubus inferioribus capta necnon superiore dextro, incipientibus simul artus superioris sinistri perturbationibus. Soror non solum exsurgere nequibat et stare, sed neque in lectulo circumverti. Insomnia insuper laborabat, alvo adstricta, urinarum retentione, spiritus difficultatibus et gravi se alendi molestia. Post brevem salubrem mutationem, quae mense Septembri contigit, condiciones omnes deteriores factae sunt et mense Novembri ineunte, sententia quoque curantis, aegrota in vitae discrimine versabatur. Res pro humanis viribus erat omni spe deiecta. Quapropter Sororis antistita epistulas misit ad multas domos religiosas Instituti sui, rogans ut novendialem supplicationem inirent in honorem Venerabilis Ioannis Gabrielis Perboyre ad sanationem Sororis Gabrielae petendam; curavit etiam ut sacerdotes Congregationis Sacrorum Cordium Iesu et Mariae (Picpus) novenas Missas celebrarent. Per novendialem supplicationem aegrotae condiciones, quae se ad preces aggregaverat, in peius versae sunt; sed die 10 mensis Novembris, hora quarta matutina ex improviso aegrota experrecta se perfecte sanatam esse animadvertit, adeo ut sola potuerit e lectulo surgere et sine auxilio in sacellum se conferre Communionem receptura. Eodem illo die beatificatio agebatur Venerabilis Perboyre.

De sanatione, statim mira putata, apud curiam Mechliniensem anno 1892 est processus canonicus celebratus, cuius auctoritas et vis agnita est tunc Rituum Congregatione die 9 mensis Martii anno 1896; eodem anno apud eandem curiam celebratus est processus additicius. Anno 1901 acta est Congregatio Antepraeparatoria et anno 1903 Congregatio Praeparatoria, in qua sententiae enuntiatae sunt affirmativae, suspensi vae ac negativae. Longum secutum est silentii tempus. Haud ita multo ante Causae Postulatio a Sancto Patre impetravit ut prospectu canonizationis Beati denuo coniectura mirum inspiceretur. Die 17 mensis Novembris anno 1994 Consilium Medicorum uno ore confessum est sanationem Sororis Gabrielae Isoré a « polyradiculoneurite ascendenti » subitaneam fuisse, completam, stabilem et pro scientiae cognitionibus inexplicabilem. Die 21 mensis Februarii anno 1995 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus et pridie subsequentes nonas Apriles Sessio Ordinaria Patrum Cardinalium et Episcoporum, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Gagnon. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio

num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Beato Ioanne Gabriele Perboyre, Sacerdote professo Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo, videlicet de subitanea, perfecta et mansura sanatione Sororis Gabrielae Isoré a « poliradicoloneurite ascendente »*.

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. 8B S.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

TAUBATEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Rodulfi Komorek, sacerdotis professi Societatis S. Francisci Salesii (1890-1949).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

« Sacramentali Spiritus Sancti effusione, qui consecrat et mittit, presbyter Christo Iesu Ecclesiae Capiti et Pastori configuratur et ad pastorale ministerium explendum mittitur. Quare sacerdos, indelebili ac perpetuo signo penitus in sua ipsius natura signatur ut Iesu et Ecclesiae minister, isque permanenti atque irrevocabili vitae condicioni inseritur mandatumque recipit pastorale quod in eius natura insitum, totam eius existentiam implicat ipsumque permanens est » (Ioannes Paulus II, Adhort. apost. *Pastores dabo vobis,* 70: AAS LXXXIV [1992] 779).

Per sacramentum Ordinis arcte cum Christo coniunctus sacerdos Rodulfus Komorek cum fidelitate, amore ac perseverantia est divini Pastoris ve-

stigia secutus, ex Evangelio vixit cum alacritate atque radicitus caritateque vivificatus tota anima totisque viribus servitio Dei et animarum se dedidit, quibus Redemptionis bona abundanter distribuit miraque sanctitatis praebuit exempla.

Ortus est Servus Dei a Polonica familia die 11 mensis Octobris anno 1890 Bielci, in parva urbe Silesiae Cieszinensis, tunc Imperii Austriaco Hungarico addita. Christiana educatio, qua est imbutus a bonis parentibus, Ioanne Komorek et Agnete Gach, est cum docilitate et fructu a puero accepta, qui a prima pueritia indolem ostendit modestam et claram animi inclinationem ad deprecationem et ad res spiritales. Cum cura exitibusque laudabilibus gymnasium ac lyceum loci frequentavit: simul in suam incubuit formationem humanam et christianam suamque aluit animam aequabiliter cotidiana Missae participatione, pietate erga Virginem Mariam et humilitatis atque silentii exercitio. Anno 1909 suam secutus est vocationem ad sacerdotium, quam iamdudum animadvertebat, et Vidnavense seminarium introivit, ad Vratislaviensem dioecesim pertinens et, anno 1913 die 22 mensis Iulii, optime praeparatus sacrum recepit presbyteratus Ordinem. Est statim in ministerium pastorale immissus, quod primum in urbe Strumien explicavit, deinde in loco Zabrzeg. Ubique impensa religione eminuit, singulari paenitentiae spiritu atque castigationis pariterque diligentia in sacramento reconciliationis ministrando, in assidendo infirmis inque puerorum educatione curanda. Per prius omnium gentium bellum cappellanus militum fuit (annis 1914-1918), duoque meruit insignia propter studium quo suum sustinuit munus sacerdotale pro sauciatis et aegrotis. Bello confecto, administrator fuit paroeciae oppidi Pogwizdów et postea oppidi cooperator paroeciae Frystàt (Karvina), ubi tamquam sanctus habitus est et cultus. Iis annis in animo vol vit consilium, quod magnum habuit pondus in eius vitam. Namque, cum se tradere studuisset apostolatui inter iuvenes pauperes et actioni missionali in populis non christianis, anno 1922 ab antistitibus, qui magni eum existimabant, obtinuit ut Societatem Salesianam Sancti Ioannis Bosco ingrederetur. Novitiatu peracto cum fervore, humilitate ac docilitate, calendis Novembribus anno 1923 vota fecit triennalia; deinde, solita cum diligentia, sacrum ministerium Premisliae factitavit. Anno 1924 missus est in Brasiliam ad curam pastoralem Polonorum, qui e patria migraverant quique ad paroeciam Sancti Feliciani pertinebant, tum quidem in archidioecesi Portalegrensi positam. Cum parocho omnino concorditer illum adiuvit et, incommodorum atque sacrificiorum neglegens, alacrem egit

apostolatum Dei verbum praedicans, catechismum docens, sacramenta administrat, aegrotis assiduitatem praebens, pauperes afflictosque consolans; pro sua consuetudine, labores pastorales, continua deprecatione multisque paenitentiis fecundos reddebat. Eadem ratione se gessit Mteroiae, ubi sedulus fuit adiutor rectoris Sanctuarii Sanctae Mariae Auxiliatricis et confessor ordinarius Salesianorum, populi et non paucorum illius regionis parochorum (annis 1929-1934). Die 28 mensis Ianuarii anno 1930 professionem perpetuam fecit et ab anno 1934 ad annum 1936 multum laboravit in paroeciis locorum Luis Al ves et Massaranduba in Civitate Sanctae Catharinae. Est dein nominatus confessor et praeceptor in sedibus tironum et alumnorum loci Lavrinhas, apud Lorenam. In communitate et extra se omnibus omnia fecit, inexhaustam ostendens voluntatem servitii et apostolatus. Eius dies, qui initium capiebat ab hora tertia matutina, negotiorum plenus erat, quae cum simplicitate et gaudio exsequebatur. Phthisicis assidens eodem est morbo correptus utque se curaret missus est ad urbem Sanctum Ioseph in Brasilia, ubi valetudinaria erant et diversoria pro phthisicis. Ibi quoque, ardentissimo studio impulsus, assiduam explicavit navitatem pastoralem. Cappellanus fuit « Asyli Sancti Antonii » pro senibus: aegros visitabat valetudinariorum « Vincentina Aranha » et « Sanctae Domus Misericordiae », diversoriorum; domos pauperum ingrediebatur, quibus solacium necessitudinis ferebat atque fidei. Aegrotis in suis domibus spiritaliter assidebat; multum tempus in ministerium confessionum impendebat, puerulos catechismum docebat, parochos adiuvabat vicinos, libenter verbum Dei praedicabat. Etsi ad tempus meliore fuit valetudine, tamen gradatim gravius aegrotavit. Extremos vitae dies in deprecatione egit et cum parvo suo iunctus crucifixo. Sciens se iam proximum esse morti, sancte se praeparavit ad supremum occursum cum Deo; qui die 11 mensis Decembris evenit anno 1949 in valetudinario « Vincentina Aranha », in quod deductus erat.

Eius vita continua fuerat ascensio ad perfectionem christianam, quam est consecutus per viam crucis, servitium Dei et animarum exércitiumqüe virtutum et consiliorum evangelicorum. Fide firma ac ferventi semper est ductus, quam coniunctione cum Deo nutriebat, pia Missae celebratione, sacramentorum et Liturgiae Horarum, pietate erga Eucharistiam, Christi Passionem et Virginem Mariam, quam saepe honorabat, praesertim Rosarii recitatione, pariterque deprecatione, continuis paenitentiis ipsisque apostolatus operibus. Deus eius cogitationum et affectuum centrum fuit utque Domino placeret se ipsum abnegavit, accurate divina servavit mandata, leges

Ecclesiae, regulam, vota religiosa et antistitum praecepta summaque cum sedulitate omnia sacerdotalia et pastoralia munera est exsecutus. Gloriae Dei studiosus, nocte et die operam dedit eius regno aedificando, semper sincera cum humilitate agens ac simplicitate atque in communione cum auctoritatibus ecclesiasticis cumque Societate Salesiana. Proximos dilexit secundum spiritum Evangelii pauperumque, aegrotorum, peccatorum, senum, puerorum omniumque, quibus occurrebat, angelus consolator fuit. Neminem repellebat semperque laetus erat se ceteris utilem esse. Pro animarum bono continua obiit sacrificia et incommoda, numquam querens nec fatigatus. Sacerdos fuit prudens in verbis inque moribus, fortis in difficultatibus, iustus in Deum et in proximum, in bonorum terrestrium usu temperans, occultationis amans et sacrificii, in sua vitae ratione austerus, erga se ipsum severas et difficilis, in alios benevolus et misericors.

Tam altus fuit eius virtutum gradus, ut etiam vivus fama sanctitatis enituerit ubicumque suum explicavit ministerium. Post mortem haec fama confirmata est et aucta apud clerum et populum; quapropter episcopus Taubatensis Causam iniit beatificationis et canonizationis celebrato processu ordinario informativo (annis 1964-1969), cuius auctoritas et vis est a Congregatione de Causis Sanctorum probata decreto die 20 mensis Aprilis anno 1990 promulgato. Apparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes observaverit. Die 29 mensis Novembris anno 1994 actus est, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum. Patres Cardinales deinde et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 14 mensis Martii anni 1995, Causae Ponente Em.mo Cardinali Eduardo Francisco Pironio, confessi sunt Servum Dei heroum more virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Rodulfi Komorek, Sacerdotis professi Societatis S. Francisci Salesii, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. EB S.

93 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VERONEN.

Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Danielis Comboni, Episcopi titularis Claudiopolitani, Vicarii Apostolici Africae Centralis, Fundatoris Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu et Sororum Missionariarum Combonianarum Piarum Matrum Nigritiae (1831-1881).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Daniel Comboni in pago Limone ad Lacum Benacum, in Italiae Brixiensi provincia sito, ortus est idibus Martiis anno 1831. Die 31 mensis Decembris anno 1854 est sacerdos ordinatus. Missionalis ardoris plenus, totum se Africae evangelizationi dedidit, ubi labores obiit, incommoda et pericula innumera. Institutum Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu condidit (a. 1867) et Congregationem Sororum Missionariarum Combonianarum Piarum Matrum Nigritiae (a. 1872). Anno 1877 nominatus est Vicarius Apostolicus Africae Centralis et Episcopus titularis Claudiopolitanus. Indefessum suum et arduum apostolatum impensa aluit vita interiore, Crucis amore et Christi Ecclesiae. Meritis decoratus et fama sanctitatis clarus, Khartumi mortem obiit die 10 mensis Octobris anno 1881.

Beatificationis et canonizationis Causa anno 1928 inchoata est apud Curiam episcopalem Veronensem. Die mensis Martii 26, anno 1994, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Servum Dei virtutes théologales, cardinales iisque adnexas heroum more coluisse declaravit.

Deinceps Causae Postulatio Congregationi de Causis Sanctorum iudicandam permisit coniectam miram sanationem, Sancti Matthaei in Brasilia effectam et deprecationi episcopi Danielis Comboni tributam. Sanatio pertinet ad puellulam Mariam Iosepham Paixão de Oliveira decem annos natam, quae abdominis doloribus anno 1970 coepit laborare, qui acerbiores in

dies fiebant. Die 22 mensis Octobris eodem anno in valetudinarium est deducta et, ob gravissimas suas condiciones, laparotomiae exploratoriae subiecta, quae ostendit ansarum intestinorum terebrationem et necrosim cum profusione in cavéis abdominis excrementorum et ascaridarum lumbricoformium; reperta est etiam praesentia intestinorum appendicis perforatae inflammatio et puris collatio in fossa iliaca sinistra. Chirurgus ansam secuit, quam celeriter suit, cum intestina recidere non posset; intestinorum caveam parte lavit et timens ne pusa statim moreretur, nec pus hausit, nec intestinorum appendicis inflammationem abstulit, nec essiccationibus est usus. Condicio erat pro humana natura omni spe destituta; quam ob rem ilico abdomen est iterum clausum et prognosis est facta quoad vitam infausta post breve tempus. Soror quaedam Congregationis Missionariarum Combonianarum Piarum Matrum Nigritiae, quae utpote cum ministra esset infirmorum, laparotomiae adfuerat, eodem vespere divinum invocavit auxilium per Venerabilis Danielis Comboni intercessionem; insequenti die, cum sodalibus Sororibus novendialem supplicationem in honorem inchoavit eiusdem Servi Dei, cuius imago cum reliquiis est sub aegrotae cervicali collocata. Die 23 mensis Octobris puellula sine febri erat; die 25 eiusdem mensis, contra medicorum praescriptiones, cibis solidis se aluit. Fortes secuti sunt abdominis dolores; ad exitum esse videbatur; sed e contrario primis diei subsequentis horis consuetas recuperavit physiologicas functiones. Nullum amplius animadvertit dolorem; rursus cibis solidis se nutrivit et cum e lectulo surrexisset, ad ecclesiam se contulit primam Communionem receptura.

De sanatione, confestim intercessioni ascripta Danielis Comboni, annis 1990-1992 apud Curiam Sancti Matthaei instructa est canonica inquisitio, cuius auctoritas probata est a Congregatione de Causis Sanctorum decreto die 30 mensis Aprilis promulgato anno 1993. Consilium Medicorum in sessione diei 9 mensis Iunii anni 1994 una voce affirmavit Mariae Iosephae Paixäo de Oliveira sanationem, ex « peritonite acuta diffusa ab ascaridosi in aegrota cum gravi intestinorum infestatione et ansarum terebratione, in gravissimis versante condicionibus generalibus », rapidissimam fuisse, completam, stabilem et pro scientia inexplicabilem. Mensis Novembris die 22 eodem anno Congressus peculiaris Consultorum Theologorum actus est et die 24 mensis Ianuarii anno 1995 Patrum Cardinalium et Episcoporum Sessio Ordinaria, Causae Ponente Em.mo Cardinali Francisco Arinze.

Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinalium et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Daniele Comboni, Episcopo titulari Claudiopolitano, Vicario Apostolico Africae Centralis, Fundatore Missionariorum Combonianorum Cordis Iesu et Sororum Missionariarum Combonianarum Piarum Matrum Nigritae, videlicet de rapidissima, perfecta et stabili sanatione puellulae Mariae Iosephae Paixäo de Oliveira a «peritonite acuta diffusa da ascaridosi in paziente con grave infestazione intestinale e perforazione delle anse, in gravissime condizioni generali».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. © S.

£B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VINDOBONEN.

Beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iacobi Gapp, sacerdotis professi Societatis Mariae (1897-1943).

DECRETUM SUPER MARTYRIO

«Tempus breve est... praeterit enim figura huius mundi» *(1 Cor* 7, 29-31).

Haec Apostoli gentium verba saepe sacerdos Iacobus Gapp meditabatur, qui forti ac sereno animo persecutionem obiit atque custodiam maximumque testimonium caritatis dedit suo pro fide sanguine fuso.

Iacobus Gapp in Tirolensi municipio Wattens, intra fines posito dioecesis Oenipontanae, die 26 mensis Iulii anno 1897 natus est, septem filiorum humilis agricolarum familiae minimus natu. Ludo pagi frequentato, ab anno 1910 ad annum 1915 in gymnasio PP. Franciscanorum Hallensium Tiro-

lis prope Oenipontem versatus est. Annis illis animi generosi, indolis firmitudinis et constantis voluntatis omnibus documentum dedit.

Eius studia intermissa sunt cum tamquam pedes conscriptus est die 24 mensis Maii anno 1915. Mense secuto est in frontem missus Italicam, ut ibi pugnaret. Pridie nonas Apriles illic anno 1916 sauciatus est, argenteumque meruit nomisma. Ad proelium reversus, pridie nonas Novembres anno 1918 captivus est factus apud Ripam Benaci. Bello confecto dimissus postridie idus Augustas anno 1919 domum rediit.

Posteriore anno novitiatum ingressus est Societatis Mariae (Marianistarum) in loco Greisinghof situm, in Austria Septentrionali. Solida ostensa vocatione religiosa ac magna superationis voluntate, professionem fecit priorem die 27 mensis Septembris anno 1921. Est deinde ad Gradeciense Institutum « Marianum » missus, ubi studia philosophica iniit simulque praefectus fuit conviciorum. Die 27 mensis Augusti anno 1925 vota perpetua nuncupavit in oppido Galliae Antony et paulo post est Friburgum missus in Helvetiam ad seminarium internationale Societatis Mariae. Seminarii rector in singulos annos eius notavit simplicitatem bonamque voluntatem necnon nisus assiduos ad nonnulla vitia tollenda. Servus Dei est sacerdos ordinatus nonis Aprilibus anno 1930 in ecclesia cathedrali Friburgensi.

Ut novus sacerdos annum egit in urbe Freistadt et postea est ad oppidum Lanzenkirchen destinatus tamquam professor atque ephebei cappellanus. Anno 1934 est Gradecium missus, ubi quattuor per annos muneribus est functus moderatoris spiritalis et religionis praeceptoris. Alacrem adhibuit curam de vici pauperibus, studens ut alumnos visitationibus domesticis implicaret. Frequenter cubilis sui calefactioni renuntiavit, ut alimenta ignis daret familiis egenis.

Per nazismi, quem vocant, successum celerem in Austria Servus Dei, post denuntiationes Episcoporum illius nationis et doctrinam Litterarum Encyclicarum Pii XI, «Mit brennender Sorge» verbis incipientium, habitum sumpsit contrarium. Qui habitus a Superioribus periculum putatus est contra Gradeciense ephebeum. Eam ob rem paucis diebus postquam Austria est ad Germaniam adiuncta, mense Martio anno 1938, is est ad communitatem urbis Freistadt destinatus, iussus discipulis non loqui. Calendis Septembribus anno 1938 munus ei concreditum est cooperatoris paroeciae loci Breitenwang-Reutte (in Tiroli siti), cum officio christianam docendi doctrinam in ludis elementariis et ingenuarum litterarum loci Reutte. In docendo amorem in omnes praedicavit, ad quamlibet gentem aut religio-

nem pertinentes, vel in inimicos. Post publicam inquisitionem Servus Dei est a catechismi institutione amotus et astrictus locum Reutte relinquere pridie nonas Novembres anno 1938. Tempore, quod interfuit inter mensem Novembrem anni 1938 et mensem Ianuarium anni 1939 ei auctum est periculum vitae. In municipio Wattens cum propinquis vixit, aequo servato animo, quamvis persecutiones pateretur. Die 11 mensis Decembris anno 1938 memorabilem habuit sacram sermocinatioiiem pro collationibus fidelium ad Ecclesiam sustentandam proque collectis Summo Pontifici offerendis. Loci in quo natus est sacerdotibus monentibus, hunc reliquit et ad alios se contulit necessarios propinquos. Denique ex Austria decessit Burdigalam die 21 mensis Ianuarii anno 1939.

Servus Dei quattuor egit menses in Marianistarum communitate Burdigalensi, apud Ecclesiam Magdalenae. Unam ibi habuit homiliam die dominica Resurrectionis, qua deprecationes petiit pro catholicis Germanicis persecutionibus oppressis. Die mensis Maii 23 anno 1939 in Hispaniam iter fecit, ubi plus tres annos degit. Sancti Sebastiani primum praeceptor fuit, deinde Valentiae. Difficilia Servo Dei fuerunt tempora illa, de catholicae religionis in patria sua extenuatione sollicito, non semper a fratribus sodalibus Hispanicis bene intellecto saepeque cum penuria sensus socialis ambitus, in quo laborabat, discordi. Nihilo minus bonam explicavit operam tamquam cappellanus et professor semperque sacerdotem alacrem et diligentem se ostendit. In eius id temporis epistularum commercio apertae iam inveniuntur acceptionis martyrii affirmationes: «Pro Christo et pro Ecclesia sanguinem fundere optima mihi res est et sublimissima»; «Excelsam mihi Dominus gratiam concedat, ut sanguine meo illum testificer». Augusto mense anni 1942 civem Germanicum cognovit, qui eum adiit seque dixit Hebraeum esse Berolinensem petivitque ut fide christiana erudiretur. Subsequentibus mensibus eorum occursus usitati facti sunt et ad alios amicos Germanicos aperti. Mense Novembri anno 1942 e communitate Valentina discessit, ad paroeciam dioecesis Dertosensis regendam paratus: Sed antea invitationem accepit Hispaniam septemtrionalem visendi. Illectus deinde ad brevem excursionem in Galliam faciendam a Germanis occupatam Servus Dei per dolum est comprehensus a Gestapo, quae dicebatur, die 9 mensis Novembris anno 1942 et ilico Berolinum translatus. Post duas interrogationes, in quibus intrepide est fidem professus, magistratus Gestapo praefectus rogavit ut actio constitueretur adversus eum de patriae proditione. Postridie calendas Iulias anno 1943 Servus Dei est capitis condemnatus a populi

tribunali. Die 5 mensis Augusti Germaniae Minister iustitiae remissionem poenae negavit ex officio postulatam, vetuitque corporis restitutionem, ut cultus popularis impediretur. Idibus Augustis anno 1943 Servus Dei est decollatus in carcere Berolinensi Plotzensee. Sex horas ante mortem suam imminentem certior factus scripsit: « Mea vota renovo meque Deo offero per caram nostram caelestem Matrem... Tempora difficilia transegi, sed nunc felicissimus sum. Vestrum omnium in caelo recordabor... omnia transeunt, solum manet caelum: ibi nos invicem denuo videbimus. Et tunc non secedemus ».

Circumstantiis cognitis eius mortis et praesertim Servi Dei epistula ad familiam, hic a propinquis, a quondam discipulis et a religiosis Marianistis martyr est habitus. Cum fama martyrii duraret et rerum temporumque adiuncta praesentiora essent, curia archidioecesana Vindobonensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per processum canonicum anno 1987 celebratum, cuius auctoritas et vis a Congregatione de Causis Sanctorum probata est decreto anno 1989, die 7 mensis Aprilis, promulgato. Positione super martyrio praeparata, exitu cum prospero actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris die 31 mensis Ianuarii anno 1995. Deinceps Patres Cardinales et Episcopi, in Sessione Ordinaria, die 4 mensis Aprilis insequentis habita, Causae Ponente Exc.mo Domino Petro Georgio Nesti, Archiepiscopo Camerinensi-Sancti Severini in Piceno, professi sunt sacerdotem Iacobum Gapp verum esse martyrem habendum.

De hisce omnibus rebus, referente subscripto Cardinali Praefecto, certior factus, Summus Pontifex Ioannes Paulus II, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, praecepit ut decretum super martyrio Servi Dei rite conscriberetur.

Quod cum esset factum, accitis hodierna die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis ceterisque de more convocandis eisque adstantibus Beatissimus Pater declaravit: *Constare de martyrio eiusque causa Servi Dei Iacobi Gapp, Sacerdotis professi Societatis Mariae, anno 1943 interfecti, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

ES Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

VINDOBONEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Antonii Mariae Schwartz, sacerdotis et Fundatoris Congregationis pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio (1852-1929).

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

Ecclesia « respicit ad opifices, ad eorum personae et laboris dignitatem; ad eorum legitima optata; ad necessitatem, qua ipsi tantopere adhuc adflictantur, ut in melius putentur eorum rationes sociales, eorumque spiritualis vita proficiat; ad munus denique quod ipsis committi possit, recto tamen christianoque animo absolvendum: munus dicimus novum condendi rerum ordinem, in quo homines liberi sint seseque fratres agnoscant. Ecclesia, Mater et Magistra, ipsis praesens adest » (Paulus VI, *Allocutio ad Patres Conciliares habita: AAS* LV [1963], 857).

Inter Ecclesiae membra, quae magis in opificum dignitatem defendendam inque eorum humanam et christianam progressionem fovendam incubuerunt, Antonius Maria Schwartz est referendus, qui salutis animarum et Christi regni aedificationis in mundo studiosus, in opificum spiritali atque materiali bono vitam posuit effecitque ut iidem Patris caelestis bonitatem experirentur et maternam Ecclesiae sedulitatem.

Ortus est Servus Dei die 28 mensis Februarii anno 1852 a Ludovico Schwarz et Teresia Taubler Thermis Austriacis, in archidioecesis Vindobonensis oppido. Postridie baptismum accepit et anno 1861 Confirmationem. A parvula aetate religiosum se ostendit puerulum, intellegentem, vivacem et iucundum. Post ludum, quem in loco frequentavit, ubi natus est, ephebei abbatiae Cisterciensis Sanctae Crucis fuit alumnus, in quo est gratuito exceptus tamquam cantor. Vindobonae est studia prosecutus, primum in lyceo, « Scotorum » appellato, deinde in lyceo cui nomen erat « Schotten ». Interea vitam suam spiritalem diligenter excolebat, deprecatione illam alendo et peculiari in Dei Matrem pietate, cuius nomen suo addidit. Magistro spiritus suadente, anno 1869 est novitiatum ingressus Ordinis Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum (qui dicti sunt etiam Scolopii vel Piaristae), a Sancto Iosepho Calasanctio conditi iuventuti instituendae et educandae. Die 3 mensis Octobris eiusdem anni vestem induit religiosam sanctisque cum propositis iniit novitiatum. Vindobonae studia

confecit, sed vitae consecratae appetitionem ad effectum adducere nequivit. Ordo enim, cum suum institutorium munus in Austria propter novas civiles leges explicare non posset, omnes illius nationis dimisit novitios, in quibus etiam Servum Dei, qui in archiepiscopale introivit seminarium. Incommoda valetudo non eum impedivit, quominus diligenter excellentibusque cum exitibus suam curaret praeparationem ad sacerdotium, etsi obtrectationes est passus et aegritudines, quas tamen propter Dei amorem fortiter tulit.

Sacro accepto presbyteratus ordine die 25 mensis Iulii anno 1875, pagi Marchegg paroeciae cooperator est nominatus, ubi magnum ostendit gloriae Dei atque salutis animarum ardorem necnon in difficultatibus patientiam. Egregie postea muneribus est functus moderatoris spiritalis Sororum a Misericordia et cappellani valetudinarii Sechshaus Vindobonae (annis 1879-1886). Illo in ambitu, quem pietate ac servitii et sacrificii spiritu illustravit, consilium maturavit spiritali ac materiali se dedendi curae tironum iuvenumque operariorum, gravibus obnoxiorum incommodis, quaestui periculisque moralibus non levibus. Ut hoc adipisceretur propositum anno 1882 Consociationem Catholicam Tironum instituit et anno 1886 in sedem Operis, quam « Calasanctinum » appellaverat, in omne tempus se contulit, quam ei Sorores a Misericordia suppeditaverant quamque is centrum reddidit alacris suae apostolicae industriae et locum tironibus excipiendis, formandis et adiuvandis. Ut suum bene meritum confirmaret inceptum, quod gradatim consolidabatur et crescebat, Congregationem pro Operariis Christianis a Sancto Iosepho Calasanctio condidit, quam Ordinarius dioecesanus die 24 mensis Novembris approbavit anno 1889. Eodem die Conditor, cum quinque sociis laicis, habitum religiosum induit et novitiatum inchoavit; anno secuto vota nuncupavit religiosa et anno 1890 sollemnem fecit professionem,

Caritate incensus pastorali plures instituit consociationes, inter quas Pium Opus a Sancto Iosepho Calasanctio ad sustentandum Calasanctinum, Sodalitatem Peregrinationum in Cellam Mariae, maximum Austriae mariale sanctuarium, Sodalitatem Mulierum Catholicarum ad Benefaciendum pro pauperum cura, Sodalitatem Matris Dei, Sodalitatem Missarum, Confraternitatem SS. Cordis, Sodalitatem Marianam Operariorum.

Novis exstructis religiosis domibus Servus Dei Minister factus est Generalis Instituti, quod semper magna rexit cum sollertia, prudentia atque sapientia, internas et externas superans difficultates. Quod ad hoc pertinet scripsit: « Si bonus Deus cordis mei vult dolorem tamquam condicionem qua nostram servet Congregationem eique suam concedat benedictionem,

sum ad patiendum usque ad mortem paratus ». Non solum pro sua Congregatione laboravit et passus est, sed suis sodalibus fratribus, opificibus, tironibus cunctoque populo Dei splendidum dedit testimonium fidelitatis erga Deum, Ecclesiam suumque sacerdotale munus. Ut dignus esset Christi minister arcte cum eo coniunctus vixit et continuos fecit progressus in divini Pastoris imitatione magnamque adeptus est perfectionem in virtutis exercitio. Effulsit praesertim soliditate et navitate fidei, quam ferventi aluit Missae et sacramentorum celebratione, assidua precatione, singulari in SS. Trinitatem, in Passionem inque S. Cor Iesu atque in Virginem Mariam religione; pariter Sacrarum Litterarum et veritatum aeternarum meditatione. Mente et corde divinae revelationi atque Ecclesiae Magisterio est assensus sinceramque habuit animi adiunctionem in Romanum Pontificem et in ecclesiasticam hierarchiam. Ut fidem in mundo disseminaret indefatigatus fuit evangelizatur et intrepidus doctrinam christianam palam defendit voluitque suam Congregationem valenter ad christianam societatis, et imprimis operariorum ordinis renovationem conferre. Impenso Dei captus amore, semper coram eo vixit et egit, eius quaesivit gloriam prompteque est exsecutus voluntatem, divina servavit mandata et Ecclesiae praecepta, vota religiosa et Regulam, officia sacerdotalia. Peccatum fugit, bonum fovit, contra malum contendit precesque atque paenitentias obtulit ad iniurias luendas in Deum patratas et ad peccatorum conversionem impetrandam. Nullum laborem nullumque sacrificium magni faciebat cum de serviendo animis agebatur deque iisdem ad Deum adducendis; crebro dicebat: « Ut animas servem paratus sum ad sanguinem fundendum cordis mei ». Cum diligentia, firmitudine ac suavitate sodalium Instituti sui, iuvenum operariorum multarumque personarum, quae ad eius ministerium recurrebant, spiritalem curabat formationem. Aegrotos visebat et adiuvabat, in carceribus inclusos, pauperes; dolentes consolabatur; suis inimicis et calumniatoribus semper ignovit. Large omnibus panem Verbi Dei distribuit ac paenitentiae sacramentum ministravit assidue. Dei fiduciam circum se diffudit; namque et ipse magnam nutrivit divinae Providentiae spem et, vitae suae et apostolatus temporibus etiam difficilioribus iterare solebat: « In Domino spem ponamus ». Fortis fuit in rebus adversis, patiens et serenus in infirmitatibus, humilis, iustus erga Deum et proximum, temperantiae studiosus ac paupertatis, in virtutibus colendis inque Congregatione sua regenda prudens.

Meritis ornatus pie mortem obiit die 15 mensis Septembris anno 1929, a filiis suis spiritalibus dilectus et veneratus. Sanctitatis fama, qua vivus cia-

ruerat, post mortem quoque duravit; quapropter Archiepiscopus Vindobonensis Causam iniit beatificationis et canonizationis per celebratum processum ordinarium informativum (annis 1949-1954). Decreto super Causae introductione anno 1978 promulgato, apud eandem Curiam est apostolicus processus instructus (annis 1980-1981), cuius auctoritas et vis probata est Congregationis de Causis Sanctorum decreto die 10 mensis Decembris anno 1982. Apparata Positione, disceptatum est an Servus Dei heroum in modum virtutes servavisset christianas. Die 16 mensis Decembris anno 1994, exitu cum prospero, Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum est actus. Patres Cardinales deinde et Episcopi, in Sessione Ordinaria diei 21 mensis Martii a. 1995, Causae Ponente Exc.mo Domino Ottorino Petro Alberti, Archiepiscopo Calaritano, professi sunt Servum Dei Antonium Mariam Schwartz heroum in modum virtutes théologales, cardinales iisque adnexas coluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, mandavit ut super heroicis Servi Dei virtutibus decretum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servi Dei Antonii Mariae Schwartz, Sacerdotis et Fundatoris Congregationis pro Operariis Christianis a S. Iosepho Calasanctio, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 6 mensis Aprilis A. D. 1995.

ANGELUS card. FELICI, *Praefectus*

L. ©S.

6B Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

BONONIEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Bartholomaei Mariae Dal Monte, sacerdotis dioecesani et Institutoris Piae Operae Missionum (1726-1778).

DECRETUM SUPER MIRACULO

Venerabilis Servus Dei Bartholomaeus Maria Dal Monte Bononiae natus est die 3 mensis Novembris anno 1726. Sacerdos ordinatus, fructuosam explicavit apostolicam industriam multis in dioecesibus Italiae tamquam praedicator missionum ad populum, sacrarum orationum quadragesimalium et exercitationum spiritalium ad clerum et ad laicos, aestimationem sibi ubique concilians propter eminentem caritatem pastoralem, fidelitatem erga Veritatem, aequabilitatem doctrinae, in omnes amabilitatem. Piam Operam Missionum instituit eo praecipuo consilio ut animarum saluti operam daret per praedicationem et sacerdotum dioecesanorum formationem ad missiones populares. Sicut praedixerat, impigram vitam terrenam conclusit in urbe ubi ortus est, die 24 mensis Decembris anno 1778.

In vita, in morte et post mortem genuina et solida claruit fama sanctitatis, quapropter anno 1874 apud Curiam Bononiensem inita est beatificationis et canonizationis Causa. Iis peractis, quod ius eius temporis statuebat, Summus Pontifex Benedictus XV, die 23 mensis Ianuarii anno 1921, edixit Servum Dei heroum in modum virtutes coluisse théologales, cardinales iisque adnexas.

Ad beatificationem obtinendam Causae Postulatio Congregationis de Causis Sanctorum iudicio permisit coniectam miram sanationem anno 1882 patratam et intercessioni ascriptam eiusdem Venerabilis. Sanatio pertinet ad Sororem Raphaelam Rambaldi, Monasterii Bononiensis Sanctae Catharinae monialem, quae anno 1874, triginta annos nata, genus quoddam lymphoadenitis contraxit naturae phthisicae, quae ad glándulas colli, ad axillas et ad inguen extendebatur. Multarum glandularum suppuratio, cum febri coniuncta, fístulas genuit et consequentem deminutionem functionalem partium affectarum. Morbo ingravescente, supervenerunt anorexia et deglutiendi difficultas ob colli vulnera, unde gravis debilitas generalis, quae Sororem Raphaelam obstrinxit lecto iacere. Morbus postea se extendit etiam ad glándulas intestini medii et demum ad peritonaeum. Multae sunt adhibitae curationes, sed omnes inefficaces fuerunt; quam ob rem medici prognosim infaustam fecerunt quoad vitam. Animadversa scientiae medicae vanitate, aegrota, postridie idus Ianuarias anno 1882, sacrum novendiale agere coepit ut sanationem obtineret per intercessionem Venerabais Bartholomaei Mariae Dal Monte. Die secuto in preces se consociavit etiam Sororum communitas. Die 22 mensis Ianuarii aegrotae condiciones tam

graves evaserant ut mors iminiriere praevideretur. Ex contrario primis horis diei subsequentis, post plus septem annos morbi, improviso est sanata et sola potuit surgere e lectulo et in conclavi ambulare. Eius condiciones generales celeriter convaluerunt et stabiliter.

De sanatione, statim mira habita, apud curiam Bononiensem processus ordinarius instructus est anno 1886 et anno 1893 processus apostolicus. Harum inquisitionum canonicarum auctoritas et vis probata est a Sacra Rituum Congregatione. Congregationis de Causis Sanctorum Consilium Medicorum, in sessione diei 19 mensis Ianuarii anno 1995, uno ore sic declaravit: Diagnosis: «Gravis péritonites phthisica in persona lymphoadenite affecta cronica diffusa cum fistularum formatione multiplici»; Prognosis: «Quam maxime suspensa quoad vitam »; Therapia: « Nulla »; Ratio sanationis: « Celérrima defectio peritonitis; progrediens sanatio lymphoadenitis phthisicae. Sanatio completa et stabilis, pro scientia nostra inexplicabilis ». Die 12 mensis Maii eodem anno actus est Consultorum Theologorum Congressus Peculiaris et subsequentis mensis Iunii die 20 Sessio Ordinaria Patrum Cardinahum et Episcoporum, Causae Ponente Eminentissimo Cardinali Achilli Silvestrini. Et in utroque Coetu, sive Consultorum sive Cardinahum et Episcoporum, posito dubio num de miraculo constaret divinitus patrato, responsum est prolatum affirmativum.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Pro-Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens, mandavit ut decretum de praedicta mira sanatione conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis hodierna die infrascripto Pro-Praefecto necnon Cardinali Causae Ponente, meque Antistite a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astantibus, Beatissimus Pater declaravit: *Constare de miraculo a Deo patrato, intercedente Ven. Servo Dei Bartholomaeo Maria Dal Monte, Sacerdote dioecesano et Institutore Piae Operae Missionum, videlicet de celérrima, perfecta et mansura sanatione Sororis Raphaelae Rambaldi a « grave peritonite tubercolare in soggetto affetto da linfoadenite cronica tubercolare diffusa con fistolizzazione multipla ».*

Voluit autem Sanctitas Sua ut hoc decretum publici iuris fieret et in acta Congregationis de Causis Sanctorum referretur.

Datum Romae, die 11 mensis Iulii A. D. 1995.

68 ALBERTUS BOVONE
archiep. tit. Caesarien. in Numidia, *Pro-Praefectus*

L. ©S.

68 Eduardus Nowak
archiep. tit. Lünen., *a Secretis*

CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

TYRNAVIENSIS

De archidioecesis nominis mutatione deque concathedralis erectione.

DECRETUM

Cum intra fines archidioecesis Tyrnaviensis urbs exstet, vulgo « Bratislava » nuncupata, quae labentibus annis incolarum numero operumque actuosa navitate adeo incrementa coepit, ut in eadem sedes civilium Magistratuum ac publicorum officiorum sit, Exc.mus P.D. Ioannes Sokol, Archiepiscopus Tyrnaviensis, vota cleri ac christifidelium exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut archidioecesis Tyrnaviensis aptius Bratislaviensis-Tyrnaviensis appellaretur.

Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P.D. Aloisii Dossena, Archiepiscopi titularis Carpitani et in Slovakia Apostolici Nuntii, oblatas preces benigne accipiendas esse censuit.

Quapropter, eadem Congregatio, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pontifice Ioanne Paulo, divina Providentia PP. II, tributarum, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, statuit ut memorata archidioecesis et Archiepiscopus pro tempore Tyrnaviensis posthac appellentur Bratislaviensis-Tyrnaviensis. Servata, vero archidioecesis Bratislaviensis-Tyrnaviensis Cathedrae archiepiscopalis dignitate, templum Deo in honorem S. Martini in urbe nuncupata Bratislava exstans dicatum, titulo ac fastigio Ecclesiae Concathedralis decorat, cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis ac oneribus et obligationibus quae huiusmodi Ecclesiis sunt propria.

Ad haec perficienda Congregatio pro Episcopis memoratum Exc.mum P.D. Aloisium Dossena deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum onere imposito ad eandem Congregationem, ubi primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis transmittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Congregationis pro Episcopis, die 31 mensis Martii anno 1995.

S BERNARDINUS card. GANTIN, *Praef.*

& G. M. Mejia, *a Secretis*

L. SB S.

In Congr. pro Episcopis tab., n. 345/95

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus PP. II, per Apostolicas sub plumbo Litteras, iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit, videlicet:

die 31 Octobris 1995. — Titulari episcopali Ecclesiae Taciamontanensi, R.D. Hyacinthum Thomam de Carvalho Botelho, e clero dioecesis Lamacensis, quem deputavit Auxiliarem Archiepiscopi Bracarensis.

die 3 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Victoriensis, R.D. Antonium Gonzalez Sánchez, in dioecesi Tigiuanaënsi Directorem spiritus Seminarii ac Pro-vicarium episcopalem pro pastorali actione.

— Cathedrali Ecclesiae Broomensi, R.D. Christophorum Saunders, e clero eiusdem dioecesis et Rectorem ecclesiae Cathedralis Beatae Mariae Virgini sub titulo Reginae Pacis dicatae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Vazatanae, R.D. Villelmum Delgado Silva, e clero archidioecesis Caracensis, ibidem curionem paroeciae « San Benito », quem constituit Auxiliarem archidioecesis Maracaibensis.

die 7 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Lansingensi, R.D. Carolum F. Mengeling, e clero dioecesis Gariensis ibique paroeciae Sancti Thomae More in oppido vulgo Munster curionem.

die 9 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Lausannensi, Genevensi et Friburgensi, Exc.mum P. D. Amadeum Grab, O.S.B., hactenus Episcopum titularem Cenensem et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

die 11 Novembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Amantianae, R.D. Iulium **Marii**, Curiae dioecesis Sabariensis cancellarium, quem deputavit Auxiliarem archidioecesis Agriensis.

die 15 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Petropolitanae, Exc.mum P.D. Iosephum Carolum de Lima Vaz, S.I., hactenus Episcopum titularem Ausuccurensem et Auxiliarem Archiepiscopi Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

die 17 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Cuauhtemocensi-Materiensi, noviter erectae, metropolitanae Ecclesiae Chihuahuensi suffraganeae, R.D. Ioannem Villelmus López Soto, hactenus in archidioecesi Chihuahuensi Vicarium generalem paroeciaeque Resurrectionis Domini curionem.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Vilmingtoniensi, Exc.mum P.D. Michaelem A. Saltarelli, hactenus Episcopum titularem Mesarfeltensem et Auxiliarem archidioecesis Novarcensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Cerbalitanae, R.D. Ioannem B. McCormack, e clero archidioecesis Bostoniensis, ibique curionem paroeciae Sancti Francisci Xaverii in oppido vulgo Weymouth, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P.D. Bernardi Francisci S.R.E. Cardinalis Law, Archiepiscopi Bostoniensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Saiensi, R.D. Villelmum Franciscum Murphy, e clero archidioecesis Bostoniensis, ibique Vicarium generalem et Moderatorem Curiae, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P.D. Bernardi Francisci S.R.E. Cardinalis Law, Archiepiscopi Bostoniensis.

die 22 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Vico-Ateriensi, R. D. Franciscum Vorrath, e clero Essendiensi, in urbe vulgo Oberhausen curionem et decanum, quem deputavit Auxiliarem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Novohamburgensi, Exc.mum P.D. Ansuinum Iosephum Both, hactenus Episcopum titularem Cluehtensem et Auxiliarem Archiepiscopi Portalegrensis in Brasilia.

— Cathedrali Ecclesiae Camposinae, R.D. Robertum Gomes Guimarães, Vicarium generalem eiusdem dioecesis.

— Coadiutorem dioecesis Balsensis, R.P. Ioannem Franciscum Masserdotti, e Missionariis Combonianis Cordis Iesu, hactenus in urbe vulgo Teresina (Brasilia) Coordinatorem Centri Formationis et ad Actionem Missionalem fovendam.

NOMINATIO

Lato decreto a Congregatione pro Episcopis Ioannes Paulus PP. II nominavit:

die 21 Novembris 1995. — Coadiutorem Exc.mi P.D. Ioannis Caroli Reiss, Episcopi Trentonensis, Exc.mum P.D. Ioannem Mortimer Smith, hactenus Episcopum Pensacolensem-Tallaseiensem.

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Sabato, 11 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** FRANCISCO THOMPSON FLORES NETTO, **Ambasciatore del Brasile presso la Santa Sede.**

Lunedì, 13 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor Louis** LUCET, **Ambasciatore di Francia presso la Santa Sede.**

Giovedì, 16 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** DIMITAR MIRCEV, **Ambasciatore della Ex-Repubblica Jugoslava di Macedonia presso la Santa Sede.**

Giovedì, 16 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** EVER GUILLAUME AZIMULLAH, **Ambasciatore del Suriname presso la Santa Sede.**

Giovedì, 16 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** ZIA ISPAHANI, **Ambasciatore del Pakistan presso la Santa Sede.**

Ha, altresì, ricevuto in Udienza:

Venerdì, 17 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** CARLOS ALBERTO REINA, **Presidente della Repubblica di Honduras.**

Sabato, 18 **Novembre** 1995, **S. E. il Signor** MANFRED KANTHER, **Ministro dell'Interno della Repubblica Federale di Germania.**

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

15 novembre 1995. S. E. mons. Luciano Storero, Arcivescovo tit. di Tigimma, *Nunzio Apostolico in Irlanda.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

12 ottobre 1995. L'Em.mo Signor Cardinale Joachim Meisner, *Membro della Congregazione per i Vescovi « ad quinquennium ».*

12	ottobre	1995.	S. E. mons. Pedro Rubiano Saenz, Arcivescovo di Bogota, *Membro del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium ».*
»	»	»	S. E. mons. Alfredo M. Garsia, Vescovo di Caïtanissetta, *Consultore del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « ad quinquennium ».*
»	»	»	Le LL.EE. i monsignori Aloysius Ambrozic e Klaus Dick, *Membri del Pontificio, Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium ».*
»	»	»	Le LL.EE. i monsignori Szczepan Wesory e Laurence Sabatini, *Consultori del Pontificio Consiglio della Pastorale per i Migranti e gli Itineranti « in aliud quinquennium ».*
26	»	»	S. E. mons. Antonio Cañizares Llovera, Vescovo di Avila, *Membro della Congregazione per la Dottrina della Fede « ad quinquennium ».*
31	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Rosalio José Castillo Lara, *Presidente della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano « in aliud quinquennium ».*
6	novembre	»	Gli Em.mi Signori Cardinali William W. Baum, Francis Arinze, Andrzej Maria Deskur, Edouard Gagnon, Achille Silvestrini, *Memori della Congregazione delle Cause dei Santi « in aliud quinquennium ».*
»	»	»	Gli Em.mi Signori Cardinali Jean-Claude Turcotte, Ricardo Maria Caries Gordò, Juan Sandoval Iñiguez, *Membri del Consiglio di Cardinali per lo studio dei problemi organizzativi ed economici della Santa Sede « ad quinquennium ».*
»	»	»	GH Em.mi Signori Cardinali Joachim Meisner, John Joseph O'Connor, Edward Bede Clancy, *Membri del Consiglio di Cardinali per lo studio dei problemi organizzativi ed economici della Santa Sede « in aliud quinquennium ».*
8	»	»	L'Em.mo Signor Cardinale Alfonso Lopez Trujillo, *Presidente del Pontificio Consiglio per la Famiglia «in aliud quinquennium ».*

NECROLOGIO

27	ottobre	1995.	Mons. Jan-Wawrzyniec Kulik, Vescovo tit. di Rando.
3	novembre	»	Card. Mario Revollo Bravo, del titolo di San Bartolomeo all'Isola.
9	»	»	Mons. Don Sylvester Wewitavidanelage, Vescovo em. di Galle *(Sri Lanka).*
20	»	»	Mons. Francesco Tarcisio Carboni, Vescovo di Macerata - Tolentino - Recanati - Cingoli - Treia *(Italia)*
22	»	»	Mons. Rafal Kiernicki, Vescovo tit. di Dura.

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM · OFFICIALE

I

INDEX GENERALIS ACTORUM

(AN. ET VOL. LXXXVII)

I - ACTA IOANNIS PAULI PP. II

n

INDEX DOCUMENTORUM CHRONOLOGICO ORDINE DIGESTUS

I — ACTA IOANNIS PAULI PP. II

I - LITTERAE ENCYCLICAE

II - EPISTULAE APOSTOLICAE

III - CONSISTORIUM

IV - LITTERAE DECRETALES

V - CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

VI - LITTERAE APOSTOLICAE

VII - DECLARATIO

VIII - CONVENTIONES

IX-HOMILIAE

X - ALLOCUTIONES

XI - NUNTII

XII - NUNTII TELEVISIFICI

XIII - ITINERA APOSTOLICA
SUMMUS PONTIFEX HAS NATIONES INVISIT:

XIV - SECRETARIA STATUS

II - ACTA CONGREGATIONUM

I - CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

II - CONGREGATIO PRO ECCLESIIS ORIENTALIBUS

III - CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

IV - CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

V - CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

VI - CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

III - ACTA TRIBUNALIUM

TRIBUNAL ROTAE ROMANAE

TRIBUNAL REGIONALE LATII APUD URBIS VICARIATUM

INDICES NOMINUM

I - INDEX NOMINUM PERSONARUM

(OMITTUNTUR NOMINA ACTIBUS SUBSCRIPTA)

(CUM PARVA CRUX f ADEST, DE NUNTIO MORTIS AGITUR)

A

D

G

H

I

J

K

L

Q

R

S

T

W

Y

Z

H - INDEX NOMINUM DIOECESIUM VICARIATUUM, ETC.

A

B

E

F

G

H

I

IV

INDEX RERUM MAIORIS MOMENTI

G

H

I

M

N

O

P

T

OCTOGESIMUM SEPTIMUM VOLUMEN
COMMENTARII OFFICIALIS «ACTA APOSTOLICAE SEDIS
ABSOLVITUR DIE XXXI DECEMBRIS MCMXCV
TYPIS VATICANIS